


RHETORUM
COLLEGII PORCENSIS
ORATIONES.

Il 2 (le parte del I

RHETORUM
COLLEGII PORCENSIS
INCLYTÆ ACADEMIÆ
LOVANIENSIS
ORATIONES

In tres Partes secundum tria causarum seu Orationum genera distributæ.

Sub NICOLAO VERNULÆO Collegii PORCENSIS, & publico Eloquentiæ Professore.

Accessit Orationum Sacrarum Volumen singulare in Festa Deiparæ Virginis & aliquorum Divorum.

Editio Sexta aucta aliquot Orationibus, & nova forma in gratiam Eloquentiæ studiosorum illustrata.

Adiectum est in margine Artificium Rhetoricum.





COLONIÆ,

Apud IODOCUM KALCOVIUM,

ANNO M. DC. XLIX.

Cum Consensu Authoris & Privilegio.



PRÆNOBILI, STRENVO,
ac
Generoso Domino, Dn.

FRIDERICO
A
FVRSTENBERG,

IN

WATERLAP, SCHNELLENBERG, FVRSTENBERG & HERDRINGHAVSEN
HÆREDITARIO,

SERENISSIMORVM
PRINCIPVM ET ELECTORVM
Moguntinensis & Coloniensis
Consiliario intimo,

DOMINO IN BILSTEIN,
SATRAPÆ IN FREDEBVRG,
& per Westphaliam Archi-satrapæ,

Nec non

PATERNI ANIMI
Filiis

THEODORO CASPARO Cathedralium Ecclesiarum Moguntiæ & Spiræ, Collegiatæque ad S. Albanum.
FRIDERICO Herbipolensis
WILHELMO Trevirensis & Monasteriensis.
FERDINANDO, Paderbornensis, Hildesiēsis & Halberstadiensis

} Canonico,

FRANCISCO WILHELMO,
IOANNI ADOLPHO,

D. Dominisq́; suis Amplissimis.

PRÆNOBILIS AC ADMODUM GENEROSE DOMINE, *rectè inquit Ovidius, dum ait:*

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Quod mihi etiamnum, postquam ædes paternas unà cum patria reliqui, post annos viginti evenire sentio, quam post tot annorum intervallo eò magis amo & suspicio, quò clariore atque illustriore per Te, sidere illustratur; Tua namque claritate & protectione erigit sese, & altior assurgit, dum in Te zelum ac pietatem Theodosii, Cæsaris prudentiam, æquitatem Augusti, Titi benevolentiam, maxima sua voluptate commendat. Tibi ergo patriæ meæ Domino dicam an Patri, Pluribus nominibus obligor. Primò, quòd licet urbis huius Coloniensis inquilinus sim, nihilominus tamen inter

populares concives meos subditos tuos censeri velim, mea non minus patria gestiens, quàm sua Ithacæ Vlysses. Deinde quod parentes, fratres, sorores, nepotesque, &c. Re ipsa subditi eo vinculo obstricti manent, quo subditi Domino suo. Quo proinde ego quoque teneor ex coniunctione fraterna & consanguinitatis, cùm æquius de amicis, quod Zeno amico tribuebat, dici possit, quod sint, alter ego. Taceo virtutes Tuas, atque imprimis humanitatem, quæ mea, amicorum atque subditorum omnium servitia, merito sibi devincit. Huius ergo obligationis atque officii mei me nunc potissimum hoc anni vertentis initium commonefacit, quod id tempus sit usu & consuetudine, quasi lege veterum more præscriptum, quo Clientes Patronis suis Apophoreta, strenas, sportulas vario Xeniorum ac munerum genere insignes offerant, suumque erga eos subiectionis ac gratitudinis affectum testentur. Habui equidem alium neminem, quàm

Præ-

Prænobilem ac Generosam Dominationem Tuam, & paterni animi Tui Liberos, cui & quibus mea offerre vellem. En igitur sportellam meam, hoc Rhetorum Porcensium Orationum syntagma, parvum quidē volumen est (maiora suo tempore sequentur) sed prudētiæ atq; eloquentiæ omnis epitome, quæ cum utraq; in Te diuturno Consiliorum atque legationum usu emineant, nihil aptius hoc libro offerre potui. Eum itaque Tuo & Filiorum Tuorum nomini submissè consecro, ac simul fœlicissimum ineuntis Anni auspicium, cum fœlicissimo quoq; eius ac plurimorum insequentium decursu, à Deo precor. Quod dum facio, submissè rogo, hoc Xeniolum leuidense æqui boniq; consultum, & me cum Civitate nostra VVarstensi, cæterisq; commendatum haberi. Dat. Coloniæ 14. Ianuarii A. 1640. Iterum 1645. et iam denuo 1649.

Prænob. ac Generosæ D. Vestræ:

Humillis Cliens

IODOCVS KALCOVIVS
Civis & Bibliopola
Colon.



MAGNIFICO DOMINO RECTORI,

Eximiis, Clarissimis, Expertißimis, Venerabilibus Dominis,

DOMINIS

INCLYTI SENATVS ACADEMICI ALMÆ Vniversitatis LOVANIENSIS,

NICOLAVS VERNVLÆVS.



ORNELIA Gracchorum mater, cũ Matrona quædam Campana apud illam hospita lapillos, aurum, pretiosam vestem ostentaret, rogaretq;, vt sibi ornamen-

namenta ſua oſtenderet, verbis eam protraxit, quouſque è ludo Litterario filii reverterentur. Ac tum filios indigitans: Reſpice, inquit; En habes lautam ſupellectilem meam, omniaque ornamenta ac delitias meas. Nimirũ præ filiis ornamenta illo ſæculo pulcherrima contemnebat, & in ſpe liberorum muliebrem mundum prudens matrona collocabat. Quòd ſi ergo parentum lauta ſupellex & delitiæ ſunt liberi, utiq; Præceptorum erunt ornamenta Diſcipuli. Et ecce tibi, Magnifice D. Rector; vobis, Ornatiſſimi Viri, ornamenta mea, Diſcipulos meos è ludo

Litterario & ab umbra prodeuntes, in lucem sisto ac præsento; Nimirum, ut quibus officii mei rationem debeo, iisdem vivum industriæ ac laboris testimoniũ adducam; deinde verò, ut quam Discipuli mei in umbratibus Scholæ nostræ Exercitiis à me vocem acceperunt pręceptis imbutã, declamationibus confirmatam, eandem Vobis, Dominis suis ac Rectoribus probandã offerant. Ea quippe mens mea ac propositum semper fuit, ut cùm eos placere Vobis maximè non ignorarē, qui suis laboribus optimè mereri de Iuventute contẽderent, nullos unquam

labo-

labores reformidavi, ut iuventutis utilitatem procurarem, & aliquam, quantulamcunq; possem, Academiæ laudem ac gloriam ambirem. Stat illa quidem vi sua ac virtute, suiq; nominis ac famæ claritate, dum supremæ Disciplinæ lucem eximiã emittunt, Invidiæ ipsius aciem perstringit. Sed tamen cùm minima livor carpat, posset in inferioribus Litterarũ disciplinis notare, quod toti, obiiceret Academiæ, nisi etiam palã in luce fructum suum litterarũ disciplinæ testaretur. Quod ut fieret, libenter publicè privatimq; hactenus adlaboravi; nec defuerũt ingenui

Adoleſcentes, qui conatui huic meo reſponderunt, ac materias nudè à me ac ſimpliciter Rhetoricis in Scholis propoſitas, tracta runt, ornarunt, recitarunt; ita nimirum præparantes ſeſe, ut ab hoc ſcholaſtico pulvere honeſtiſſimiſq; exercitiis cōmodiùs aliquando in Eccleſia ac Republ. ſerias actiones aggrederentur. Atq; hę ſunt Orationes, quas Tibi, Magnifice Domine, univerſoq; Senatui Academico, inſcribo; ut, quia illæ ab Eloquentia (quā in hoc Iuvenū conatu nondū maturā eſſe fatemur) pręſidiū habere nō poſſunt, à prima Academię authoritate mutuentur, ſi

illi

illi probentur. Quanqvam displicere non possunt iis, qvi cùm Sapientissimi sint, Sapientiæ comitem Eloquentiam, vel eos, qvi illi aut docendo operam suam, aut discendo industriam cõsecrant, odisse non possunt. Qua in spe libenter omnem laborem meum Academiæ præsento, Iuventuti addico. Interim floreat Illustris Academia, &, qva crescere magna solent, Invidiam æternùm vincat, Voveo & opto. Cal. Febr. Anno M.DC.XXX.

CEN-

CENSVRA

PVblicent typi variam eruditionem, pietatem & facundam diserti sermonis eloquentiam, quam in fœcundo hoc Rhetorum Poreensium & Sacrarum Orationum Volumine, R. & Eruditiss. D. VERNVLÆVS *propinavit; Act. Lovanii XI. Kale. Aug. M. DC. XXX.*

MART. LVNÆCENIVS
S. Theol. L. & Prof. Ord.
Apostolicus ac Regius
Libr. Censor.

AV-

AUTHORIS DISPOSITIO circa Privilegium.

NICOLAUS VERNULÆUS Historiographus Regius, & Publicus Eloquentiæ Professor in Academia Louaniensi è Privilegio sibi à Rege Catholico Principe nostro concesso, potestatem facit BERNARDO GUALTHERI Typographo Coloniensi, Orationes Porcenses & Sacrarum suarum Volumen excudendi ac divulgandi, Lovanii Idib. Julii, CIↃ. IↃC. XXXII.

IN-



INDEX ORATIONUM

I. PARTIS.

GENERIS DEMONSTRATIVI.



IN-

INDEX ORATIONVM II. PARTIS, GENERIS DELIBERATIVI.

VII.



IN-

INDEX ORATIONVM III. PARTIS.

GENERIS IVDICIALIS.

IN-



INDEX ORATIONUM SACRARUM.

XX. *De*

Quibus accessit Certamen Oratorium.

Typographus ad Lectorem.

Scripsit Clarissimus D. Nicolaus Vernulæus, præter has, Orationes diversas, quæ hactenus separatim editæ fuerunt, & publicè in Academia Lovaniensi dictæ, quas omnes collectas habeo, & singulari volumine secundum Tria Causarum genera distributas proximo anno in lucem dabo, quando insuper omnium hactenus à Clarissimo D. Vernulæo editorum Opusculorum addam designationem, ut tanti viri & tanta Eloquentia conscripta Opuscula omni statui convenientia innotescant, in Germania.

BAL-



BALDVINI BOLLEN LEEVVVENSIS ORATIO

De dignitate Studiorum humaniorum.



MAGNA vis est, ac incredibilis propemodum potestas amoris, ut qui scilicet naturam evincit, & in quo desperationem humana ratio constituebat, spem non modo certissimum, sed eventum spe maiorem, præsentissimumque reducit. Ita quondam Crœsi filius, magni illius Lydorum Regis, & fortunæ filii, cum venisset in hanc orbis communis auram, silentio perpetuo mulctatus à natura, suam hanc tamen naturam evicit amore fortiori, cum in pugna videret militem quendam gladio assurgentem in parentem. Movebat tum quippe filium fortuna patris, & excitatus vigilanti timore affectus, naturam impulit, ut moram iniiciens dexteræ militis, gladiũ præveniret hac voce: *Noli Regem ferire miles.* Sic enim puer ille mutus, soluta subito lingua ad proximum parentis occasum exclamavit. Planè, AVDITORES, eodem modo vis illa incredibilis amoris affectum

Exordium à vi amoris, & historia filii Crœsi.

Applicatio ad propositum & occasio orationis.

meum excitat hodierna die, & impellit quodammodo naturam, ut qui plane sum rudis & infans, non obmutescam hoc tempore tamen, sed quicquid est in me vocis emittam, cum studiorum humaniorum dignitatem ludibriis cuiusdam nescio gentis impetitæ violari cernam: ut si potuit impedimento linguam amor in Crœsi filio liberare, silentium idem in me tollat, & corroboret imbecillitatem. Ecquis enim continere vocem posset, si obscurari videret solem à nonnullis, cuius omnes aura vivunt, & claritate fruuntur? quis irasci tandem nollet, si præcipuum humanæ mentis ornamentum cerneret conculcari? Cernimus hoc ipsum, cernimus, inquam, nobile jubar Litterarum, nobilem gemmam humanæ vitæ passim ita despici contemnique, ut cum Ammiano Marcellino vere dicere possimus: *Paucas domos studiorum seriis cultib. celebrari, ludibriis ignavia torrentis exundare*: imo vero timere debeamus, ne retro in tempus illud abeamus, quo neq; Musarum scopulos quisquam superarat, nec dicti studiosus, erat. Quoniam vero studiorum horum vituperatores ii tantum esse solent hac ætate, qui ignorantiæ tenebris obcœcati clarissimã eorum dignitatem non agnoscunt, si quid est in me vocis, illud impendam lubens omne, ut tantæ dignitatis splendorem aliquem hac oratione vobis ostendam. Atque utinam dum imparibus arduam hanc molem humeris impono, aut Ciceronis uti voce possim, aut alacritate Demosthenis excitari: Vtinam fulgurare, tonare, permiscere omnia cum Pericle valerem: Sed vana spe delector, & voto prorsus feror inani, vestrum est, AVDITORES, infantiam hanc meam & imbecillitatem eo maiori silentio sublevare, & adjuvare favore, quo justiori impulsus amore hanc aggredior provinciam orandi. Et quoniam nefas esset omnino, dicere me volentem de vestra benevolentia dubitare, utar hac apud vos libertate, ut quic-

Ratio iusta commotionis à simili.

Ab Authoritate.

Propositio.

Conciliatio per optatione & excusationem.

quicquid conceperim animo, promere non reformidem.

Et in primis ita mecum iudicabitis, opinor, omnes, nihil esse hac in tota Naturæ Vniversitate aut præstantius genere suo, aut admirabilius dignitate, quam illud sit unum, quod hominum animos ad pristinum diuini luminis splendorem adducit, à quo recessimus per obscuritatem errorum, & ad quem rursus anhelare natura nostra debet. Cum enim sit animus noster hoc in corpore tanquam in carcere per vim inclusus, quid dignius excogitari, aut præstantius esse potest, quam illud, quod eum liberat, & velut in aerem clarissimum liberrimumque, id est, in humanarum divinarumque rerum cognitionem educit? Profecto si ita comparatum est à natura, qui è carceris obscuritate, vinculorumque tormentis liberati suam in patriam reducuntur, rebus omnibus liberatorem suum anteponant, eius nomen æterna celebrent recordatione, vultumque amoris penicillo suis in animis depingant; quo tandem erit in loco apud animos nostros illud, quod in libertatem eos asserit? quod hunc carcerem corporis effringens, & detracto sensibus nostris velamento nos ipsos nobis reddit? Atqui vero singularis est, & præstantissima Litterarum cognitio, quæ nos ab ergastulo corporis educit, & pristino divini luminis illustrat ardore. Per eam in maiorum ætates redimus, & quod gestum est aliquando, recordamur: per eam in sæcula posterorum abimus, & quæ futura sunt aliquando, prævidemus; per eam in orbis huius medio, tanquam in theatro constituimur, ut res omnes actione mentis repræsentemus. Cœlum inuadit illa, & per elementorum acta moles, Divinæ Maiestatis arcanum, & naturæ secretum investigat. Et quis eam non solem esse dicat, cuius radiis humanæ mentes illustrantur? Quis non Sybillam merito nomi-

Confirmatio. Primum argumentum ab honesto. Propositio. Ratio propositionis.

Illustratio per similitudinem.

Assumptio.

Ratio assumptionis & amplificatio ab effectibus.

Repetitio: Illustratio per similitudines

nominet, qua duce noster animus per universi spatia mundi deducatur? quis non velut Aquilam suspiciat, cuius alis mens hominum sublata rapiatur in cœlum, illius patriæ suæ deliciis fruatur, & in sinum sese Omnipotentis insinuet?

Complexio. Video vos, AVDITORES, ita iam animos composuisse, ut vere meoum affirmare non dubitetis, nihil omnino Litterarum cognitione præstantius nihil earundem præstantia magis admirandum reperiri. Sed illud tamen adhuc inquiro, an non rem rerum omnium longe dignissimam Litterarum esse cognitionem iudicaretis, si eam munus Omnipotentis & primum & præstantissimum esse declararem? Neque in hoc vado hærebit ingenii mei cymba, si Iosephi gravissimi scriptoris authoritatem, quæ omnium sæculorum fide corroborata est, admittatis. Testis est ille, Sethum, Adami filium Litterarum usum habuisse, quas à parente didicerat Adamo, eundemque nobilem illarum cognitionem duabus in columnis conscripsisse, ne cum Orbe conflagrarent aliquando, aut Oceani delerētur inundatione Quis est vero tandem, qui cognitionem hanc non infusam fuisse dicat Adamo, & è cælis haustam velut nectar æternum, quo mens hominum inebriata, patriæ cælestis affectum retineret, & caducis terræ bonis commisceri dedignaretur: Non audiatur superstitiosa gens Ægyptiorum, quæ Æthiopibus Litterarum inventionem adscribit. Nulla fides mendacibus sit Græcis, qui Cadmum eas primo tum repertas in Græciam reportasse dicunt. Obsecro vos enim, cum Omnipotens ille cæli rector mentem homini cælestem indidisset, quid prius aut præstantius superaddere potuisset eidem, quam Litterarum cognitionem, quæ rerum est omnium pulcherrimarū velut quidam pretiosissimus thesaurus? O vere iubar orbis, Litterarum cognitio: O admiranda claritas, & incredibilis mentis humanæ perfectio, Quid esse tan-

Secundum argumentū ab æquitate & origine litterarum Probatio à testimonio Iosephi.

Reiectio testimoniorum aliorum. Communicatio.

Exclamatio.

tandem sine te vita, aut quid omnino possideret homo, si te nunquam possideret; quis erigere si- ne te posset è tenebris oculos ad lucem: quis se noscere valeret, si te prius non ignosceret nostræ decus humanitatis: Et tu homo, multum equidem obligatus es Maiestati sempiternæ, quod spiritu cælitus hausto sis afflatus, & impressam Divinita- tis imaginem animo tuo circumferas in hoc orbe; sed amplius tamen (audebo dicere) vel hin tan- tum devinctus es Creatori tuo, quod Litterarum cognitione sis donatus, sine qua misera prorsus es- ses vita tua, sine qua tuam humanitatem ignora- res; per quam vero cælum tenisis, & in terra non secus ac Deus aliquis versaris: Et hac esse quic- quam existimares aut amabilius, aut excellentius: Quanquam reclamitãtes videor audire Zoilos no- stros, qui voce magna nostræ cursum sistant ora- tionis. Fatemur, inquiunt, aliquod est Litterarum ornamentum, sed inutile, sed vanum. Quid hic di- cam, AVDITORES: Audio reclamitantes, nec in- telligo clamores. Dicant enim, si conferre mecum audeant in arena pedem, quodnam tandem Litte- rarum est ornamentum: an in purpura fortasse co- lor: stultum est id opinari. An in galea cristarum apex: ridiculum omnino. Quid est ergo: Si mihi liceat non amantes eos arbitrari, ignorare nunquã possunt, Litterarum cognitionem eximium animi ornamentum esse. Sed pro Dii boni: (color enim retexere sermonem) quæ tandem ista demẽtia est, labore summo, contentoque studio corpori decus comparare, animi vero laudem omnem & orna- menta repudiare: Inutilis eorum est honor. Quid hic rursum Pudet dicere, sed indignitas vocem ex- torquet, & audaciam addit orationi: Indignum est, AVDITORES, eo vilitatis hac tempestate scientias devenisse, ut mercenariæ sint omnes, & non nisi ab utilitate commendentur, præstantissimaq; iudice- tur illa, quæ magis est dare veniam, ut communi

Apostrophe ad litterarũ cognitionem

Apostrophe ad hominem

Complexio Obiectio per occupationẽ Dubitatio.

Subiectio. Alia obiectio

verbo loquar) quæ magis est, inquam *de pane lucrando.* Et non tecum hic exclamem MARCE TVLLI, ô tempora, ô mores? Olim Anaxagoras patrimonium amplissimum largitus est amicis, ut scientiis liberius vacaret: quid nunc? conquirendorum patrimoniorum scientiæ sunt instrumenta. Democritus Abderites maximas patris deseruit opes, ut discendi gratia orbem universum peregrinaretur: quid nunc? nisi fronte speciosa & opulenta scientiæ inuitent, nullus amor est scientiarum. Tot alii, quos toties audivistis & legistis, vel aurum suum in mare proiecerunt, ut ad sapientiæ littus gemmas colligerent pulcherrimas; vel oculis se priuarunt, ut in arce doctrinæ vigilarent: quid nunc? Piscantur in scientiis aurum, & oculati dormiunt in fænore scientiarũ, nec intelligunt, quod prudentissime nescio quis olim dixit, vilia prorsus esse, quæ pretium haberent.

Exclamatio

Exempla per comparationem ex dissimili.

Transitio.

Veruntamen inquiramus tandem, an in egestate semper & obscuritate delitescant ii, qui Litterarũ cognitionem habent; nisi tamen id inquirere, sit in meridie clarissimam solis lucem desiderare. Agite, loquatur hic fama nobis, & quos immortalitati consecravit obscurioris fortunæ filios, sed eruditionis alumnos repræsentet. Quis Socratis omniũ hominum & Apollinis ipsius iudicio sapientissimi, vel famam unquam vel gloriam superabit? Patre natus marmorario fuit. Quæ non ætas Euripidis ingenium admirabitur? huius mater olera vendibat: Nunquid Demosthenes gloriæ quoddam domicilium fuit? sed filius quoque fuit cultrorum venditoris. Prædicas Æschynem? tympanistriæ filius fuit. Laudas Epictetum? servum quondam. Miraris Demadem? utiq; piscatorem. Etiam Lucranum? & hunc quoque lapicidam. Exhaurire coner Oceanum, si exemplorum quæram inantiquitate finem; & hæc nostra quoque tempora materiam suppeditant orationi, si vel aulas Principum

Tertium argumentum ab utili.

Probatio ab exemplis Antiquorum.

Dissimulatio.

vel curias Rerumpublicarum dictiones perlustrare cursu vellem: sed illud tantum hoc in campo festinantes intueamur & retineamus, non in origine præclara, non in fumosis majorum imaginibus, nō in multitudine titulorum; sed in virtute, in scientia, in anima præcellentibus hisce dotibus ornata consistere nobilitatem. Consule priscorum ætatē, & si placet, in hac ipsa Romam, quos illa vidit aut Consules honorificentiores, aut Imperatores generosiores, quam quos euexerat ad hunc gradum honoris doctrina? Consule rursus ætatem hanc nostram, qui sunt, qui Pontificū cathedras adornant: qui cognitione multâ sunt adornati. Qui sunt, qui subsellia Curiarum implent: quorum melle suo Sapientia pectus implevit. Qui sunt, qui loquendo principum hauriunt admirationem: quos admiranda spectabiles eloquentia fecit. Qui sunt, qui pulpita premendo multitudinis animos evincunt: quorū in animis sedem victrix doctrina collocauit. *Repetitio.* *Subiectl.*

Sed nimis hactenus fortasse multa, & adhuc est tamen dicendum aliquid. Excitate vestros animos; AVDITORES, dicam ea, quæ vel solâ Litterarum dignitatem evincent, ut tanquam probavisse me nihil hactenus affirmem, audeam nunc tamen certo mihi victoriam polliceri. Et esset adhuc aliquis, qui nullam dignitatem esse studiorum nostrorum arbitraretur: Dico ego, nullum unquam nominis alicuius in eruditione virum extitisse, qui non Litterarum cognitione fuerit commendatus. Agedum, quisquis hæres, & audaciam sermonis huius admiraris, perlustra Græciæ lumina, doctrinæ numina Platonem, Aristotelem, Socratem, Homerum, Demosthenem, sexcentos alios, nunquid in iis tanta Litterarū cognitio fuit, ut earum non immerito principes nominentur. Percurre Romani nominis æternitatem, & in hac immortalitatis gloria sublimes, Ciceronem, Cæsarem, Senecam, alios infinitos intueare, unde tantus ho- *Transitio per renouationem attentionis.* *Quartum argumentum ab exemplis.* *Consequentia Antecedens.* *Exempla Gentilium.*

horum gloriæ flos exsurrexit, nisi è fœcundissimâ Litterarum cognitionis radice: Et si lubeat Christianorum ævum recordari, & Theologorum sacrũ ordinem considerare, quis non obstupescat ad Gregorii nomen & Basilii; ad Augustini famam & Ambrosii; ad Cypriani gloriam & Hieronymi; hos tantos talesque viros Litterarum cognitio ceteris spectabiliores effecit. Inter vero Iurisperitos, quæ nomina Dii boni: sunt Papinianus, Vlpianus, Cuiacius Duarenus, Cum hos nomino, ipsam videor Iustitiam aut Prudentiam nominare, & tamen ab his nostris studiis aliquando tantæ gloriæ suæ partem & immortalitatem acceperunt. Vbi sunt blaterones illi nostri: Vbi sunt isti Zoili, nostræ laudis invidi, veræ sapientiæ contemptores: Non murmurent, sed si audent, sermonem opponant orationi, dicantque tandem, an ergo nulla sit laus eorum omnium, quorum nomina in posteritatis memoriâ vivunt: Ecquis esse tam fatuus posset, & amens, qui paucos aliquos de fece vulgi ineptos, quam tot excellentissimos viros & ad virtutem & ad gloriam mallet imitari: Desinant, desinant aliquando gravi supercilio minitari nobis, humeros torquere, & tumido pectore sapientiam, simulare, quam nullam habent. Non inflent amplius buccas suas, ut se solos prædicent immortales; non attollent cristas suas, ut sublimi feriant sydera vertice terrarum domini: etiam à nostris studiis iter est ad immortalitatem, & flatibus invidorum longam in posteritatem deportamur. Vos vero, Benevoli AVDITORES, ab his hominibus & oculos & cogitationem avertentes, CÆSAREM Augustum, orbis amore & Monarcham suspicitote: ille quotidie vel legebat aliquid vel componebat. Imitemini Scipionem Africanum, ille inter difficillimi belli apparatus bonarum artium studia non prætermittens, crepidatus in Sicilia scholas adibat. Æmulemini Catonis Vticensis diligentiam, ille dum

Exempla Christianorum Theologorum.

Invectiva per Digressionem in contemptores litterarum.

Gendæ plicatio.

Reditus & adhortatio ad Auditores.

dum curia cogeretur, libros exspectando lectitabat: O utinam hic ardor animos quoque nostros inflãmaret? O utinam virorum talium recordatio boni sui memorem excitaret! *Optatio.*

Sed video vos exspectare, ni fallor, omnes: ut Litteras quas tantopere laudo, laudatas ab aliis fuisse declarem: & quanquam fecerim idipsum hactenus, vestræ tamen morem geram voluntati, ut quod ego facere possum, videar nunquam denegare; hoc vos mihi non denegare, ut quod oratione longa possem amplificare, verbo uno perstringam. Illud tantum dico, & honores semper maximos & præmia magnificentissima litteratis concessa fuisse: illud, inquam, tantum dico, sed sæculis præclamantibus, & contestantibus dico. Honoravit & in Callisthene & Aristotele. Litteras Alexander Magnus, qui illum famæ suæ propagatorem circumduxit; huic octingenta talenta, id est, quadringenta, & octingenta millia Philippicorum pro animalium historia dedit. Honoravit illas Hiero. Syracusanus in Archimelo poeta, cui pro octodecim versibus mille tritici modios misit Athenas. Honorauit easdem Antonius Caracalla, qui Oppiano in versus singulos aureos donavit. Quid de Cæsare dicam, qui liberalium artium doctores civitate donavit? de Scipione, qui effigiem Ennio posuit in suo monumento? de Augusto Imperatore, qui Horatii familiaritatem tantopere desiderauit? Quid commemorem Vespasianum, qui Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena constituit? Quid Antoninum Pium adducam, qui per universi regiones orbis Rhetoribus stipendia detulit & honores? Nota sunt hæc omnia; & quanta sunt tamen? Nec inferiora sunt, quæ vidit ætas nostra, & quia vidit præteribo libenter, neque hic aut magni LIPSII cultum Regibus nomen, aut TVRNEBI gloriam, aut SICONII præclarissimum decus, aut MVRETI

Transitio.

Quintum argumentũ ab honoribus & præmiis decretis.

Probatio per inductionem eorum qui litteras honorarunt.

Præteritio.

Repetitio compar. Precatio. Transitio per dissimulationem.

vocem Principibus exoptatam prædicare tentabo Adhuc ipsa recens fama nominibus illis mũdum implet; adhuc ipsi memoriæ nostræ sacrarium tenent: adhuc in manibus nostris & oculis versantur: Et iam mihi latera deficiunt, voxque viribus destituta suis omnem amittit eloquentiã, & in silentium tota cadit. Non inficior. AVDITORES, & quanquam in hoc esse laus mea nõpossit, dicam tamen, & ingenue confitebor; impar sum Orationi tantæ, in qua quo plura dico, plura video testare dicenda; & quo vehementius in portum ago remos, eo longius à portu recedo. Quid agam ergo, aut quo tandem me vertam: Non illis nubem aliquam opponam. qui clarissimum Litterarum solem maledictorum & invidiæ nebulis conantur obscurare: Non faciam, non opponam, rumpantur invidia sua, summa claritate litterarum excæcentur. Nunquam astra latratibus suis canes deiiciunt, nec ad impetum pedis unius montes cadunt: An vero ita desinam, ut litterarum dignitatem illam, quam animo meo longe ampliorem concipio, vestris animis non repræsentem: Excusate, si placet, AVDITORES, hanc imbecillitatem meam non possum, & me omnis eloquentia fugit. Vtinam vero, utinam ipsa litterarum adesset doctrina, quæ vultus sui maiestate pertraheret unumquemque, & ad verum decus aliquando suauissima hac voce sua inuitaret: O Iuuenes, ô quicunque magno estis, & excelso animo; qui præpotentem gloriosæ felicitatis viam sequimini, & excellere pulcherrimum iudicatis: huc aciem mentis obvertite; huc ad me omni cura studioque properate. Ego illa sum diuina Pallas, litterarum doctrina, quæ pristinum diuini luminis splendorem animis reduco; quæ vestros animos honestatis inflammans amore, verissimis eosdem & pretiosissimis bonis exorno. Me quondam Deus immortalis immortalibus primum & maxi-

Allegoria. Dubitatio.

Excusatio. Optatio.


Philosophia litterarum doctrina. Repetitio co[illegible]matio- nis figurata.

maximum munus in orbis nascentis origine donavit; me eximium animorum ornamentum sapientes, & quicunque benè nati coluerunt: illis ego honores maximos, divitias, immortalitatem peperi, & invidentibus hodie fatis memoriam occupant posteritatis. Illa sum ego, quæ spectabiles in Principum aulis cultores meos constituo, ut positi supra vulgi conditionem digito cęlum tangant. Et adhuc quisquam esset, O Iuvenes: O generosæ animæ: adhuc esset quisquam, qui non omni labore desiderioque properaret ad me: Nec vos, juvenes, in hunc amplexum meum opulentissimum & honorificentissimum advolaretis: Hanc vocem jucundissimam si litterarum doctrina apud vos usurparet, non audiretis: non accurreretis: imo jam audite; vocat illa: accurrite: expandit amplexum, offert osculum, unde dignitas omnis & immortalitas emanabit. Ite, Iuvenes, ad Gloriam, ad Virtutem, ad Dignitatem & si ætas efflorescit, cur desiderium langueret: Sera vox hæc nimis:

Clausula Prosopopoeia, & adhortati ad juven

O mihi præteritos referat si Iupiter annos!

Prudentium vero hoc consilium, occasionem arripere, in tempore gloriam veram nunquam repudiare. DIXI.



APPLAVSVS GRATULATORIUS,

Illustrissimo & Magnifico Domino,

D. NICOLAO SAPIEHA, Palatino Minscensi, Gubernatori Niemovoiecen. & Haynensi, Tutori suo observandissimo;

Quem offerunt:

FRIDERICUS & ALEXANDER SAPIEHA.

Palatinidæ Witepsenses.

Exordium à sententia Tertulliani. *Ratio.* *Autoritas.*

BOnorum & simul malorum intolerabilis est magnitudo, ut magnus inquit Tertullianus, Illustrissime Domine: Quemadmodum enim ingens aliqua tristitia vehementiori metu sensus nostros labefactat, ita sensum & animum excedens lætitia, sensum & animum evincit. Vere Poeta:

Attoniti stupuere animi, nec opinaq; secum
Mecum librantes inter & spem gaudia.
Vixq; sibi credunt, veluti qui noctis opaca.
Sopore pulso mane versat somnia.

Sed tamen cedit tandem hic sensuum ac mentis stupor, nec amplius ad solem caligant oculi: abit ton-

tandem nubes illa, quæ non mœroris obscuritate, sed lætitiæ radiis animum impediebat.

Ergo alacres læto testemur gaudia plausu:
Omnis exultet locus, omnis a tas
Gestiat plausu, & fremitu secundo.

Excitatio ad lætitiam.

Fatemur enim, cum te in Palatinum evectum à Rege intelleximus, & audita novæ dignitatis est fama, adeo insolita lætitia elatus est animus, ut in summa voluptate propemodum baccharetur, & in seipsum velut impar tantæ jucunditati concideret. Sed revixit tandem ab hoc somno delectabili, & qui libenter jacebat, sustulit caput, & in illam se vocem erexit lætitiæ, quam lubenter hac gratulatione profitetur. Et cur non gaudiis ingentibus exultaremus: Cur non immortaliter gauderemus, cũ illa jucundissimi nuncii fama, velut exortus sol aliquis novus, non in his orbis remoti provinciis, insolita hilaritate serenat. Tua causa, Illustrissime Domine, lætamur & si pateris, etiam nostra Palatinatus enim maximè hic Minscensis, cujus splendor & amplitudo nomen suum simul ac familiæ nostræ famam exornat, tibi delatus, familiæ nostræ relatus est: tibi datus, familiæ redditus: & brevi quidem intervallo. Postquam enim (ut ulteriores prætercam) longævus ille, & multo, quam à nobis satis laudari possit, dignior senex, PAVLVS SAPIEHA, Palatinus Novogroduen: tuus ac noster avus, illustrem illum familiæ nostræ Triumviratum feliciter instituens tres filios, omnes eodem tempore Palatinos, & summa in Senatu authoritate præstantes, speciosas nostri generis imagines reliquisset; NICOLAVS quidem Palatinus VVitebscen. Parens noster amantissimus, quem tu nobis & amore & cura repræsentas, jam vixit: at vivit adhuc, & utinam quam diutissime vigeat Solamen nostrũ; ANDREAS Palatinus Polocensis, tuus ac noster patruus; vixit & Illustrissimus parens tuus, patruus

Causa lætitiæ & magnitudo.

Apostrophe.

Annominatio.

Laus familia Sapieh: ab Avo.

Parente.

Patruo.

noster desideratissimus, DEO DATVS, Palatinus Minscensis. Cumque Prolocen. Palatinus in hodiernum usque diem sedulam Reip. gerat curam, suamque in Senatu sedem laudabiliter occupet, ceteri vero fatis concesserint; *en pro patribus nati sunt filii.* Dum enim Illustrissimus parens tuus mortalitatis onus deposuit, ac Palatinatum Minscensem reliquit, vix unus est alienæ familiæ interpositus, & tu tandem virtutis tuæ secutus omen Minscensis es Palatinus declaratus, ut scilicet agnoscant & profiteantur omnes, ipsam quodammodo dignitatem *in tuis penatibus larem posuisse, & domesticum factum esse publicum decus,* ut inquam, *currat honorum gratia per parentes, & paternis honoribus successio clara lætetur.* Sed sentio quam hæc gloriosè dicantur à nobis ad memoriam posteritatis æternam: sentio, quantam ad gloriam sese nobis campus aperirct, si ad originem familiæ SAPIEHARVM fauorabili hoc ac secundo congratulationis huius vento procederem, in qua tot illustres. Viri ac Senatores, quorum consiliis longo sæculorum decursu Patriæ Principes ac Reges sunt usi, reperirentur, atque, ut sic dicam, *ingentis huius fluminis navigabiles quoque fontes*, de quibus quicquid dixero, minus erit: sed apagesis extrema ista:

Ratio successionis in honore.

Transitio.

Allegoria.

Et genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra puto.

Vivant illi, tot tui ac nostri consanguinei in luce clarissima, fidelem Regiæ Maiestati præstent operam, admirationem omnium concitent, & demereantur amorem; tantum hic à nobis non nominentur, ubi tuæ virtutis admiratio sola satis nostros animos evincit, & dignitatis partæ lætitia iure suo gratulationem exposcit. Ite ergo *Sublime animæ pulchrumque in nomen itura.* Tu vero Illustris-

Apprecatio fausta.

Conciliatio.

Illustris. D. *per sacra Deosq; omnes, per spem surgentis Iuli*, permitte, *antequam extremũ illud plaudite dicamus, hunc pulchrum nobis furere ante furorem*. O quanta illa nunc tuæ virtutis est amplitudo! quam ampla gloriosaq; dignitatis excellentia? Tu iam inter eos beneficio Regis; meritisq; tuis existis, quibus & Regiæ Maiestatis authoritas, & Regni salus innititur. Tu iam inter eos, quos patres patriæ Polonia colit, & quorum voluntas in amore Regis sibi omnium amorem obligat, & debitum facit honorem. Tu iam, inter eos, quorum humeris, velut Atlantum quorundam universæ patriæ moles recumbit, ut vere vobis summus ille honos, summum quoq; sit onus. Vnde profecto non omnes hunc solem aspicere possunt, vel in luce caligabunt oculi; non ad hoc tantæ dignitatis fastigium aspirare possunt, aut imbecillis illos spiritus relinquet. Possunt illi tantum, *qui sapientes rerũ intelligentes, ac quorum probata cõversatio est*, ut scriptura testatur, Possunt inquam, illi. *qui testimonia probitatis singulas per ætates habent*, ut cum Platone dicam, aut si tecum, Vir Illustrissime, me loqui permittis, quorũ virt⁹ egregia, doctrina admiranda, nobilitas & autoritas eximia, probitas & integritas spectata; ut vere dici de illis vetus illa Romana lex possit *hic ordo vitiis careto, cæteris specimen esto*. Agedum vero quis in te ista requirat, quæ perfectissima in te admiratur & obstupescit? quorũ dico conscium habes nobiliũ Ordinem universum, testem Regem invictissimũ, præconem Famam æternam? Si virtutẽ quis requirat, tuo generi ac familiæ est innata, & hæreditariam à maioribus occupasti; si doctrina quæratur, ætas prima ex decursu tot regionũ, & laboribus tot exhaustis in otio litterarum hanc collegit; si Nobilitas desideretur: duplicẽ habes. Sanguinis unã à maioribus; virtutis alteram à te; si probitas desideretur,

Exclamatio

Repetitio

Quales esse debeant senatores.

Laus à virtutibus senatoriis.

Repetitio.

Compar.

Articulus.

de te mentiri fama veretur. Quæ omnia cum in te præclar ssima admirandaque id effecerunt, *ut statim adspectus à Rege statim quoque sis probatus, statim omnes omnium oculos, omnia omniũ ora ad tui admirationem erexeris*. Sed f. idem tibi ac *tuis est dignitatis, quod vitæ principium. Sæculis suis producit nobilis hæc tua familia primarios, nescit inde aliquid nasci mediocre. Tot probati quodgeniti*. Sed scil. *non crescenti tibi ordo, qui multis est, saltu quodam se tendit tua prosperitas, solaq; perfectio à te quæritur*.

Transitio. Quanquam non hunc solem tantum adoremus, etiam singulas ætatis tuæ faces atque ignis, quibus emicuisti in hoc non regno dicam, sed orbe veneremur; te ipsum inquam à puero consideremus.

Laudatio per gradus ætatis. Cum animadvertisset. Illustrissimus parens tuus singulares quasdam & raras ingenii in te dotes, quæ satis indicarent, *quicquid ingenio tuo inædificatum esset facile ferret*, statuit eum te efficere, quem regnum universum admiraretur, & amaret;

A pueritia & primis studiis. neque eorum consuetudinem est secutus *qui filios suos delegãt ad gregarios & proletarios magistros quibus rem adeo pretiosam veluti noxæ dedunt*, sed apud novos quidem, hoc tamen sæculo ingeniorum iuvenilium custores optimos, pietatis in Ecclesia litterarum in Scholis promotores vigilãtissimos, Patres Societ. IESV Palatinus ipse filium te suum Palatinum aliquando futurum instruẽdũ in Patria curavit. In eius quasi oculis adolescentibus humaniorib. litteris invigilasti, quin & ab eius ore monita salubria ac virtutem hausisti. *Sicq; tam alta virtutis saburra, tanquã Philosophia statumine firmato tuo ingenio*, vt nihil te posset *à recto mẽtis ac rationis statu deiicere aut deturbare* tandem te ex oculis suis & manũ remouit. Scilicet

ex-

excrescens iam in te virtus non latere intra domesticos parietes, sed in orbis theatrum prodire gestiebat, & quasi satis in patria didicerat, orbem universum scholam habere cupiebat. Vidisti adolescentulus Italiam, peragrasti Galliam, lustrasti Germaniam, & inde tanquam ex mercatu litterarum, linguarum, morum, tandem ad tuos literis optimis imbutus; plurimarum linguarum peritus, probis moribus instructus rediisti. Bone Deus, quæ tunc omnium voces erant: *Celsus pater, Celsus filius, Tity des melior patre.*

Epiphan. *Sententia.* *Ab Adolescentia & peregrinatione.*

Ita:

Multa viri virtus animo, multusq; recursat
Gentis honos; hærent infixi pectore vultus,
verbaq;.

Exclamatio.

Obsecro.

Quam patri blandam hæc verba faciebant iniuriam.

Applausus.

Ita, dico, speculum quoddam orbis, & cœli delicium apparebas.

Non sibi quem generum Thetys emat omnibus undis.

Sed quem sibi Rex invictissimus domi ornamentum aulæ, foris legatum adiũgeret. Possumus, illustrissime Domine, te quidem admirari, sed virtutes tuas, & torres à te præclarè gestas non possumus enumerare. Quis dicat, quæ in Aula & in oculis Regis admirantis summa industria peregisti? quis enarret, quæ in Sueciam ultra mare legatus à Rege missus negotia summa dexteritate gessisti? Quis exponat, quoties in Comitiis universi Regni Reip: totius nomine legationibus es summa tua cũ laude ac cæterorum admiratione perfunctus? Quis concipiat satis unquam, quanta æquitate, quanta denique subtilitate lites intricatissimas enodaris, cum in supremo nunc regni Poloniæ, nunc M. D: Lithuaniæ Tribunali summa cum authoritate residens magnificentissimũ nobilitatis universæ consess-

Præteritio. *A rebus præclare gestis.* *A legationibus.* *A Iustitia.*

sessum in tui unius admirationem pertrahebas Vere.vere

Pauci quos aquus amavit.
Iupiter, aut ardens evexit ab athera virtus,

Et omnino cum hæc de te dico.

Avia Pieridum peragro loca nullius ante
Trita pede.

Neque enim hominum omnium est ea summa virtute patrare, quæ facis; hominum autem omnium est te amare. Et quemadmodum Sol in omnes orbis partes suos radios effundens, & cuncta serenans, in animantibus omnibus ac rebus etiam aliis sui excitat amorem, solus tamen serenare potest & illuminare: ita virtus tua lucem suam in remotissimas orbis oras diffundens, tuis inprimis te charum efficit, & externis amicitiæ tuæ desiderium iniicit, sed tamen à te solo lux tanta procedit. Sed *conamur tenues grandia, & vereor ne laudes egregias culpa deteram ingenii.* Hoc tantum ergo dicam. Cum Regi tuo ac toti Reipub. toties esses probatus; cum apicem attigisset tua virtus, & quantum patriæ prodesse posses, nemo ignoraret, illud restabat, ut in luce parentis videreris, quem referebat; & in majorum tuorum vestigiis stares, qui à te jam tum mortui illustrarentur. Itaque Deo ac Rege statuentibus, virtute tua postulante, cunctis in universo Regno applaudentibus, senatorio ordini es adjunctus, & Palatinus Minscensis renunciatus. Quid hic dicemus? Felicemne Regem? Illi salutaria suggesturus es consilia deinceps. Felicemne Patriam? Futurus es præsidium ac dulce decus ejus. Felicemne te Palatinum? avitum familiæ tuæ ac tibi promeritum jam pridem decus obtinuisti. Omnia vere per te gaudent, & felicia sunt per te Agedum *Sic itur ad astra.* Sic per istos virtutum gradus Patet ascensus

Similitudo.

Transitio cum excusatione.

Laus à Palatini honore obtento.

Dubitatio. Repetitio. Subiectio. Precatio continens applausum

ſus ad honores. *Sic tibi Dominus dedit ſedem Patris & tui.* Sic Palatini Minſcenſis filius, patriæ virtutis imitator. Minſcenſis Palatinus eſſe debuiſti: *gratulationem.*

Aggredere & patrio rurſum te redde labori,
Nec tibi ſufficiat tranſmiſſa gloria vitæ.
Humanum curare genus, quis terminus unquam
Præſcripſit? nullas recipit Prudentia metas.
Creſcite virtutes, fœcundaq; floreat ætas,
Ingeniis patuit campus, certusq; merenti
Stat fauor, ornatur propriis Induſtria donis.

Nec plus ſperari potuit, nec ſpei reſponderi felicius Liceat ergo tibi *Annare & perennare.* Et ſi veteres. Imperatoribus ſuis apprecabantur vitam prolixam, imperium ſecurum domum tutam, exercitus fortes, populum probum, Provinciam quietam, ita tibi nos apprecamur: Vive Senator digniſſime, Vir Illuſtriſſime, Viue Deo, Regi, Patriæ. Viue familiæ tuæ, viue ſuauiſſimis Filiolis, CASIMIRO, & THOMÆ, fratribus noſtris amantiſſimis. Viue nobis patruelibus & pupillis tuis, quibus dignitate & amore es Pater, tutela patronus, authoritate propugnator, ornamentum in proſperitate, auxilium in adverſitate: & hinc quoque noſtra cauſa, in hac tanta tuæ dignitatis exultatione lætamur. *Bona apprecatio.*

Viue lumen & columen noſtrum, viue quam feliciſſime, quam diutiſſime DIXI.

* *
*

IACOBI le CONTE ATREBATENSIS *PANEGYRICVS*, Serenissimi ALBERTI ARCHIDVCIS BELGARVM PRINCIPIS.

Exordium per comparationem cũ principibus aliis.

QVod si ulla unquam ætate, *Humanissimi Auditores*, aut veteri maiorum æuo, aut hac nostra tempestate gloriosæ Principis alicuius maiestas reperta fuit, quam eloquentia sua velut quoddam æui miraculum. Illustres Oratores in cælum efferrent, talis est profecto Potentissimus Belgarum Princeps ALBERTVS, in quo tanta virtutum omnium decorumque reperitur amplitudo, ut non huius ætatis suæ tantum, sed omnium quasi temporum iure quoddam miraculum existat. Vnde etiam vix aut historicum aut Oratorem aliquẽ nostra tempora produxerunt, qui non omnem laborem atque operam in eo ponat, ut vel aliquam dignitatis ipsius & amplitudinis virtutem, vel nomen duntaxat eius admirandum suo stylo possit adumbrare; tametsi (fatendum est enim quod obscurari non potest) nullus hactenus existat, qui aut dicendo aut scribendo possit eius perfectionem adæquare. Quæ res ita meum hunc animum impellit ut cum inter tot eruditos. Illustresque viros piæ voluntatis in Principem affectum aliqua cuipiam laudatione declarare, nequaquam erubescam tantum opus aggredi, in quo si deficiam, non minus consequar, quam qui hactenus idem onus suis humeris imponentes Principem hunc tantum celebra-

Omnes Albertum laudare nolunt, non omnes possunt.

Occasio susceptæ laudationis.

'bcarunt, quos impar ingenii facultas omnem orationis copiam Principis virtutũ magnitudini sub- mittere coegit. Etquanquam illudeſſet optandum mihi, ut dum in hanc laudationem tanquam in ſacrarum imaginibus innumeris, & raris exornatum, ingredior, parem ingenii verbitatem, dicendique facultatem adferrem; ſuperſedebo tamen geſtientis animi deſiderio, & hanc inopiam meam rerum copia dicendarum ſublevabo, orationis autem humilitatem ſublimitate virtutum attollam. *Exultatio Oratoru.*

Equidem non ignoro ſplendorem perſæpe verborum rebus ipſis dignitatem adferre, ſed ſunt ita magnæ & illuſtres Principis huius virtutes, ut ſolæ non tantum ſplendeſcant, verum orationi ipſi dignitatem apportent, ut profecto ſatius ſit omnino eas admirari, quàm verbis exornare conari. Vnde vos quoque, H. Aud. non quod pro more facere poſſem, expectabitis, ut veſtrum illum honeſta verborum adulatione fauorem expoſcam, ſed audito tanti Principis noſtri nomine cogitationes ultro veſtras mihi concedetis, quas, cum univerſa complecti non poſſimus, per ſingula virtutum ornamenta, ita circumducam, ut Pietatem eius primum, deinde Temperantiam, ac tum vero Prudentiam, Fortitudinemque una mecum cognoſcatis; quibus ille virtutibus ita excellens & mirabilis vivit, ut ſi hominem eſſe fateamur, hominum tamen maximum, aut divinum appellare debeamus. *Magnitudo virtutum Principis.* *Conciliatio Orationis.* *Excurſio in laudem familiæ Auſtriacæ;*

Et quomodo non admiratione orbis univerſi concitaret ille, & cæterorum conditionem ſuperando divinitatem hic quandam participaret in terris, cuius ortum feliciſſimum domus Auſtriaca produxit vere enim ea domus illius eſt fortunata felicitas, ut plures orbi dederit heroas, quam ulla unquam optare potuiſſet; ex qua decem Imperatores trecentorum annorum intervallo prodierunt; atque ita prodierunt, ut quemadmodum, cum ab Oriente ſupra terras ſol aſcendit, omnem noctis obſcuritatem

rem illustrat, & mortalium in se oculos grata luce conuertit; ita ipsi suo in lucem communem ortu multorum regnorum atq; ipsius Imperii difficultates remouerunt, & administratione placidissima fortunatissimaque recrearunt: Quis nunc familiam illam Iuliam admiretur, ex qua sex quidem sed per adoptionem Cæsares exstiterunt? Quis alias attollat, vel duos vel tres Augustos ediderunt? magnæ illæ & admirandæ, sed hæc maior & admirabilior, in qua non adoptione raro fortunata, sed continuata sanguinis hæreditate imperia creverunt; ut omnino non ita in terris nata, verum è cœlo demissa familia Austriaca ad Imperia terrarum esse videatur. Taceo illud, quod quanquam non sciret orbis, sentiret tamen, ita hodie familiam illam Austriacam in orbe vigere, ut unica sit ac firmissima religionis Romanæ columna; ut inquam in eius stirpis umbra duntaxat securos hodie spiritus Ecclesia reducat. Quanquam non ego hic immorari, & his tantæ familiæ laudibus insistere decreui, qui ad unum heroem eius pro dignitate celebrandum par esse non possum: quapropter ad institutum laudationis accedo, & pietatem, quam vitæ suæ voluit esse fundamentum ALBERTVS, nostræ fundamentum constituam orationis. Profecto si ita Principes, Reges, & Monarchæ cæteri terrarum imperia frænans, & ex alto sublimiq; solio populis iura dictant, ut vicarii quidam in terris sint Dei, merito pietatis ardore succensi ad illum regum Regem sese rursus attollunt, & quo possunt in terris amore studioque honorem eius procurant. Atque hoc ego pietatis ardore ita Principem nostrum semper inflammatum fuisse dico, ut una pietatis in eius animo cura, curas cæteras aut post posuerit, aut amoverit omnino: Agedum enim cum in Belgium hoc nostrum ex Hispania transmissus intravit, quid cogitauit; quid aggressus est, quid aliud perfecit primo,

Comparatur familia Austriaca cum antiquis Cæsarum familiis.

Austriaca familia Ecclesiæ columna. Transitio & reditus ad propositum.

Laus à pietate.

Probatio pietatis à restaurátione religionis.

me, quam ut religio depressa erigeretur, derelicta resumeretur, male culta coleretur? Detonabant undique bellorum tempestates, sed inter has pietatis ardor feruebat, cujus ipse melius vocem, quam tubam audiebat. Exsurgebat virus illud hæreticorum, & late per Belgium universum tenebras effundebat, sed inter has tanquam astrum quoddam pietatis ejus nativæ splendor emicabat, pacis indicium, novæ spei certissimum argumentum. Ita meritissimos Ecclesiis præsules præfecit, latentes pastores revocavit, dubios ac tepidos suo exemplo confirmavit & inflammavit. Ita quidquid sacrilega impietas devastarat, magna liberalitate restauravit; quicquid insolentia belli tacentibus legibus oppresserat, insigni pietatis & justitiæ ardore reduxit. Gestiebant ejus justitiâ Civitates, pietatem sensu quodam ædes sacræ percipiebant, universa patria, quem admirari Principem suum tantum poterat, totum tamen conabatur amplecti. Atque hæc quidem sunt illa, quæ tamen Principis virtus palam in luce stupentibus omnibus ostendebat: nunc vero si ea vobis AVDITORES, aperire possem, quæ remotis arbitris ac teste Deo tantum, tacente circum aula facere consuevit, quid esset animi vobis, cum Principem vestrum ludentibus aliis aut aliud agentibus orantem, cæteris nō rare insolescentibus, depressum humi divina omnia meditantem, videretis? Occultare quidem pietatem illam suam Princeps solet, sed lucem tamen abit, erumpit quin imo ipse, ut ubi populi pietas apparet, ibi Principis virtus elucescat & exemplo præcedat. Scio, ANTONIVM Imperatorem PIVM appellavit Vetustas, & Astrææ mystam : summæ æquitatis & Religiosum, MARCVM Imperatorem est admirata, sed ipsa cæca: nunc vero quantum est illud, quod in clarissima fidei luce tempora nostra, Pium, Religiosum, Iustum Albertum proclament? Non ignoro etiam, quam ad-

Dissolutio *Amplificatio ab effectibus.*

Contentio.

Transitio.

A domesticis pietatis officiis.

Comparatio cum aliis piis principibus.

Cum Vestalibus virginibus.

admiranda Vestalium virginum vita fuerit olim; quid si vero Principis huius vitam eam esse dicam, quæ & castitatis, & religionis cultu illam Vestalium disciplinam superaret? Illæ flammam aliquam custodiebant; hic veræ pietatis ignem: Illæ castitatem servabant; hic vitæ totius integritate sanctimoniamque: illæ Vestæ cultum; hic veri Dei ac totius Religionis honorem ac fidem. Comprimat proinde vocem Satyricus, nec illud occinat in Belgio: *Exeat aula qui vult esse pius*: potius vero acclamet: *Hanc petat aulam qui vult esse pius*. Hæc enim est pietas schola quædam ubi iuvenes & viros ALBERTVS, virgines & matronas ISABELLA suis exemplis informant: hæc est Religionis Palæstra, in qua Bravium honoris ambiunt certando virtutes: hæc est castitatis domus, arx pudicitiæ, templum honoris, cura virtutis. Verum quemadmodum Sol ortus latere non potest, ita quanquam sub illustri tecto nunquam potuit tanta pietas integritasque latere: erupit in lucem vero, atque ita Romam ipsam commovit, ut amplissimum purpurati patres ALBERTO testimonium ederint, piissimumq; renuntiarint. O quanta illa vis pietatis! O quam admirabilis divini cultus splendor! Sed vos obsecro, AVDITORES, qualem igitur, & quam admirabilem Principis huius vitam esse putatis, cuius pietas præclarissimum extiterit fundamentum? Profecto si egregium ædificium ab insigni fundamento consurgit, non potest non admirabilis videri reliqua Principis vita, cuius initium omnem vincit admirationem. Quapropter minora illa relinquamus, quæ de singulari victus ipsius temperantiâ amplificare possemus: illud vero fatente veritate fateamur, nunquam illum Principum istorum probauisse vitam, qui aut in ebrietate gloriam, aut in conviviis intempestivis maiestatem ponere consueverunt. Non ignorat quippe Princeps prudentissimus, quanta mala se-cum

Contentio.

Illustratio.

Descriptio Aulæ Alberti.

Similitudo.

Communicatio cum auditorib.

Similitudo & Transitio.

Laus à Temperantia.

Præteritio Amplificatio ex contrario ab

cum crapula apportet, quæ & animi & corporis vires extinguit, privatas opes exhaurit, honorem debilitat, & famam labefactat. Sed si hanc quoque latere laudem tantam patiamur, nunquam tamen illa poterit obliterari, quam ex conjugii continentia, & inviolato thoro reportat. *effectibus ebrietatis.*

Quod enim obsecro non exemplum continentiæ huius, quam non legem sua vita Princeps edit? longum esset universa declarare, sed illud tamen dicam audacter, ita semper eum conjugii, propriique thalami legem inviolatam tenuisse, ut ne suspicionem incontinentiæ ullam malis etiam & obtrectatoribus relinquat; ut inquam de ipso mentiri fama vereatur. *Laus castitatis eius.* Laudetur Alexander Magnus: etenim meruit; quem ad violandas Darii devicti filias, nec libido, nec insolentia victoriæ pertraxit. Miraculum dixerim in hoc homine. Consecret immortalitati Scipionem continentia; omnem enim laudem evincit, qui victor Celtiberorum Principis sponsam, ne quid oculis de castitate ejus delibasse videretur, ad aspectum non admisit. *Comparatio cum castis Princip.* Extollantur quicunque alii, quorum vitam aut famam nunquam potuit luxuria labefactare; sed ita tamen extollantur, ut tuum hic decus eximium sit ALBERTE, tua laus prima, tuus in honore tanto principatus.

Tu enim quas alii libidinis occasiones ultro quærunt, superare gloriosum arbitraris: Tum non sequendam cupiditatem, sed putas refrænandam: Tu non Neronibus, Caligulis, cæteris Imperii monstris, sub quorum libidine gemuit pudicitia, similem esse te voluisti, sed superiorem, ut quod illi summa cum infamia sectati fuerunt, tu summa cum gloria vitares. *Apostrophe Repetitio. Contentio. Comparatio à dissimili.* Veruntamen animadverto, non quod ventis, sed quod flumini bus accidere solet, nobis evenire. Quemadmodum enim venti ad longinqua loca fracti debilitatique perveniunt, flumina vero, quo à fontibus lon- *Transitio per similitudinem à fluminibus ducta.*

longius recedunt, capacioribus feruntur alueis, & maiores voluunt undas: ita quo longius ab harum fonte laudem oratio nostra procedit, in altiores fluctus intrat, & in ipsum prius Oceanum expandere vela videtur. Omnino AVDITORES, multa mihi consulto sunt prætereunda, ut ad finem tandem aliquando pertingamus: & nunc quoque ad Prudentiam Principis declarandam accedo. Taceamus vero studia illa Principis, quæ in multis ac magnis artibus summa industria coluisse fertur: non dicamus, quid iam sciat, qui ne quid Principe dignum ignoraret, adolescens patefecit: illam tantum Prudentiam eius admiremur, quæ quanta sit, vivendo magis experimur, quam dicendo declarare possimus. Obsecro quæ consiliorum altitudo deesse posset illi, quem ad imperia semper maxima Hispaniarum ille Monarcha potentissimus admovit? Sileat orbis universus, & unica tantum, si possit, Lusitania loquatur. Quid dicet? Multis antea se coruscam armis, Hispaniæ tandem per ALBERTVM pacatam adhæsisse. In hac enim eius prudentia cum inveterato armorum amore decertavit; in hac consilium spirantes adhuc seditionum reliquias extinxit; in hac amor incredibilis, odium antiquum, & impacatum furorem superavit; ut profecto minime sit mirandum, si parentem illum suum Lusitania vocarit, quem postea discedentem tanto amore retinere certavit. Quanquam, quid in Provinciis illis remotis Principis prudentiam admiror, quam tu Belgium satis nunquam poteris prædicare? Opus est, Benevoli AVDITORES, ut si agnoscere prudentiam hanc tantam velitis, recordemini paulisper mecum veterem Belgii nostri statum, & tempora illa odiis incitatissima, bellis feruentissima, calamitosissima cogitatione comprehendatis. Distringebat in nos arma nobilis-

Laus à Prudentia.
Præteritio.
Probatur. Prudentia ab administratione negotiorum maximorum.
Apacificatione & gubernatione Lusitaniæ.
Repetitio.
Contentio.
Transitio.
Demonstratio Rhetor.

bilissimum Franciæ Regnum,odiis insurgebat An- *Enumeratio*
glia ipsum in se Belgium armatum erat. Quid er- *incommodo-*
go? quali tandem opus Principe fuit qui arma illa *rum.*
compesceret,odia sedaret, intestinos componeret *Dissolutio.*
tumultus;Profecto tali, cuius virtus & prudentia *Compar.*
omnibus armis odiisque maior esset; quam cum
ALBERTI Principis talem esse reducta serenitate
& altius respirante patria Belgium agnouisset, a-
gnouit simul eum se Principem habere, qui subdi-
torum vinceret amorem, ceterorum benevolen-
tiam extorqueret. Agedum vero circumspice qua
lubet,ut vel Ecclesiæ templo ingrediaris, vel Rei- *Prosopopeia*
publicæ curias ac theatra conscendas, quid est *Belgii.*
tandem,quod huius Principis prudentiam non ta-
cito sensu experiatur, vultu vero sereniore lo-
quatur? Et quid aliud loquatur, quam hoc i-
psum, quod audire iam mihi videor? Tu mihi
iustitiæ tribunal ALBERTE, tu Religionis ara, *Repetitio.*
tu consilii oraculum, prudentiæ delubrum; mo-
derationis domicilium. Tu humanitatis penu,
mansuetudinis sacrarium, fortitudinis sedes, u-
no verbo, virtutum thesaurus. O egregia laus *Metaphora.*
egregii Principis! O felici Principe felix Bel-
gium! optare potuisti ruinam, ut tanto authore
restaurareris; desiderare potuisti ab aliis rideri *Exclamatio*
quondam, ut iam ab omnibus propter hunc Prin- *Contentio.*
cipem amareris:imo velle potuisti penitus perire,
ut hic tibi princeps novus conditor ac parens fo-
ret. Veruntamen dum tantæ prudentiæ monumen- *Transitio.*
ta colligo, oberrant oculis innumera fortitudinis *Laus à forti-*
monumenta, & se ultro inserunt orationi nostræ *tudine*
sed admitto,imo sequor,nec invitus; quocumque *Dissimula-*
trahunt. Ecquis enim exitum speret, ubi tanta vir- *tio oratoria*
tutum ac laudum copia obruitur, Orator? aut
quis immorari tandem vellet, ubi exitum reperi-
re desperet: Credite vos intueri, B. AVDITORES *Demonstra-*
duo maxima regni Franciæ decora, Ambianum *tio.*

& Caietum; putatore, vos in planitie subiecta videre Ardeam & Hustum; constituite vos in littore maris nostri, & Ostendam circumspicito-

Repetitio. te: penetrate etiam cogitationibus ad Rhenum
Metaphora. usque, & Bergam aliasque civitates considerate. Hæc sunt illa propugnacula, quæ Principis nostri fulmen perhorruerunt: hæc sunt illa monumenta fortitudinis & gloriæ eius, ubi virtus immortalitatem illi iam invidia cessante parat.

Comparatio cum aliis Belgii Præfectis. Multa multi Principes in hoc Belgio sunt conati, sed quam interim parum effecerunt, aut quam multum qui bellum semper asperius reddiderunt? Sedavit bellum ALBERTVS, & pene plus effecit, quam fuerat conatus.

Peroratio. Transitio cũ dißimulatione. Defuit animus non paucis, ubi periculorum magnitudo magnitudinem animi superabat: superauit ALBERTVS pericula, & quia ipse vinci non poterat, victa tandem illa fuerunt, Non est, AVDITORES, virium nostrarum, non est huius infantiæ nostræ & imbecillitatis, quæ cogitatione & ingenio comprehendo, pari pro dignitate sermone manifestare. Et iam in me (fatebor enim) exhausta

Apostrophe. dicendi facultas, tot ac tantarum laudum ubertatem copiamque reformidat. Quid ergo? ubi exultare corroborata voce deberem, nunquid reticebo? Sed est tuarum, Invicte PRINCEPS, magni-

Concessio. tudo laudum, quæ ut ingenium superat, ita omnem vocem exhaurit. Sed non possim amplius, sim victus; certe tamen divinam in te virtutis excellentiam reticendo fatebor, quam assequi ne-

Optatio. mo dicendi possit. Quanquam ô utinam aut hic omnes Belgii Oratores, aut ipsum à sedibus suis commotum Belgium adesset, & coram illa sui Principis maiestate, serenissimoque vultu consi-

Prosopopœia Belgii continens stens, aliquam sui vocem amoris aperiret? Ita diceret opinor: O me felicem ac beatam Provinciam? ô me Belgium fortunatissimum? quid est tandem in quo mihi felicitatem maiorem

exo-

exoptem? Habeant alia Regna Reges suos hos omnes pietate vincit ALBERTVS: iactet Cæsares vetusta maiorum ætas; hos longo post se intervallo prudentissimus ALBERTVS relinquit. Glorientur Regiones aliæ in suorum Principum manu bellicosa; illæ tamen ALBERTVM meum admirari coguntur. Obstupeat orbis, si quem Principem videat insigniter continentem, obstupebit in hoc ALBERTO meo. Ille mihi conditor est, & parens, ille publicæ salutis procurator, virtutum omnium restaurator; ille, quem Imperium amat & optat, quo carere sine luctu non possum. Da igitur æterne Deus, ut tantum Principem nulla iniuria à communi bono lætitiaque depellat, & dum orbis ornamentum, diu ac incolumem superesse velis in orbe. DIXI.

figuratam et rationes repetitionem.

Repetitio. Compar.

Votum pro Principe Alberto ad Deum.

IOANNIS OVDINI

DVGNIENSIS.

Vituperatio saltationis seu tripudii.

PRæclare quondam Horatius delicium illud Mecænatis, & Romanæ fidicen lyræ, qui inter lyricos sublimi vertice vates sydera summa ferit, cum in longa tot annorum ac sæculorum revolutione hunc inesse naturæ defectum animadverteret, ut dies insequens elapsum malitia quadam superaret, commoto immortalis illius lyræ suæ plectro ita cecinit:

Exordium à sententia Horatii.

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Equidem sonus iste concitatæ lyræ fuit, sed quem profecto si oraculum edidisset, non maiori ve-

ri veritate corroboraffet, conteftante ac proclamante fæculorum omnium experientiâ, quam magiftram rerum omnium fapientes profitentur.

Probatur sententia inductione per partes singulas. Nec abire longius eft opus, tantummodo cogitatione, quicquid effe poteft circumfpiciamus. Decrevit ætas hominum & læthi tarda neceffitas corripuit gradum. Effœta tellus eft, & vix animalia parva creat, ut inquit Lucretius, quæ cuncta creauit fæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu: fortuna mutata eft, nec ita fecundis hodie ventis vela conatuum noftrorum impellit, quemadmodum maiorum vota laboresque grato in portu collocavit. Ipfa forma pulchritudinis fuæ florem amifit; vires ingenium deftituerunt excellentiores; nomen & gloriam fama reliquit; & ut altius cum Virgilio loquar, omnia fert ætas, animum quoque. Auream ætatem argentea excepit ætas, argenteam ænea commutavit, æneam ferrea peruicit, & in ferro confiftens fcelus, pudorem ac modeftiam profcripfit. Vere damnofa dies imminuit omnia: Sed tamen temperandum adhuc lachrymis & querelis noftris foret fi non etiam ea mutatio mores immutaret, relictaque modeftia paffim ad ea iuventus fe conferret, quæ maxima cum turpitudine funt coniuncta, quæque ftudio fummo maiores evitarunt.

Accedit ad propositum. Etenim ut dictionem hanc noftram ceterorum malorum enumeratione non patiar onerari, quanto ardore conatuque iuventus hac tempeftate ftudium amplectitur faltationis? huius in fcholis nefcio quibus, leges addifcit & præcepta; huic brachia, manus, pedes confecrat & inferuire facit; pro hac non modo temporis iacturam non curat, fed nec fumptibus & labori parcit. Itaque fit ut dum turpitudinem excæcata non agnofcit, amore fummo complectantur, quod odio VATINIANO profequi deberet, in eoque fibi placeat, quod difplicere poffet

ſetipſi, niſi lumen extinctum rationis foret,& iam amplius non palparet, quod videre facillimum eſſet. Sed ego cæcitati huic tantiſque tenebris lucem aliquam adferre conabor, ſi dictionem meam favore veſtro iuvare. A. AVD. velitis, efficiamq; ut quam homines illi ſaltationem honeſtiſſimam arbitrantur & deprædicant, vos audita oratione noſtra indigniſſimam homine iudicetis. Ac inprimis lubet vobiſcum hominem ipſum altius, & finem eius conſiderare. Creatus ab omnipotenti rerum omnium conditore imperator orbis homo, talem ipſum agnoſcunt univerſi, nec imperium eius animantia recuſant; cœlum erecto vultu ſpectat, & animo ſuo ſtellarum claritatem æmulatur. Ita conformare ſe contendit, quantum quidem fas eſſe poteſt, ad excellentiam maieſtatis conditoris ſui: abhorret ab eo, quod aſpectum turpitudine lædit, & animam offenſione quadam percellit; ſic ad honeſtatem dumtaxat illum Deus excitavit, & quadam præditum illi gravitate corpus eſt elargitus. Nemo eſt, quin hanc in luce palam veritatem exoſculetur. Quid ergo tandem decere minus hominem poteſt, quam ſaltationis ſtudium illud, quod omnis eſt incontinentiæ & improbitatis argumentum? Non ego hoc dico, tametſi dicam, & Marci Tullii duntaxat authoritatem amplector. Nemo, inquit, ſobrius ſaltat, niſi forte inſanit, neque in ſolitudine, neque in convivio moderato atque honeſto. Ita ſi ſaltatorem hominem aliquem appellem, dicam eundem neceſſe eſſe inſanum; & ſi ſobrium honeſtumve proclamem, ſaltauiſſe prorſus negem.

Propoſitio.

Conciliatio favoris & attentionis.

Primum Argumentum ab inhoneſto.

Antecedens de fine hominis.

Conſequens.

Probatio conſequentis ab authoritate & exemplo.

Probrum eſt quoddam ſtudium hoc ſaltandi, ut Gabinio viro Conſulari idem Orator obiectavit; nunquam hominem decere poteſt, ut in Muræna Cato quondam accuſavit, probitatem tollit, honeſtatem expellit, famam lædit, ſobrietatem

extinguit, insaniam inducit. Vnde non libere minus quam vere Demades olim, cum Philippum Macedonum Regem largius fortasse potum saltare videret cum amicis, in hanc vocem libertate quadam sermonis erupit: Cum, ô Rex, fortuna tibi Agamemnonis personam imposuerit, non pudet te factis agere Thersitem? Profecto, si saltare turpe esse potest in regibus, quorum vitia larvato sæpe vultu speciem induunt virtutum; quorum inquam, maiestas id omne sua luce obfuscat, quod reprehendere & criminari fama non mendax aliquando posset; quam erit illud idem in hominibus aliis vituperandum & detestandum? Non ignoro præclarissimam olim laudem reportasse virginitatis suæ Minyadem, Leucippem, Aristippem, Lacedæmoniensis pudicitiæ lumina quædam; sed si tamen laus ipsis aliqua major tribui potest, nonne hinc maximum illis confesemus, quod virginibus ac matronis aliis saltantibus choros ipsæ detractarunt? Et cur obsecro detractarunt? Superbius, inquiet aliquis, se gerebant, sed in pudicas superbia nulla cadit: nullum erat desiderium in illis; sed ætas tamen impellebat: Occasio nulla requirebat; imo vero sociæ provocabant, & festivitas postulabat. Cur igitur detractarunt? ne minus cominentes viderentur, quæ maritos ambirent. O si talis cogitatio Virginum nostrarum animos occuparet! ô si tantum honestatis amorem earum in animis continentia suscitaret! Sed non est earum illa conditio beata; non in hanc se virtutis societatem adjungunt, quæ tantis intervallis ab earum modestia recedunt. Illæ aspectum suum intra domesticos parietes concludebant, nostræ in publicum, in lucem, in aspectum aliorum sese effundunt: illæ saltationem ignorare volebant, nostræ eandem perdiscere laborant: illæ maritos modestia sua mereri desiderabant; nostræ mari-

A minori ad maius.

Digressio in mores virginum nostri temporis.

Comparatio ex dissimili.

ros effusa petulantia sollicitant: illæ cum æqualibus saltare recusabant, nostræ in virorum choros sese ac turbas iniciunt. Ita hæc invalescens insania mores immutavit, & quod vitium fuit olim, nunc virtutem (si esse tamen virtus potest) depravata consuetudine, facere contendit. Quanquam vero non ita disputo, ut inhonestam esse saltationem duntaxat affirmem, credite mihi, nihil est quod homine magis indignum esse possit, nisi humanitatem omnem exuerit, & conditionis immemor suæ suam vitam non agnoscat. Intellexit hoc Tiberius Imperator, & expellens civitate Romana saltatores, vetuit, ne suam artem tanquam hominibus indignissimam usquam unquam exercerent. Intellexit Domitianus itidem Imperator, & Cœlium Rufum Senatu movit, quod saltasse diceretur, quoniam saltationem hominibus honestis indecoram, & studium chorearum viro optimo indignum iudicabit. Intellexit Clysthenes, Syracusanus ille Tyrannus, qui cum Hippoclidem Tisandri filium supra mensam Laconicos Atticosque modos saltasse, cruribusque ac brachiis modulatum fuisse intellexisset: tametsi dignissimum illum inter procos iudicaret; nihilominus filiam illi suam brevi hoc, sed acuto sermone recusavit: Tisandri fili, desaltasti matrimonium, Reges & Imperatores saltationis studium improbant; nunquid erunt qui laudandum illud existimabunt? Principes omnes civitatibus suis saltatores pellunt; nunquid erunt qui reducere audebunt; Cultores eius dignitatibus suis exuuntur, & civium honestorem societate privantur; nunquid erunt, qui in eorum se societatem adiungent? Fuit hoc olim, sed cum esset in honore virtus, in pretio modestia; in votis continentia? fuit, inquam, cum non essemus, sed utinam tamen cum simus idem nos amor virtutis inflammaret. Verumtamen ne dissimulare

Secundum argumentum ab indigni-
Transitio.
Probatio ab exemplis & varia autoritate.

Amplificatio ex authoritate ducta.

lare quicquam videamur, inquiramus tandem quodnam commodum ex saltatione reportent, qui saltationis se cultores profitentur. Dicamne sapientiam hinc illos reportare? O non ita sim insipiens, ut quod mentis est insanientis argumentum, idem esse putem sapientiæ fundamentum. Dicamne ditiores hinc redire? Negabunt ipsi, & alium esse divitiarum conquirendarum laborem proclamabunt. Dicamne ad honores hinc aditum illis aperiri? Nimium videat leuis, qui levitatem istam gradum esse cogitem ad honores. Dicam tamen, non frustra laborant saltatores, & sui laboris fructum aliquem reportant. Quæritis & quem tandem? defatigationem illam in pedibus trahunt, in brachiis circumferunt, in capite detergunt, toto corpore sentiunt & ostendunt. Obsecro vos enim, quid aliud est saltatio, quam gesticulatio quædam ad tibiæ modos, defatigationem inducens? Nemini prorsus dubium erit, Benevoli AVDITORES si parumper cogitatione vestra vos in eo loco constituatis, unde cernere saltatorum turbam aliquam possitis. Longa nectitur hominum catena: consistit velut in procinctu, qui tibias inflat, aut tympanum pulsat, virgines adolescentibus, stultæ mulierculæ viris iunguntur; manus manum tenet, pes pedem sequitur, brachium brachio assurgit; nunc eunt, nunc redeunt; nunc in aerem sese tollunt, nunc descendunt: nunc ad dextram se vertunt, nunc ad sinistram se proiiciunt; in silentio circumferuntur omnes, urgent sese, stringunt, ineptiunt, & quamdiu vel lyræ vel tibiæ sonant, tamdiu manus trahunt, pedes saltant, totum corpus circumfertur. Quid, quæso, unquam absurdius aut dementius vidistis? quid aliud est quam amentiam unam amentia nova regi? Sed aiunt, voluptatem hinc se summam haurire. Lepida profecto capita, quibus

Tertium argumentum ab inutili. Dubitatio. Subiectio.

Quid sit saltatio. Amplificatio ab adiunctis & circumstantiis per descriptionem. Tripudium oculis subiectium.

Obiectio per occupationē.

bus tædium voluptas esse potest. Dicant tamen ipsi nobis: nunquid saltare nihil aliud est, quam in gyrum volui, vertiginem excitare, sine termino viam aliquam currere? nihil aliud dico, sed est indignum prorsus, hominem divina præditum mente, ita vanam quærere voluptatem, ut levi corporis agitatione recreari concupiscat. Profecto si exercitio comparanda sit voluptas, quis è tripudio quæret illam, ubi Veneris præludium, & omnis est turpitudinis auspicium quoddam? Videte quam periculosæ plenū opus aleæ tractent; videte quam incedant per ignes suppositos cineri doloso. Illic specie quadam urbanitatis virgines atteruntur: illic liberæ manus, liberi oculi, liberæ volant voces & strepitus: illic, quæ sæpe ludis additur, hostis pudicitiæ, & amica scelerum nox ipsa. Hæc omnia quid aliud esse possunt, quam libidinum stimuli, laxamenta licentiæ, impudicitiæ faces? Nolim inquirere, quæ tum eorum sint cogitationes, cum inter mulierculas istas ita ludunt, ut nihil timeant; ita loquuntur, ut pudorem relinquant; ita se gerunt ut sese non agnoscant. Nolim investigare, quid reliqui sensus agant, ubi oculos cæcus amor ducit, ubi vultum Venus inclinat, ubi manus libido regit. Vtinam falsissimum esset, quod proh dolor, nimis est verum; sæpe matronam in choreis diu servatum frustra decus perdidisse! Vtinam affirmare non possem, sæpe virgunculam infelicem ipso die nuptiali didicisse quod melius ignorasset! Sed est illud certum nimis, chorearum ludum turpitudinis ludum esse; sed est illud certius adhuc, quod Scripturarum veritas ait: In circuitu ambulant impii. Quanquam nondum hæc oratio saltatorum nostrorum animos percellit; obstrepunt rursum, & in umbra virorum illustriū rationis huius æstum vitare præsumunt. Quid ergo dicunt? Viros olim clarissimos sanctissimosq;

Quartum argumentum à periculoso. *Repetitio.* *Compar.* *Traductio.* *Metaph.* *Præteritio.* *Optatio.* *Obiectio.*

Responsio prima ad personam. saltavisse. Illudne tantum ? Non satis esse putant gestare telum, nisi vibres; Scipionem faciunt saltatorem & in chorea secum ponunt. Nondum illis respondeo, sed vellem intelligerent illi, quod quemadmodum non omne pennatum animal aquilam sequi potest, ita non omnes effingere ad plenum posse, quod imitantur. Modico vino usus est aliquando Cato, hunc homines ebriosi imitari se dicunt: multos olim suæ dextere fulmine prostravit Annibal, huic se parem arbitratur, qui prostratum jugulat latronem. Ita summorum virorum imitatio non omnibus est tuta; nec Ciceronem illum esse crediderim, qui mihi aures plaustris impleverit verborum: aut magnum Aristotelem, qui supercilium contrahendo gravique voce Sophisma contorserit. Sed ipse vocem premam, & nominibus illis pro me Seneca respondit. Scipio, inquit, triumphale illud & militare corpus movit ad numeros, non molliter se infringens, ut nunc mos est, etiam in incessu *Secundum authoritate Senecæ.* ipso ultra muliebrem mollitiem fluentibus, sed ut antiqui illi viri solebant, inter lusum ac festa tempora virilem in modum tripudiare non facturi detrimentum, etiamsi ab hostibus suis spectarentur. Quod si ita est, quidni melius erit sic instituere vitam, ut abstinentiam & gravitatem stupeant potius inimici, quam ut amici lasciviam excusent? Suadet equidem saltandum, ut Scipio, Seneca, sed nunquid salva tanti viri authoritate dicere audebo, melius ac potius saltandum omnino non esse? Nisi vos B. AVDITORES, eos esse scirem, quorum animos non eloquentiæ potestas, sed rationis *Transitio. Quintum argumentum à Levitate. Antecedens.* dignitas occuparet, novam ingrederer arenam, & solutis eloquentiæ frænis in levitatem illam excurrerem, quæ salutationis individua comes esse solet. Sed indigitare satis erit, quod amplificare nimium foret; & quanquã reticerem omnino, reti-

riceri tamen vox non poteſt Imperatoris Alberti, qui ſaltationem muliebrem eſſe ſemper dixit: reticeri non poteſt Alphonſi Regis Aragonum de Galliæ populis teſtimonium, qui leves eos potiſſimum eſſe dicebat, qui quo magis ætate provecti eſſent, eo magis ſaltationibus ſe oblectarent. Atque idem cum mulierem impudentius ſaltantem aliquando vidiſſet; Exſpectate, inquit, mox Sibylla oraculum edet. Ita ſentiebat, ſaltationem inſaniæ genus eſſe, quoniam Sibylla nonniſi furore correpta oraculum edebat. Et profecto ſi inſania quædam eſt ſaltatio, quam bene dixit aliquando Fridericus tertius, Romanorum Imperator; Malle ſe febri teneri, quam operam dari ſaltationi! Viderer aut de vobis dubitare, aut tantorum Principum authoritatem in dubium vocare, ſi curſum hic orationis pede fixo non ſuſtinerem. Quapropter dum ego ſuperſedeo plura dicere, & diutius in re vaniſſima perdere ſermonem pudet, cogitate ſi non Catonem aliquem, ut aliquem è primis naſcentis Eccleſiæ temporibus, de hac re verba apud vos habere, quibus aliis quam his vocibus uteretur? Vbi ſum, & in qua tandem terra verſor? Inter quos ago, aut quibus loqui debeo? Terram video, in qua vixi; poſteros cerno ſed an poſteros noſtros? Si temporis conſulam ætates, ſunt noſtri; ſi mores, non agnoſcunt nos majores, & modeſtiam noſtram degeneres ipſi in laſciviam converterunt. Vbi nunc honeſtatis amor? Illum amor turpitudinis extinxit: ubi dignitatis Chriſtianæ recordatio? illam memoria vanitatis obliteravit: ubi compoſita morum gravitas? illa levitas corporibus ademit: ubi nobile robur animi virtus: illam voluptas enervatrix ſuperavit. O ſi majorum recordari liceret! ô ſi meminiſſe ſtatus ſui & originis non pigeret! Non ita ſaltationis ſtudium amplecterentur, quo nihil turpius & indignius;

Probatio Antecedentis ab authoritate.

Peroratio.

Proſopopæia continens figuratam confirmationis repetitionem.

Subiectio. Repetitio. Similiter deſinens. Optatio.

non in cæci in Veneris laqueos incurrent, quos illa mediis in choreis tendit: non ita levitatem amarent & insaniam, quam unica saltatio producit. Viveremus maiores in nepotibus nostris, dum in illis nostra modestia vigeret; nostra rursum esset ætas, dum nostri rursum mores regnarent: nostri essent posteri, atque utinam esse vellent? Plura dicerem, si dicentem fas audire talem esset: plura vero nequeo referre; sed in hoc tantum concludo dictionem omnem. Virtutum est custos omnium modestia, quam exornat verecundia, gravitas morum. Ita igitur vitæ nostræ rationes instituamus, ut modesti simus, ut graves, ut quam virtutis inimicam saltationem esse non ignoramus, nunquam amemus. DIXI.

Clausula Prosopopaia.

Dehortatio.

JOAN. FRANCISCI GODIEN. Mechliniensis.

LAVDATIO DIVI ANTONI, *Collegii Porcensis Patroni.*

ADmirandas magnetis vires nunquam orbis satis obstupescit, cum illam rerum omnium domitricem materiam, ferrum dico, velut suam destitutum gravitate, & immensi ponderis immemor attolli cernit; & leviter magnetis attactu percussum subsequi per auras animadvertit. Neque minori perculsus admiratione stupefactisque sensibus hæret, cum invictum adamantem superato flammantis ignis ardore, fracto ferri impetu, & alterius cuiuscunque mollis vi repulsa; tandem hircino sanguine vinci vides

Exordium à secretis naturæ miraculis in magnete.

In Adamante.

In Sole semen in her-

videt & immoliri. Illud quoq; miraculi magnitudine peruincit admirationem, quod calefactum in visceribus terræ semen sua virtute sol educit in herbam, & eandem in luce palam pubescentem benigno radiorum aspectu, & protegente nonnunquam umbra perducit ad maturitatem. Adeo profecto, ut secretam esse vim quandam in sole non immerito. Natura fateatur, quam cum ipse in herbam suam, Heliotropion, infundit, eius ad se quaqua versus orbis ambitum perlustrat illustrando, faciem attrahit ac convertit. Atque hæc ita naturam hærentem euincunt, ut vincantur & hæreant ipsa, cum mentem divinæ recordatio vocis occupavit; cuius ea vis ac potestas est tanta, ut non ferrum sursum trahat, non emolliat adamantem, non emortuum in terra semen ad frugem educat, (hæc est enim, quanquam admiranda, naturæ potestas) sed invictum hominis animum, hominem, inquam, ipsum, alterum mundi DEVM trahat, emolliat, in seipsum convertat. Intonuit vox illa, cum rudem illum & imbecillem piscatorem Petrum, terræ Principem, Dei Vicarium ac Quæstorem effecit. Transuerberauit vox illa medullitus furentem Saulum, cum illum Paulum reddidit, mitissimum agnum, vas electionis & orbis Doctorem. Sauciavit vox illa adolescentem Antonium beatissimo vulnere, unde non sanguis, sed salus, & in salute sanctitas admiranda promanavit. Quamobrem cum ab hac tantæ potestatis voce & Evangelii resonante tuba succedentis vitæ cursum incœperit Patronus ille, cuius hodie dignitati prædicandæ seruire vox nostra debet, ab hac quoque dictionis nostræ cursum inchoemus, cuius exitum fortunatum arbitrabor futurum, si tua Venerabilis Domine Regens humanitas, vestra Honorandi Domini Professores ac Magistri benevolentia hanc mihi

bam educens.

In Heliotropio.

Maior tamē vis divinæ vocis.

Ratio: quia vincit hominem ipsum. Vicit D. Petrum. Vicit D. Paulum. Vicit D. Antoniū.

Propositio.

Captatio benevolentiæ & attentionis.

mihi veniam concedat, & ut in vestra attentione Rhetorum officium hodierna die tenuitate dictionis huius absoluam, quam ingredior, ut attentione vestra, Bene nati Iuvenes non parum sentiam & alacritatis mihi & facultatis ad dicendum evenire. Anaxagoras vir olim prudentissimus

Confirmatio.

cum hominem terræ dominum erecto vultu & ore sublimi formatum intueretur, natum se gloriabatur ut cælum non terram spectaret, & in-

Compar. cũ Anaxagora

tendens cælo digitum hanc se patriam curare proclamabat. Egregia profecto superbia, si non digitum sed animum cœlo intendisset, quem acceperat è cælo, Glorietur vero & superbiat meliori iure Beatissimus Antonius, qui non spectare cælum, sed intrare, non curare tantum, sed occu-

Amplificatio à remotione causarum.

pare contendit; neque ita missionem obtinuit à seipso, ut aut illum Magni Alexandri imago visa permoveret ingemiscentem, aut erecta Miltiadis trophæa noctu vigilantem ad æmulationem virtutis excitarent: neque enim qui æternitatis studium est ingressus, aut inani blandientis rumo-

Vera causa.

ris aura, aut caduco brevissimæ virtutis bravio recreatur; sed illum dignitatis humanæ naturæ cogitatio, cælestis originis recordatio, divinæ vocis impetus in arenam pertraxit, non quietis, sed

Contentio seu Contraposita Metaphora.

molestiæ, non voluptatis, sed certaminis, ubi non adulantes amici, sed dæmones insultantes, non Venus ad amplexum invitans, non in floribus rosisque voluptas otiosa iacens, non erectis crispata comis, superbia, non ad mensas, gula decumbens, non sordida thesauris indormiens auaritia: quid ergo? dura austeritas, sed quæ vinci

Subiectio.

posset; languens & exhausta fames, sed quæ nunquam animum exhauriret; sitis arida, sed ex qua mens effloreret; continentia, sed quæ voluptatibus iucundissimis impleret; paupertas, sed quæ redderet opulentum, contemptus & abiectio, sed quæ nobilem efficeret & in regem exaltaret

Patet. In hanc ergo descendit arenam, non.

Cum tuba terribilem sonitum dedit ære canoro. Sed *Conversio*
cum illa vox Evangelii curiosis auribus insonu- *D. Antonii.*
isset: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes & da pauperibus,* O generosum bellatorem! ô vere Cælestem Herculem! Quid non ille candidatus animi feruor, quid non illa animosa vo- *Exclamatio.*
luntas potuit perpetrare? quas non addidit vox illa virtutis vires, quas non gloriæ faces succendit? *Dialogysmus*
Vnde, inquit, vox divina; vadit, evolat, erumpit *seu interru-*
è mundo, nec oculos retorquens usquam sequitur *pta prosopopæ-*
vocantem: Vnde omnia quæ habes, vox ingemi- *ia laus à con-*
nat diuina: jam illi omnia displicebant, & tædio- *temptu*
sam satietatem cœlos animus anhelans respuebat: *mundi.*
vendit omnia, & omnia elargitur. Da pauperibus, vox ait; illos in fratres & amicos jam amplectebatur, jam exosculabatur. O intrepidum & *Exclamatio.*
constantem adolescentem! Itane vero nulla consilia sumis. Antoni, & unius vocis, excitatus au- *Apostrophe.*
dacissime te tuis exuis opibus, & in desertam desertus ipse contendis eremum? Hoc opus, hic labor erit; ecce Antoni abblanditur voluptas, & te *Iterum Dia-*
revocat abeuntem, voluptatem, inquit, dolore re- *logismus.*
pellam: retrahit cupiditate sua in opes avaritia; *Contentio.*
avaritiam, inquit, paupertate compescam: retardat splendore generis & nominis claritate superbia; superbiam, inquit, nemorum obscuritate & antrorum austeritate calcabo. Illud scio. *Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur. At bene qui latuit, bene vixit.* Nihil est quod abeuntem *Articulus.*
aut avocare, aut retardare, aut deterrere queat. Et quanquam suavissimum soror aspectum oponeret discedenti, sparsis etiam in humeros capillis, turbato & aperto pectore, fluentibus in vultum lachrymis, voce singultibus *Hypotyposis.*
crebris impedita fractaque rogaret, instaret,

vim-

Prosopopæia qua D. Antonius valedicit mundo & sorori suæ ciret; vicit tamen vincientem, & expediens his affectibus voluntatem, iam iamque ingressus iter, Valeant inquit, valeant opes, valeat mundus, & quæ sinu fovent blandimenta voluptatum, quos nutrit splendoribus honores, quam fucatam proponit felicitatem suis donet alumnis; tuos ego sequor hortatus immortalis cæli Princeps, & avaram vocantis orbis opulentiam aspernor. Quid vero defles ô soror, non est deflenda salus sed perditio; *Apostrophe ad sororem.* non est retinendus in morte, qui ad vitam contendit abire. Qui urges? si lacrymaris, imperat Deus; si fratrem appellas, servum; imo filium vocat Deus; & nunquid est major sorore Deus? *Contentio. Exclamatio.* O quanta B. AVDITORES, quanta hic sunt & quam præclara futuræ sanctitatis rudimenta? quam firmá & quam excellenter jacta futuræ quondam immortalitatis & gloriæ fundamenta? Et quas obsecro non victorias sibi polliceri, quos non sperare triumphos potuisset ille, qui de seipso jam in animo suo trophæum erexerat, braviumque reportarat; *Compar. à simili.* Revocare si lubet in memoriam quod vel audivistis, vel ipsi legistis aliquando de Postumio dictatore, qui ut eo ferventius militum animos inflammaret ad pugnam, te quanquam desperata pene, in medios hostes signa jaculatus est, & detractis equorum frænis, ita militem in hostem animavit, ut non signa modo sed victoriam prostrato reportaret hoste. *Applicatio.* Eodem plane modo hic Athleta Christi generosissimus, dum mundi repudiatis opibus, frænatoque carnis appetitu perardua virtutis arma in se bella moveret, plenus animo forti, plenus erecta spe in medias sese coniecit austeritates, unde victoriam prostratis mundo, dæmone, carne reportavit. *Transitio.* Et nunquam jam in eam sim orationis partem procedente sermone delapsus, in qua mihi tanti bellatoris exponendæ pugnæ forent, victoriæque; prædicandæ, quis

est

est tamen qui id assecuturum se speret orando, quis ille divinus Heros non nisi cælesti corroboratus auxilio ad omnem posteritatis admirationem memoriamque perpetravit? Si vitam eius ieiunium fuisse quoddam affirmem austerum & perpetuum, parum adhuc eius laudem attingam sed quæ tamen idipsum oratio pro dignitate satis explicabit? Si humilitatem eius non humili sed elato sermone proponam; quantam obsecro rem dicam? maximam certe, atque illam, quæ cum omnes nefariorum spirituum artes infringat, & per obstantes dæmonum cuneos laqueosque penetret in cælum, nulla potest humana voce satis aperiri: & tamen illam aperiendo, adhuc in tantæ gloriæ fundamento sermonem omnem consumam. Nunc vero si gravissimas cum dæmonibus pugnas sæpius initas, semper confectas aggrediar, qua tandem uti voce me decebit? Sed quemadmodum pictores unius corpus dumtaxat integrum ostendunt, cæterorum capita tantum adumbrant; ita ego pugnam unam dabo, cæteras vobisrum cogitabo. Irruerant vice quadam dæmones in illum, ut insanam suam in eo lacerando crudelitatem defatigarent: jacebat ille media in sylua, prona erat in terram facies turgebant verberibus mẽbra, ex oculis, invito tamen animo, lacrymas dolor eliciebat, & ex multis fœde laceratis partibus sanctissima cruor membra commaculabat. Vix respirabant cruciando lassari dæmones, ipse etiam vix anhelitum trahebat laceratus, & quæ supererat in sanguine turbato anima vix parvas vitæ reliquias fovebat, immota tamen & invicta. Obsecro quis illum ita iacentem si adfuisset, sine lacrymis; ita laceratum sine eiulato; ita pene mortuum sine conquestione siccus ipse conspexisset? Aderat spectaculo tanto Christus, & si lacrymari fas adhuc Deum esset, lacrymatus credo fuisset: & nunquid hominum animos dolor exhausisse? nunquid

Laus ab abstinentia.

Ab humilitate.

Subiectio.

A pugnis cũ dæmonibus.

Similitudo.

Descriptio pugnæ cum dæmonibus.

Communicatio.

terro-

terrorem imprimens crudelitas animos immutaſſet? Antonius ipſe non queritur, dolere ſe non vult, corona premit vulnera, palma ſanguinem obſcurat, quod plus victoriarum eſt, quàm iniu-
Sententia. riarum. Ita ſcilicet magnanimi Athlethæ eſt, cædi
Simile. & vincere. Ita non eſt arbor ſolida nec fortis niſi in quam virtus incurſat, ipſæ enim vexatione conſtringitur, & radices altius figit. Ita multum
Aliud. ſibi adiicit virtus laceſſita: quo ſæpius canduit ferrum, durius eſt; nec radices agit altas ſeges,
Tranſitio. niſi quam alta quoque nix oppreſſit. Atque hæc dum ita extollo maxima, propriæ conſcius imbecillitatis maiora relinquo. Quid enim hic di-
Præteritio. cam dæmones in omnem ſeſe formam transformaſſe, leopardos factos, leones, tauros, lupos, ſerpentes, urſos, ſcorpiones, ut nobilem hunc Athletam ab arena virtutis auocarent aut deterrerent? Sed erat ille firmiſſimo ſanctitatis muro circum-
Optimũ pro ſeptus: & vere, *Hic murus aheneus eſt, Nil con-*
pugnaculum *ſcire ſibi nulla palleſcere culpa.* Quid dicam
innocentia. eum ita vixiſſe, ut ab omnibus quæreretur, ipſe
Contentio omnibus prodeſſe; ut undique vexaretur, ipſe
Diſiunctio creſceret vexatione; ut apud omnes honorare-
Compar. tur, ipſe honores aſpernaretur? Quid dicam?
Repetitio. ſermone conſolabatur, opere iuvabat, exemplo convertebat, doctrina erudiebat, precibus defendebat. Illum quæritabant Imperatores, & eius litteris erudiebantur, ut maior Imperatoribus vi-
Antonius deretur, qui ſibi ſoli poſſet imperare. Illum in-
vulgo vir tueri, ſequi, compellare glorioſum erat & ſaluta-
divinus. re, ut vere viſum divinum vulgo nominarent, qui relictis omnibus ac ſeipſo maior Deum totum poſſideret. Et quomodo Deum totum poſſideret? qui ſcilicet ſeipſum ſuperarat, ut iam nihil
Digreſſio niſi Deum ipſum occupare reſtaret. Quam multi
brevis. ſunt, qui equum agitare norunt, cohibere iam ignorant? quam multi ſunt, qui gladios expediuri

rotant,

rotant, ab unica victi cupiditate rotantur? quam multi sunt, qui natando flumina superant? in luxuriæ submersi pelago superantur: Ita non in robore corporis aut nationibus subiugandis, sed in affectibus animi domandis vera fortitudo, vera victoria, veræ gloria virtutis consistit Quam victoriam cum reportarit B. Antonius, & iam in hominum admiratione, in Angelorum applausu, in Divinæ Maiestatis amplexu triumphet & exultet ita illi congratulemur, B. AVDITORES, ut simul imitemur. Si alacritatem adferre solet generositas & præstantia Ducis, Ducem illum habemus, quem cum orbis universus admiraretur, dæmones omnes reformidabant. Si imbecillitas naturæ debilitare solet animum, corroborare possumus illum cognitione viri illius confirmati, qui cum nobis per naturam similis esset, per virtutem Divis omnibus est adæquatus. Si generosæ cogitationis impetu nos efferre supra cœlos, & in patriã illam nostram redire anhelemus; eius vitam imitemur, qui cum esset corpore in terris, animo vivebat in cælis, atque idcirco nunc quoque triumphat in cœlis. Sed ego triumphum. Illum poetæ decantandum relinquo, & in hoc tantum oratoris officium concludo. Pulchre Antonii festum celebraverimus, si vitam eius imitati fuerimus. DIXI.

Peroratio.

Excitatio ad imitationem D. Antonii.

Causa imitationis Remotio impedimentorum

Bene Divi festum celebrat, qui Divum imitatur.

PETRI PANGRÆT
LOVANIENSIS.

Laudatio Auri.

QVam varii hominum omnium sint sensus ac voluntates, quibus animi nunc oblectantur, nunc torquentur, satis hominum omni ætate degentium vota declarant.

Exordium à variis hominum votis.

Cæ-

Augusti, Cæsar Augustus, ille omnium Imperatorum vere decus, quem aliquando Roma aut non natum, aut non mortuum optavit, magno excelsæ mentis ardore, quo ad Augustam summi Imperatoris perfectionem adspirabat, tria à Diis immortalibus precari solebat, Scipionis fortitudinem, Pompeii benevolentiam, Cæsaris fortunam. Huius in imperio, non in gloria aut fama successor *Tiberii.* Tiberius amplius aliquid fortasse voto, quàm animo complectens, vivere tantisper optabat, dum Reipublicæ prodesset. Ille vero ex omnium colluuione scelerum conflatus *Caligulæ.* Imperator Caligula, quoniam hominum odiis alebatur, cadaverum odore pascebatur, sola crudelitate delectabatur, incendia, stragem sanguinem effusum, & publicam semper aliquam calamitatem optabat. Ita diversi hominum affectus diversas animos in vota compellunt. Et quoniam longum esset singulos evocare, in omnibus etiam immorari velle dicam quod omnibus *Midæ & hoc probatur.* non alienum à vero videri potest, hominum omnium vota Regem aliquando Phrygum Midam suo voto superasse qui cum hospitio Bacchum excepisset, precatus est à Diis immortalibus & optavit, ut quicquid corpore contigisset, in aurum *Ratio.* converteretur. Nam si qui aurū possidet, possidere omnia credatur, profecto iam omnia optasse videtur, qui nō hominis alicui' vires, aut benevolentiam, aut fortunam non imperia, non opes ingentes, non admirabilem in hominum admiratione prudentiam, sed aurum tantum optavit. Ita prudentissimus & alta quadam mente præditus Rex ille, quicquid homines cogitatione comminisci, voluntate appetere, votis optare possunt, quicquid inops hominum vita desiderare, largiri Deus, fortuna indulgere potest, uno illo voto suo ac vix uno est cōplexus. Siquidē & fateri nos necessitas nostra cogit & veritas proclamare, auro nihil utilius ad omnem

vitæ

vitæ occasionem reperiri. Quæ res quoque hodierna die nostrum eo affectum impellit, ut quoniam mihi in hoc vestro concessu provinciam aliquam oratoriam ingredi demandatum est, auri laudibus stylum omnem & velim & debeam consecrare. Atque utinam ea mihi felix fortuna contigisset, ut dum auri laudes prosequor oratione, aurea quadam apud vos eloquentia, aureo verborum flumine ac sententiarum uti possem! sed quoniam in hac infantia nostra & eloquentiæ tyrocinio facilius optare quidvis licet quam assequi, nec sperare possumus in hac imbecillitate, quod vix ulli post exantlatos labores innumeros est concessum, vestrum erit. *Ornatissimi Domini Humanissimi Iuvenes*, eo maiori benevolentia attentioneque mihi iam adesse, de ea re dicenti apud vos quam vos ipsi nunquam odisse potestis. Quid ergo, laudandum aurum dico: quamobrem vero? quia nihil auro potentius, nihil honestius, nihil utilius, nihil in omni vita iucundius, qui respirare, vivere, ac omnino esse sine auro non possumus. Inter res illas, quarum exhorrescere vim ac potentiam homines solent, arma inprimis recensemus, quorum fulgor oculos perstringit; fulmen animos exhaurit, vis horrenda non raro prosternit: quæ munitissimas urbes evertunt, regna & provincias potentissimas vastant ac depopulantur, Reges orbis & Monarchas concutiunt, vinciunt, premunt: Nunquid

Aditus ad hanc orationem.

Optatio & Conciliatio auditoru.

Propositio cum partitione.

Confirmatio.

1. Argumentum à vi & potentia auri.

Probatur comparatione 1. cum armis quia vincit arma.

> *Aurum bella gerit, mucronibus imperat aurum?*

Compar.
Disiunctio.
Subiectio.
Vicit bella.
Testimonium oraculi.

Ingruitne tempestas horrenda belli & armatus hostis ad pugnam, ad stragem, ad incendia, ad mortes innumeras provocat? Audi oraculum, Argenteis hastis confligito, & omnia vinces: ita quondam Philippo Macedoni respondit Apollo,

Vincit Vrbes munitissimas. cum expugnare Græciam meditaretur. Posita fortassis arx in rupe tuas minas irridet, tuas copias illudit, imo etiam gravibus armis & velut fulmine quodam desuper intonat ? Onustus auro in arcem asellus ascendat, & expugnabis. Ita fassus est Philippus ille expugnari castra omnia posse, in quæ Asellus onustus auro posset ascendere. Scilicet.

Testimonium Horatii.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo.

2. Cum Diis, quos vicit. Scio eam omnium ætatum religionem fuisse, ut Diis immortalibus omnipotentiam homines mortales attribuerent ; quod ipsum fateri pietatis est, differt impudentiæ. Quid deinde ? Nunquid

Præteritio.

——— Superi flectuntur ab auro,
Gaudet & aurato Iuppiter ipse thoro ?

Vincit hominum animos Quanquam nihil dixero, non arma, non urbes, non saxa, non res alias maximas durissimasque superet aurum, at hominum animos evincit, corda subiicit, mentes frænat & regit. Ita quos expugnare ferrum non potest, aurum expugnat : qui nullo frangi cruciatu possunt, auro flectuntur : quorum fides nullis armis concurritur, eorum animus auro quassatur. Iam ergo nihil est in hoc ambitu rerum omnium, quod potentia certet cum auro : quid si nihil quoque, quod cum eodem certet honestate ? videre templa, considerate etiam templorum ornamenta, unde illa nisi ab auro ? verissime Poeta :

Similiter desinens. Conclusio & Transitio.

2. Argumentum ab honesto.

1. Templa ornantur auro.

Templa micant auro, radiatq; altaribus aurum.
Auro certa fides, perpetuumq; decus.

2. Capitolium olim.

Auro Romulei redimunt Capitolia Patres,
Parent victa auro sidera, terra, fretum.

Et

Et obſecro quis templorum religionem vene- *Repetitio.*
raretur, quis ſanctitatem in iis profiteretur, quis *Disiunctio*
ullo pietatis affectu excitaretur, ſi nullum in tem- *ſimiliter de-*
plis parietes aurum oſtentarent? ſi divorum effi- *ſinens.*
gies non auro veſtirentur? ſi altaria, ſi ſacra vaſa,
ſi cætera ſanctiſſimæ religionis inſtrumenta non
auro conſtarent? Ille, ille radians ab auro fulgor
divinitatem quandam indicat præſentem, & dum
oculos illuſtri lumine perſtringit, animos evocat, *3. Palatio.*
atque erigit in Deum. Videte nunc palatia Re-
gum, ſceptra, diademata, conclavia, thronum, au-
læa, quid eſt hic, quod non aurum ſit, totum?
Rideremus Cæſarum ſolia, niſi auro ſuo Cæſares *Disiunctio*
ſuos complecterentur; vileſcerent apud nos diade- *Compar.*
mata, niſi auream in nos lucem ab excelſis illis
verticibus reverberarent: omnino ſceptra non
timeremus, niſi illis aurum adderet auctoritatem.
Omnia aurum illuſtrat, omnia aurum amare facit, *Repetitio.*
omnia aurum ſerenat. Et quemadmodum cum *Illuſtratio*
ſuis radiis ſol terram ab alto illuſtrat, propius ad *per ſimilitu-*
nos accedens, omnia lætari & quodammodo ride- *dinem.*
re viderentur, virentes apparent herbæ, redolent
amœniſſimi flores, ſuaviſſimi fructus emergunt *Propoſitio.*
& oſtenduntur; cum occidit vero cœleſtis ille
fulgor, aut intra nubem vultum abſcondit, ſuis
omnibus ornamentis ſpoliari terra, herbæ exa-
reſcere, omnia quodammodo ſtatim exanimari
videntur: ita omnino cum abeſt aurum, pal-
lent omnia & vileſcunt; at ubi ſplendor eius *Redditio.*
affulſit, & propius vilibus etiam rebus adhæ- *Admiratio.*
ret, Dii boni! ut aſpicientium in ſe oculos re-
flectit? ut admirantium animos exhaurit? ut *Similiter*
maieſtatem rebus addit, & quandam conci- *deſinens.*
liat venerationem! Nolo cogitationibus ve-
ſtris aburi, honorandi AVDITORES, ſed tamen
ſi mirari forte nonnunquam ſoletis, unde tantus
tam variis in rebus ſplendor paſſim effulgeat,
credite totum eſt ab auro. Vt ſeſe vel in nodulo

C tan-

Amplificatio ab adiunctu & enumeratione. tantum aureo jactitat puer; ut in sertis & redimiculis, in cingulis etiam aliquo auro vestitis exultant adultiores; ut sibi matronæ nobiles applaudunt, cum vel monile vel auream catenam, vel annulos aureos efferre possunt in lucem! propter aurum specula petuntur: propter aurum loca publica cœtusque hominum amantur: quia ab auro omnis elegantia omnis splendor, omnis apparatus.

Repetitio.

Transitio. *3. Argumentum ab utili.* *Probatur comparatione cum rebus aliis utilibus.* Veruntamen sit mihi jam cum iis sermo, qui cum ament quidem honestatem, amplius tamen aliquem fructum quærunt & utilitatem. Ac inprimis ab illis ita quæro, quidquamne in hac omnium abundantia rerum utilius esse possit, quam vel sanguis, quo constamus & augemus; vel anima qua vigemus, sentimus, intelligimus? Timotheus pecunias atque aurum sanguinem animamque mortalibus esse dicebat, quibus qui careat, mortuus inter vivos agat. Et verè id Iulius Cæsar agnovit, qui potentiam non fundorum possessione, non amicorum copia, non iteratis Magistratibus, sed auro militibusque parari dixit. Est, est omnino vitæ nostræ sanguis aurum, est anima illa, sine qua non respiramus, est ille thesaurus ingens, quo efficere omnia, teste Tullio, valemus. Quid obsecro desiderare inprimis in hac vita debemus? Credo ut amicos habeamus, quorum consuetudine nihil in vita iucundius esse potest; at si Sophoclem audiamus, conciliat hominibus amicos aurum. Desideratne uxorem aliquis nobilem, divitem, formosam? cum Euripide dicam:

Aurum anima mortalium est.

Testimonium Cæsaris.

Repetitio. *Conduplicatio.*

Subiectio. *Auri commoda.*

Aurum dat uxorem.

Vxorem cum dote, fidemq; & amicos,
Et genus & formam regina pecunia donat.

Dat honores. Ambit aliquis honores & Magistratus? ecce illi suffragabitur aurum; *auro venduntur honores.* Non in Reipublicæ subselliis sedent egeni,

ni, sed opulenti; non tribunalia premunt; quibus in arca nullum æs quiescit, sed quorum aurum alios deterret; non imperant aliis angustioris fortunæ homines, sed quos aurum supra cæteros attollit. Quid dicam amplius, nisi cum Euripide exclamem: O aurum quam ingens generis humani bonum es! sine te culina friget, per te vero laute epulamur, sine te sordescimus nobis, per te vero magnifice vestimur; cum te non habemus, supplices aduoluimur genibus aliorum; at te cum possimus, lacrymas aliorum lædi videmus: cum loculos nostros deseruisti, deserunt nos simul amici; sed te cum recepto turgescunt, stipamur undique, & salutamur. Te persequuntur sagacinare mercatores, tibi laborant opifices, tibi famulantur serui, tibi milites arma ferunt, tibi remis ac velis maria nautæ solicitãt, tibi pulpita ingenti voce allatrant Sapientes tibi custodias agunt & soliciti sunt auari, tu misericordiam Iudicibus infundis tu diligentiam Advocatis & industriam acuis; tu pedibus nunciorum alas addis. Quid omnia dico? tu omnia facis, & es omnia. Credite mihi AVDITORES, difficillimum est laudare quod laudari satis nunquã potest, nihil tamen video adhuc dixisse, nisi vobis non invitis affirmẽ, nihil auri possessione iucundius reperiri. Non hic quicquã confingo, nec abblandior auro. Nunquid enim illa iucunditatem adferre summam & voluptatem in vita solent, quæ cum à nobis recesserunt aut perierunt, perturbamur, & ingenti luctu confundimur? nemo siccus parentum funera conspicit, qui iucunda sine iis esse vita non potest, nemo nisi plorans dimittit amicos, quia grata est nobis consuetudo amicorum. Quid si vero profusis lacrymis ingentique dolore ploratur aurum? nolite hic simulationem aliquam suspicari, namque non mentiente Poeta;

Amplificatio per contentionem.
Exclamatio
Apostrophe ad aurum & amplificatio ab effectibus.
Traductio
Compar.
Subiectio.
Similiter desinens.

Testimoniū. *Ploratur lacrymis amissa pecunia veris,*

Imo

Et maiore domus gemitu, maiore tumultu

Optatio. *Plorantur nummi, quam funera.*

O si videre hic possetis mercatorem aliquem, cuius ex arca profunde sepulta nocturni fures surripuerunt aurum! cerneretis perennes ex oculis lacrymas abire, audiretis aliquando eiulantē ingenti voce, aliquando suspiriis vocem abrumpi; videretis tunsiones mille pectoris, lacerationes vultus capitis concussiones: miraremini nunc ardescentem ira ac furore, nunc desperantem, pallidoque vultu in mortem concidentem. Quamobrem vero? nisi quia rem sibi uxore, liberis, vita sua iucundiorem, aurum suum amisisset: ô si etiam conspicere possetis, quem dicam? Midamne aliquem qui omnia suo attactu in aurum convertebat? nimia est voluptas illa. Divitemne aliquem loculis suis & cistis incubantem? sed ille lætitiam animo sinuque concludit. Caligulamne Imperatorem? utinam illum nudis pedibus supra auri acervos ambulantem cerneretis, quanta suauitas in attactu? quanta iucunditas in aspectu? non se capiebat Imperator, ac tum prius se Cæsarem Romanum agnoscebat, cum pedibus aurum calcaret. Illa est ab auro voluptas, quæ manum ipsam titillat, cum ostensum ab aliis aurum vel attingere tantum desideramus, quæ oculos nostros aut erigit aut flectit, ut videre cupiamus, quicquid auri tinnitum, vel auri fulgorem emittit; quæ tacitis sensibus nostris animos in amabile votum impellit, ut aurum sæpenumero possidere optemus, & eos dumtaxat felices, qui auro potiuntur, exclamemus. Sint ergo grati Parentes, gratius est aurum: sint amici iucundi, iucundius est aurum, illi ut simus & vivamus efficiunt; at ut laute & splendide vivamus efficit au-

Hypotyposis.

Optatio cū dissimulatione.

Sustentatio. Subiectio. Repetitio. Similiter cadens.

Comparatio repetita per contentionē.

aurum, illi in prima duntaxat ætate adſunt, at vero uſque ad mortem remanet aurum. Quanquam eſto, nulla vis ſit auri, nulla honeſtas, nulla utilitas, nulla iucunditas, quid ſi ita neceſſarium eſt, ut ſine eo non tantum non bene vivere, ſed ne viuere poſſimus? erigite animos, & quæ dicam, altiori mente percipitote. Quid eſt quod ingeniis alas addit? aurum opinor. Quod eſt præcipuarum inſtrumentum ac materies virtutum? aurum omnes affirmant. Nemo liberalis, nemo magnificus ſine auro. Et vere Poeta: *Tranſitio per conceſſionem 5 Argumentum à neceſſario. Renovatio attentionis Subiectio. Complexio.*

——*omnis enim res,*
Virtus, fama, decus, divina, humanaq; pulchris
Divitiis parent; quas qui contraxerit, ille
Clarus erit, iuſtus, fortis, ſapiens, etiam Rex,
Et quicquid volet. *Teſtimoniũ.*

Sileant nunc, & fatui lateant in obſcuritate ſæculorum, qui aurum imprudentes aliquando contempſerunt. Per me licet, aſſet & comedat ad forum rapas Curius ille Romanus, dum aurum ſuum Samnites reportant. Remittat ſua talenta Polycrati Samio Anacreon, abiiciat ſuum aurum in mare Democritus. Rideant divitias omnes atque aurum torvæ illius antiquitatis Philoſophi: melius hodie ſapientes noſtri ſapiunt; illi eiectum aurum excipiunt, apud illos habitat ſecure, per illud ipſi volitant pōpoſi; in eo ſupercilia ponunt, & ne nugas agere ac voluere videantur, Sapientiam auro vendunt. Et cur non obſecro cum nihil ſit quod auro non vendatur? *Auro venalia iura: aurum lux ſequitur.* Si reſpires æger lectumque premas, voca medicum, auro ſanaberis; ſi litiges, inunge manus auro Advocatis, litem vinces; ſi lauream ambas Doctoralem, aurum oſtende, alibi Doctor eris. Vis vinum præſtantiſſimum, *Permiſſio cũ quadam reiectione. Traductio. Neceſſitas auri ad omnia Amplificatio per enumerationem.*

Transitio. vis Indica aromata, vis gemmas, vis delicias omnes; cellas &officinas aperit aurum. Quanquam exhaurire conor Oceanum, dum singulas ausi
Peroratio. laudes referre contendo, & quis Oceanum exhaurire, quis eius arenas numerare se posse confidat? impar est. AVDITORES ornatissimi, tantis laudibus oratio nostra, & iam me pudet atq; indignor, quod non humana tantum, sed imbecilli fractaque voce rem illam tam præstantem, tam
Repetitio Confirmationis figurata per Apostrophen. divinam, unicum mundi decus coner exornare. Tu enim es aurum, quod omnia vincis & exsuperas; tu rebus omnibus honestatem addis & splendorem; per te fruimur voluptatibus, & sine te nulla omnino est vita nostra. Tu inhabitas cœlos, & aurea facis diuorum palatia. Tu Iouis solium ac sceptrum. Solis currum ac radios Iunonis coronam, Cupidinis sagittas, Apollinis arcum exornas. Tu in te Sanctissimum Christi Corpus concludis, Diuorum reliquias asservas; pretiosa quæque complecteris. Tu solum es in votis ho-
Reditus ad Auditores quibus aurũ precatur. minum, & qui te tolleret è mundo, sustulisse solem è cœlo videretur. Sed ad vos redeo AVDITORES honorandi, & quoniam gratior est auri possessio quam laudatio, nec ista vestra vota possum ignorare, quod aurum vobis audientibus & fauentibus laudavi, illud vobis omnibus ex animo precor & exopto. DIXI.

GVILIELMI van HÆCHT LOVANIENSIS.

Vituperatio auri seu pecuniæ.

Exordium à depravato quorundam iudicio. PLurimis in rebus depravatum quorundam hominum iudicium ac mentis cæcitatem licet intueri, Ornatissimi & humanissimi AVDITORES, qui tam temere & præcipiti quodam sen-

sensu de rebus fere omnibus judicare solent, ut quas maxime vituperare deberent, eas nunquam satis laudare possint. Ita quæ jucunditate quadam voluptatem apportant, aut magnificentiam splendoremq; aurata fronte jactitant & ostentant, laudantur ab iis potius, quam ipsi discernant an sint mala perniciosaque. Satis est jucundum aliquid esse ut illud ipsi extollant: satis est oculis iniicere splendorem auri, ut rem ipsi dignissimam appellent. Atque cum ita homines illi cogitationibus suis permoveantur, ac trahantur, ut judicio sæpe nullo utantur, mirum est nequaquam, si quandoque reiiciantur & explodantur orationes illæ, quæ contra multitudinis imperitæ sunt opinionem. Nunc vero quoniam tales vos esse non ignoto, qui vulgi judicium inconstantis temerariique non miremini, nequaquam etiam apud vos hodie eam inire dictionis huius rationem reformidabo, ut declarem nihil auro turpius, aut perniciosius reperiri, cuius nuper phalerata magis quam vera oratione laudes audivistis: & quod apud illos vulgares & plebeios tantam habere videtur & honestatem & utilitatem, ut satis non sit rem maximam & præstantissimam credere, numen esse propemodum arbitrentur. Et si mihi illud de vestro isto favore ac benevolentia polliceri possum, ut attentis erectisque animis tota mihi oratione adesse velitis conabor efficere, ut omnino statuatis, omnem illum splendorem auri quandam esse ad perniciem invitationem. Quanquam de vestris animis nunquam diffidam, quorum oculos non sine favore magno video in me esse conversos; & ecce continere me hoc in limine orationis non possum, quin cum Principe Poetarum exclamem:

Repetitio.

Aditus ad præsentem orationem.

Conciliatio Auditorum

Confirmatio.

Exclamatio.

——quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

1. Argumentum. Quod omnium scelerum causa sit aurum. Quid inquam non cogis? nullum est, libere dicam & vere, nullum est omnino scelus aut flagitium quod aurum non inveniat ac producat. Cogitate nefandissima quæq; scelera, & injustitiam in primis: Quid? nunquid aurum fas omne abrumpit?

Amplificatio per Inductionem.

Aura pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sive lege pudor.

Est causa iniustitiæ. Repetitio. Distributio. Et obsecro, quid futurum tandem erit, si sepulta justitia judex aurum sequatur, nulla sit æquitas in tribunalibus, nulla severitas in pœnis, nulla fides in testibus, nulla ratio in judiciis, nulla gravitas in confessibus? concipite duella, tumultus, bella, & auro simul acclamabitis!

Compar. Est causa bellorum.

Te propter pugna fiunt & bella moventur,
Ad prædam & cædes corpora nostra trahis.

Repetitio. Amplificatio ab effectibus. Disjunctio. Vere enim aurum est, quod miserorum hominum sanguine gladios & arma cætera cruentat, aurum est quod agros depopulatur & vastat; aurum est quod civium ædibus, templis deorum, oppidis & civitatibus flammas subiicit & evertit; aurum est quod copulares exacta ætate senes trahit in servitutem, matronas & virgines libidini parere cogit, infantes & pueros ab amplexu matrum abducit. Fingite vobis cogitationem discordiarum omnium & odiorum inter parentes & liberos, inter fratres, inter agnatos & affines, rursus exclamabitis:

Tu facis ingratus quod Filius odit,
Inter & agnatos iurgia sæpe moves.

Alii effectus. Repetitio, Compar. Igitur aurum actissimum illud naturæ vinculum dissolvit: alienat à patre filium: à filio patrem; in visceribus & animis fratrum fraternum amorem exstinguit; consanguinitatem eripit & in seipsos armat propinquos. Quod esse majus scelus, quæ pestis detestabilior, quæ labes contagione perniciosior esse potest? Illud est quod falsos intea

inter se amicos coniungit & ad flagitia nefandissima coire multos facit: illud est quod in pudendam castitatis suæ prostitutionem virgines adducit, & viris viam aperit ad libidinem; propter ipsum nemora & siluas fures infestant, & omnium vitæ insidiantur, propter ipsum tot homicidia in silvis, in agris, in domibus, in urbibus committuntur, propter ipsum fides violatur, religio mutatur, salus venditur. Quanquam quid innumera consector, ubi omnia dicere non possum? tamen si nihil aliud, hoc saltem cum Poeta dicamus? *Similiter desinens.* *Præteritio per similitudinem.*

Prosternis gentes & totum destruis orbem.
Nulla fides hominis te duce stare potest.
Fœdera tu Regum, tu falsos iungis amicos,
Imperio seruit & genus omne tuo.

Quid amplius?

Tolle aurum, nullæ vitiantur in orbe puellæ,
Tolle aurum, nullus peccat in orbe puer.

Veruntamen insusurrant aliqui mihi, Et honores, inquiunt, nunquid auro parantur? venio quo me vocant: Profecto male res se tunc habet cum quod effici virtute deberet, id auro tentatur: nec immerito doctissimus Valerius Maximus existimavit, nihil eorum, quæ virtuti debentur emere pecunia licere. Agite enim si nullis nisi aurum possidentibus concedendus est honor, quis non potius negotiator aliquis, quam exercitus Imperator fiet? si decernenda est omnis auro gloria, quis amplius laborare pro Republica, quis pro patria perditorum odia civium appetere, caput, fortunas, vitam pro eadem in discrimen offerre volet? iacebit industria, languebit patriæ amor, exulabit alacritas, sepelietur virtus, nulla erit aut fucata tantum gloria. Neque enim nisi gloriæ stimulus excitat ad præclara, & qui gloriam sunt adepti, fortes & illustres viri gloria sua *Obiectio præoccupata.* *Responsio.* *Interrogatio.* *Disiunctio.* *Compar.* *Similiter desinens.* *Sententia.*

contenti conquiescunt. Quanquam dum vos intueor AVDITORES optimi, scientiarum oblivisci non possum; & quis tamen eas sequi desiderabit? quis se Musis consecrare volet? quis optimis & honestissimis artibus mentem illustrare, animum ornare, seipsum perficere: per eas vero patriæ succurrere & æternam posteritatis ambire famam optabit, si tantummodo laudetur aurum? si non amplius hederæ doctarum frontium sint præmia, nec Apollinem suum laurus, sed Crœsum aliquem coronet? Et quoniam hæc turpissima esse iudicatis, videor eo delapsus, ut nihil auro turpius esse demonstrem. Quid est igitur aurum obsecro? terra scilicet in ruborem calore solis concocta. Ergone virtutem terra illa superabit, & hoc homines iudicabunt? Ergone terra illa honores ementur, & ab hominibus? ergone terram illam homo, quis homo? mundi Rector, alter in terris quasi Deus; quis homo? non impetu, non necessitate, sed consilio rationis agens, terram, inquam, illam homo colet & propemodum adorabit? Quid? lutum illud adorabit, quod attingere reformidat, quod calcare sæpenumero pudet? Date veniam, ut dum veritatem profiteor apud vos, dicam audacter. Circumspicite, quicquid est cæli ambitu conclusum, terras, maria, omnia tandem uno cogitationis unius intuitu perlustrate, nihil est omnino, quod sua turpitudine non aurum evincat. Video commotos esse nonnullos, & hanc nostram oculis ac vultu audaciam notari. Quid est? nondum ergo assensum, nondum animos datis? erigite tamen illos, & parumper vestras mihi ac meæ orationi cogitationes accommodate, veritatem ipsam fatebimini mecum esse, quod tam procul à veritate remotum existimatis. Obsecro turpiusne quicquam esse veneno potest? omnino nihil, cum ea sit vis eius, tam pestilenta tam exitiabilis, tam abo-

Transitio.
2. Argumentum à turpi Quid sit aurum.
Invectiua per amplificationem ab indigno.
Repetitio.
Licentia.
Simulatio.
Renovatio attentionis.
Amplificatio per comparationem cum veneno.

abominanda, ut quicquid infecerit & occupaverit, prosternat & evertat, animam nostram expellat, corpus tabidum efficiat, vitam omnem abripiat. Sit ita, adhuc omni veneno nocentius est aurum, cuius fulgor cum placet oculis, pestifer est animo. Quemadmodum enim serpens dum squamas radiantes ac lucidas ostentat, placet non parum & oblectat, interim mulcendo oculos animũ veneno ferit: ita prorsus aurum suo illo fulgore flectit oculos, ac munus solicitat, deinde vero occupatis quasi muris trahit animum, sui amore languere facit, eneruat atque enecat. Rursum obsecro, quid turpius eo esse potest, quod assequi sine flagitio nemo, aut certe vix ullus potest? Audite Sapientem, & tale aurum esse dicetis: *Qui festinat*, inquit, *auro ditari, non erit innocens*. Audite Satyricum: *Subiectio. Compar. Distinctio. Similiter desinens. Illustratio per similitudinem. Testimonium.*

Qui metus aut pudor est unquam properantis avari?

Ita qui ad aurum anhelat, valedicere pudori, iustitiæ oblivisci, timorem omnem calcare, relinquere amicitiam, non agnoscere consanguineos, conscientiam aut nullam habere, aut non audire, de Deo ac salute parum omnino cogitare debet: Ita cum Poeta dicendum est omnino: *Amplificatio à consequentibus.*

Detestabilius nil terra creavit avaro,
Et nimio lucri peius amore nihil.

Scio vos omni mente atque animo spurcæ libidinis fœditatem auersari, qua homines non aliter quam infami luto contaminantur; detestari etiam insatiabilem opum aviditatem, qua misere hominum animi distorquentur; nolle prorsus audire tabidam homicidiarum insolentiam, qua mentes efferatæ ad humanum cruorem *2. Cum libidine. 3. Cum avaritia. 4. Cum homicidio.*

 hau-

5. *Cum superbia.* hauriendum exercebantur & concitantur: refugere fastum insolentem superborum, quo illi omnia despiciunt & aspernantur. Quid dicam amplius? abhorrere turpitudine fœdissima lupanarium, ab obscœnitate adulteriorum, ab insania sicariorum, à perfidia testamentariorum, ab obsequio lenonum, ab omni denique scelerum omnium turpitudine: Et quæ illa vero tandem si non auri turpitudo est? Nunquid sine auro nullum est scelus?

6. *Cum quibuscunque vitiis.*

Omnia turpitudinis causa aurum.

Testimonium.

Aurum destructor vitæ, Princepsq; malorum
O quam difficiles nectis ubique dolos!
O utinam natum nunquam mortalibus esses,
Dulcia suppeditas quot nocumenta viris.

Præteritio cum dissimulatione.

Quid illa minora reperam, homines turpes & infames auro reddi; curis per aurum & anxietatibus repleri; tristes ab auro & pallidos existere; sui propter aurum acDei non recordari? nimis ista sunt nota; & fortassis dum ad id illa pericula; quæ mortalibus inferre solet aurum descendo satis ex his illa quoque intelligetis, quæ quia sunt minora remorari; non debent orationem. Interrogatus aliquando Diogenes, ille discipulus & æmulus naturæ, cur aurum palleret? quoniam, inquit, multi auro insidias struunt: sed ego si quispiam illud à me quæreret, cur divites ac potissimum expallescant avari; non ad aurum, sed ad ipsos me convertendo, quoniam ipsis, respondērem, multi insidias moliuntur. Et quæ harum, nisi aurum; insidiarum omnium est causa? O quam melius cantat vacuus coram latrone viator! Nihil hic de furibus loquor, quos in siluis latenter disponit aurum, & à quibus omni ætate propter aurum misere sunt contrucidati. Non recordabor hic insaniæ illius; in quam emota mente propter aurum non pauci præcipitantur, dum circum-

Testimonium Diog.

Exclamatio.

Præteritio.

cumspicere semper, nunquam non timere, undique angi solent ac perturbari. Quantum est illud vero, quod propter aurum casu fortassis nonnunquam amissum multi violentas in se manus exserant, suo se cruore conspergant, perditi ac desperati moriantur? nimium est, & nondum est satis. Quantum est ergo rursum eo dementiæ vesaniæque homines prolabi, ut extincta rationis omnis luce, judicio atque consilio reiecto, tanquam Deum & numen maximum aurum adorent? Sunt, sunt, (credite AVDITORES; neque enim audacia feror orationis) sunt qui furiis istis vexentur, ut non aliud quam aurum suum numen agnoscant, illi suos consecrent labores; suos dedicent cogitationes, suos offerant amplexus; illi dies & noctes insomnes ducant; pro illo vivere tantum exoptent; ab illo petere salutem omnem anhelent. O miseri mortales; ô detestandum vitæ malum! excæcat aurum homines, spoliat ratione ac iudicio, privat anima utraque. Exstinguit aurum religionem, cœli oblivionem inducit. Deum esse negat ut sit Deus. Quanquam non hæc ita disputantur à nobis, ut nullum auri fructum esse velimus, cuius in tam varia humanæ vitæ necessitate usum ingentem esse videmus. Non illam adhuc censoriam frontem indui, ut aurum omne repellam; illud tamen in hoc vestro consessu, honorandi AVDITORES, sustineo, nimium illud auri studium utilitate sua fructuque carere. Dicant enim & loquantur hic si possint avari; quid est quod ab auro suo, cum loculis stertentes incubuerunt, reportant? Credo pallorem in vultu, curas in animo, vigilias in oculis, timorem in membris omnibus, sitim ardentiorem in voluntate, parsimoniam in manibus. Quid dico parsimoniam? defraudationem genii sui, turpem vitæ rationem, omnem omnino miseriam. Ea enim est homi-

Repetitio. Disiunctio. Similiter desinens. Conduplicatio. Disiunctio. Traductio. Amplificatio ab affectibus. Transitio. Tertium argumentum ab inutili. Interrogatio. Fructus auri. Amplificatio per enumerationem.

Correctio. num istorum insipientia (melius insaniam dicerem)ut turpiter vivere malint, quam minus Irabere, cum tamen ita aurum ad nullum usum possidere, quid est aliud, quam omnino nihil habere ? Audite non minus lepidum, quam miserum infelicis auari exemplum ; jam novam, non antiquam produco. *Exemplum lepidum & novum.*

Erat apud Italos vir nobilis & egregius nuper, possessionum antiquarum dives satis ; sed ditior virtutum. Huius filius natu maximus cum plurimis in foro laboribus, vigili cura, & parsimonia multum auri comparavisset, senilem in illa ætate juvenili tenacitatem induens, hoc tantum agebat, ut pietatis oblivisceretur, famam negligeret, genium suum defraudaret; nihil patri decrepito, nihil matri annosæ, nihil fratribus aut consanguineis, nihil egenis largiretur. Si admonere quandoque pater filium vellet, surdo canebat. Contigit ut pro Reipublica Pontificem Legatus adiret: quid deinde ? quid Pater ? novis arculæ clavibus thesaurum ingressus, aurum eruit, familiam induit, supellectilem pretiosam emit, domum auget & adornat, miseris atque egenis multa distribuit; loculos interea flumineis plenos lapillis, omnia obstructa atque obserata, ut erant antea, reliquit. Aderat ab urbe filius, hæret intuitus fratres elegantes & splendidos in occursu, miratur in limine & vix agnoscit, Parentes non capit instauratæ domus magnificentiam: raptim ad arculam festinat, loculos solito more turgentes salutat, mox in thalamo se concludens sacculis apertis in arenam versum aurum animadvertit, ô *Repetitio.* *Amplificatio ab adiunctis & circumstantiis.* *Cura avari varia.*

Quæ tunc lacrymæ, quæ tunc suspiria ?

Personabant gemitu parietes, implebatur ululatu domus, omnia tumultu permiscebantur, donec advolans Pater de gemitu ac dolore perquirit ; sed ille saucium & exulceratum animum depro-

depromens, Tuis, inquit, in ædibus ô pater, tot laboribus ac vigiliis quæsitum aurum amisi: vides loculos equidem turgentes, at non aurum est sed arena. Audite prudentissimum hic parentem. Nihil fronte commota senex. Quid hoc refert ô fili, arena apud te loculi, an pecunia sint pleni? otiosæ pecuniæ tibi instar erit arena. Prudenter profecto, nam insanum est prorsus id tot curis ac vigiliis sepire, unde nulla sit utilitas & fructus, Sed *Prosopopæia*

Nimirum ingenti congesta pecunia cura *Testimoniũ.*

Est deus, humanas nunc regit ipsa vices.

Dicam cum Menandro:

Felix qui simul opes ac mentem habet,

His enim opibus ubi convenit recte utitur.

Verum quotusquisque est qui non insaniat cum auro? qui cum aurum habet, iudicium non amittat? qui cum aurum novit, seipsum non ignoret? Retexerem sermonem hunc totum, & iam apud vos alia vterer oratione, si vel minimam auri necessitatem in hominum vita viderem. Olim cum adhuc esset Aurum irrepertum, & sic melius situm, aurea ætas erat, quæ ut loquitur Poeta: *Aurum adimit hominĩ iudicium.* *Transitio.* *4. Argumẽ. tum à necessario.*

——— *vindice nullo,*

Sponte sua sine lege fidem rectumq; docebat.

Nunc cum imus in viscera terræ, & in sede Manium opes quærimus, cum inquam, (verbis utar Ovidii:) *Testimoniũ.*

Effodiuntur opes irritamenta malorum,

Iamque nocens ferrum, ferroq; nocentius aurum,

Prodierat, prodit bellum, quod pugnat utroque.

Sanguineaq; manu crepantia concutit arma.

Vinis-

Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est.

Verbo dicam & absoluam; ferrea sunt sæcula, nec unquam uitiorum feraciora, quam cum aurum protulerunt. Vbi nunc sunt illi, qui cum morbo conflictantur, non nisi ab auro sanitatem sperant, & quærunt?

Non pellit morbos aurũ

——non æris acervus & auri.
Ægroto domini deducit corpore febres
Non animo curas.

Vbi sunt qui sine auro mori suaviter non possunt? Credant ipsi:

Interrogtio

Felix ille tamen mediso qui vivit in agro,
Vincula nam mortis hunc leuiora manēt
Et linquit post se nullas in funere lites.
Dat mentem superis, ossaq; condit humo.

Exclamatio. Vbi rursus sunt illi, qui sine auro vitam, ut aiunt, non habent? O si ad naturam attenderent! non *Repetitio.* illa in cibum aurum requirit, non illa sitim auro *Disiunctio.* depellit, & melius lana vestimur, quam auro ubi *Subiectio.* denique sunt illi, qui dum incubant auro, vel *Exclamatio.* aurum intuentur, suavissima voluptate replentur? O si se homines cogitarent, si in se oculos ita reflecterent, ut suam animam, illam divinæ particulam auræ, face rationis illustratam diuinæ maiestatis effigie signatam agnoscerent, non ab auro, non ab illa vili terra voluptatem aliquam optarent; crederent vero inde petendam mentis esse oblectationem, è cælo inquā; unde ipsa mens *Transitio.* est hausta. Sed frustra fortassis immoror hæc apud vos exaggerando, quæ iam estis cogitationibus præteruecti. Assequar vos AVDITORES, & ut *Peroratio.* assequar facilius, relinquam ea quæ per vos ipsi cogitabitis, omnemque huius rei sermonem abrumpendo non ista me Rhetorum illustrium con-

consuetudine rememorabor, quam cum orationem longam in auditorum silentio deduxerunt, nova rursus oratione seu repetitione audientium favorem sustinent, ac attentionem defatigant. Quid enim hic repetere vellem? nihil esse hoc in orbe perniciosius auro? quid eius turpitudinem rursus oculis vestris offerrem, quam animis pati amplius non potestis? Quid optare amplius aut conarer persuadere vobis, nullum ab auro fructum esse, nullam oblectationem adesse, imo ipsum huiusce vitæ nostræ usibus necessarium omnino non esse? Dubitare viderer de vestra prudentia, tacitoque consensu, quem oratione tota rationibus meis attulistis. Vtinam vero vestra pace ac venia, Ornatissimi Auditores; facere mihi hic liceret, quod vel longa navigatione defuncti nautæ, vel victoria potiti milites consueverunt, qui ad vota confugiunt, sed annuitis. Vtinam ergo nostræ ætatis homines & quicunque nostrum hoc ævum Posteri sequentur, Curiis, Fabriciis, Democritis, Anacreontibus; sexcentis aliis venerandæ illius antiquitatis præclarissimis heroibus similes exstarent! quam innocens, quam beata, imo vero quam delicata esset vita; si nullum cum iis aurum concupiscerent mortales; si non amplius vox illa detestabilis audiretur:

Repetitio confirmationis figurata per præteritionem.

Optatio.

Similitudo.

O cives, cives, quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos.

Correctio.

Quanquam quid Ethnicis Christi nos homines similes exopto? Vtinam (hoc tantum dicam) utinam & virtutem homines amarent, & suam agnoscerent dignitatem! Est, est virtus verissimum animi nostri ac vitæ totius aurum; illud inquam aurum, quo augeri dignitas hominis exornarique tantum potest. Quod cum ipsi ignorare non possitis, orationem omnem hoc in voto concludo.

Conduplicatio.

JODOCI BACHELER TORNACENSIS ORATIO,

In ſponſalia Auguſtiſſimorum Regum, & Principum;

LUDOVICI XIII. Franciȩ Regis, cum Sereniſſima Hiſpaniarum Infante.

ET

PRINCIPIS Hiſpaniarum PHILIPPI III. Filii; cum Sereniſs. LUDOVICI XIII. Sorore.

Exordium à gaudio ex ſponſalibus parto per comparationem cum gaudio ex iniuriis orto.

QViefcentis fortuna Belgii, & partarum nuper induciarum vix ab illo ſperata conditio, quanto gaudio ſingulorum amos recrearit, magis eſt omnium manifeſtare, quam unius communem patriæ ſenſum aperire: dicere tamen illud auſim, tantam ad hoc gaudium novæ lætitiæ factum eſſe acceſſionem, dum hoc ſacro regalis connubii fœdere nobiliſſima Franciæ Hiſpaniæque Regna junxere manus, ut impares omnino ſenſus gaudii magnitudine corruant & opprimantur. Etenim ſi tot annorum decurſu graviſſimis bellorum motibus agitata Patria, ita pacis ſuavitate recreata fuit, cum

Magnitudo gaudii.

cum illam pacis Auroram Induciarum promulgationem auidis simul & attentis auribus hausit, ut à morte redire videretur in vitam; quomodo nunc recentem illam & inopinatam, sed obortam tamen Regum affinitatem, & coniunctionem, à qua diffunditur in orbem universum lætitia, & quæ bellorum est omnium æterna quædam extinctio futura, animo moderato perciperet? Nam si oborto manè sole recreari passim homines videmus; si vero coniiciant in illum oculos, & obtutu velut immoto radios intueri, pati aspectum non posse; fatendum est illud quoque, per inducias recreari patriam potuisse non hanc vero posse Regum percipere coniunctionem, à qua diffusi gaudii magnitudine insolentiaque opprimeretur. Quantum est illud obsecro, Franciam, Hispaniamque coluisse? Quantum est affinitatis fœdera Reges illos percussisse, qui cum sint totius Europæ nostræ potentissimi, eorum amicitia totius est felicitas & tranquillitas Europæ? Tantum est profecto, ut qui audit, vix intelligat, qui intelligit, nequeat satis admirari, qui admiratur hæreat potius defixus, quam assequatur, Tantum est inquam, ut cum videas, sentias, intelligas, vix adhuc tamen credas, cum affluentem undique lætitiam vix admittas, evenisse fateri debeas, quod sperari vix potuisset. Quanquam vero ea sit huius gaudii magnitudo, quæ obmutescere potius faciat quam dictionis copiam suggerat oratori, vincamus tamen exultationem illam, aut certe potius illam, qua possumus voce declaremus. Et Ecce in hoc vestro fauore, Ornatissimi Humanissimique AVDITORES; non quod debeo, sed quod possum ordior, & tanquam publicæ gratulationis Orator in lætitiam communem irrumpo, pietatis affectu potentior, quam orationis effectu. Date animos vestros, & erecta mecum men-

Comparatur utrumque gaudium.

Illustratio à simili.

Causa gaudii maxima.

Gradatio.

Repetitio.

Accedit ad propositum.

Propositio.

Conciliatio Auditoris.

mente Augustissimorum Regum ac Principum Sponsalia celebrate. Atque ut hinc nondum tantæ lætitiæ penetralia peruadam, nondum festiuas illas acclamationes nimio affectu interturbem HYMEN ô HYMENE, subsisto adhuc in media luce, & ut animum tester, patriæq; gestientis affectum; illud libere ac libenter proclamo, nihil præstantius, nihil orbi universo optabilius, nihil divinius quam hoc matrimonium accidere unquam potuisse. Ille invictus & Cristianissimi Regis titulo Monarcha superbus, Catholici Monarchæ Hispaniarum Regis & Indiarum filiam, Hispaniarum Infantem accipit in uxorem. Et præstantiorem ullam coniunctionem videre posset Orbis? sed astringunt amplius sese Principes, & nodo fortiori, sese ligant, quorum amor modum evicit. Serenissimus Hispaniarum Princeps, tot & tam ingentium regnorum, nostri huius pene totius, & noui hæres Orbis, Christianissimi Regis Sorori, coniunx coniugi copulatur. Et optare posset amplius Mundus, aut amplius largiri Mundo Deus? Cessant hic animi vota, & dum evenit quod spem omnem superabat, superest tantum admirari, nisi tamen insolentis huius gaudii magnitudo deterreret admirationem. Optare poteramus, ut quæ nobilissimæ sunt in orbe toto familiæ, coniungerentur aliquando? optata tenemus. Sperare poteramus, iuncturos aliquando dexteras reges illos, quorum in tutela ac protectione respirat Ecclesia? sperata videmus. Quid enim rebus humanis contingere potuit nobilius ad gloriam, quam ut Austriaca Bourbonicaq; domus coalescerent? Quid certius ad salutem, quam ut duo potentissimi Christianissimique Reges summorum nominum arctissima coniunctione manus & animos coniungerent? Dixerunt multa plurimi, & multi plurima dicent, audientibus posteris maximarum virtutum merita, qui-

bus

Quædam quæ instar transitionis est.

A magnitudine & præstantia rei.

Declaratur magnitudo coniugii.

Nihil fuisse optabilius iste coniugio.

Similiter desinens.

Subiectio.

Interrogatio.

ibus hæ nobilissimæ totius orbis familiæ non in admirationem tantum rapuerunt gentes omnes, sed Mundum sibi devinxerunt, mihi tamen certissimum est hanc præcipuam esse familiarum harum laudem, quod tantarum & vere cœlestium nuptiarum fœdus festumque celebrarint. Et nescio an non mei quoque sit aliqua gloria sermonis, quod hac nostra potissimum ætate illud dicere & oratione prosequi possim; unde cunctorum studia nunc toto orbe gaudiis florescunt, & quacunque volucres mutuata fortuna discursus nunciavit, nationum omnium festa dies gratulationibus consecratur. Eat, eat in sæcula, & venturi credant posteri, Austriacos Bourboniosque affines esse; celebrent æterna memoria, quod acclamationibus extollimus. Christianissimum Catholicumque Regem arctissima affinitate iutatam amicitiam confirmasse. Hoc est, quod cum satis nequeamus admirari, gaudiis nihilominus retentis ad posteros transmittimus admirationem. Hoc est quod cum satis non percipiat ætas nostra, omnes invitat ad venerationem ætates. Dicant illæ, extitisse aliquando PHILIPPVM tertium Hispaniarum Monarcham, cuius cum Augustissima filii adolescentiam nondum esset ingressa, fama & forma iam flexerat crescentem adhuc LVDOVICVM decimum tertium Franciæ Monarcham, Dicant, Hispaniarum Principem citius meruisse alteram Franciæ gemmam, quam se pene cognovisse. Sed est, est illa tua virtus ingens, PHILIPPE Monarcha, quæ cum omnis dignitatis fastigium occuparit, nobilissimi illius rami nisi in altero mundi culmine conquiescere non potuerunt Est, est illa tua feliciter fortuna crescens, LVDOVICE REX invicte, quæ cum attingere nisi summa non possit, eo primum penetravit, unde altius ascendere non posset. Credo equidem, nam est aliquis post mortem sensus,

Gloriatur, Orator quod de hoc coniugio dicere possit.

Conduplicatio.

Repetitio.

Laus sponsi & sponsæ.

Apostrophe ad Philippũ III. Hispan. regem.

Conduplicatio.

Apostrophe ad Francia regem.

ſus, ſentiunt immortales maiorum veſtrorum cineres, quod ad lætitiam nimium pene perſentimus: gaudent etiam glorioſæ illæ & omni æuo digniſſimæ animæ, quod à ſua ſtirpe vincantur: imo vero, ſi in hac tanta exultatione non eſt nefas ſecreta fatorum aperire, congratulantur ſibi in nepotibus ſuis, & in eorum ſponſalibus ſeſe amplexantur poſt mortem affines. Sed tamen ſi adeſſe poſſent è Mauſoleis illis ſuis, & hanc lucem intueri, quam armorum fulmine terruerunt; ſi illos inter homines verſari, quos virtutis admiratione ſtupefactos reddiderunt; quis illis ſenſus eſſet, cum hos ſuos nepotes, Reges & Principes auguſtiſſimos, non dexteras tantum, ſed omnes etiam ſenſus ac mentes ſuas ita vinxiſſe, ut ſi fieri poſſet, tranſire invicem in pectora ſua deſiderarent, contemplarentur? Quid cogitarent, cum hinc inde ſuauiſſimum coniugis nomen audirent? Quid dicerent cum Hiſpaniæ Franciæque vires ſuas aliquando & nonunquam iniquo nimium fato inimicas, coniunctas intelligerent: Gauderent in ea ſe familia ſtirpem aliquam potuiſſe, unde tam nobiles, tam coniuncti rami pullulaſſent. Nec opinor pæniteret eos adverſis aliquando armis concurriſſe, ut hodie eſſet coniunctio tam fidelis armorum & animorum. Gaudete ergo venerandi manes; & tu imprimis inuictiſſime Monarcha PHILIPPE II. tui nepotes nova gloria tuam ſtirpem auxerunt. Gaude HENRICE IV. in filio obtinuiſti quod optare potuiſti. Sentimus, quid mens rite, quid indoles, nutrita fauſtis ſub penetralibus poſſit. Sentimus novam in orbe lucem exortam, cum ille Franciæ Sol Hiſpaniarum ſe Lunæ coniunxit: cum ille rurſum Sol Hiſpaniæ, Franciæ Lunam illuſtrauit. Fabulentur ingenioſi Poetæ, & in Deorum Dearumque nuptiis vocali cythara fluvios & terras impellant,

Obliqua proſopopœia.

Repetitio

Apoſtrophe ad Reges defunctos.

Repetitio.

lant, quis non applaudat errori, ubi jucundum est errare? Sed nos tamen non fabulemur, & cum palam in luce veritatis exultationem impari sensu metiamur, Regum Sponsalia, Regum fœdera cantemus & celebremus. Atque ut lætitia copiosior consurgat, præteritas animorum angustias discutiamus. Ignorare Europa non potest, quos & quantas discordias gravissima suspicione nobilissima ac potentissima duo regna concitarint, easdem vero postmodum infestissimis armis ita agitarint, ut sua mole regiones non paucas attraherent, suo motu universum pene mundum concuterent: sed obsecro quis tum erat universi sensus orbis? quæ trepidantium ubique hominum vota? quod Ecclesiæ plurimis in locis vacillantis desiderium? una omnium vota, Hispanos affinitate Francis conjungi, unum omnium desiderium, sub illa tandem affinitate respirare. Sed habet sensus quod aucupabatur; tenent vota, quod gerebant; assequutum est desiderium, quod optabat dum nimirum jam unus est summorum Regum ac Principum sensus, & quæ pectora coaluerunt, diversa in vota abire non possunt. Attulerunt Mundo hæc Sponsalia, quod Mundus cum tenet, exulat tristitia, fides animatur, Ecclesia respirat. Non jam mediis in fluctibus ac procellis naufragium? Fides reformidabit, sed vento secundissimo, velis plenissimis Oceanum nauigabit. Non jam crudelis animorum terror fugientium animos hominum sauciabit, sed ad pacem omnes amplectendam accurrent. Pacem ab Hispania, pacem à Francia nuncii clamabunt; & cum idem nunciare cogentur, unicum Regem duobus in Regnis ac duobus in corporibus vivere regnareque testabuntur. Sed cohibere necessum est rursus affectum, ut quæ admirari hoc in fœdere jam subit, non obliviscamur,

Transitio ad lætitiam declarandam.

Expositio præteritæ calamitatis.

Traductio.

Compar.

Disiunctio.

Disiunctio.

Dissolutio.

Coniugium.

Hoc utile.

Allegoria.

Repetitio.

Laudatur consilium initorum sponsalium in prima ætate.

mur. Est admirabilis illa ac omnio divina summorum Regum ac Monarcharum prudentia, qui cum non ignorarent, quanto detrimento gubernacula regnorum ad manus alienas soleant pervenire, de suscipiendis liberis ac propaganda generis augustissimi serie tempestive curam susceperunt. Ab hac vera pietate, ab hac generis humani conservandi voluptate gentes omnes exemplum accipient matrimoniorum studiosius expetendorum, ut successoribus hoc modo substitutis nihil obsit posteritati. Nec immerito parentes præmiis honorandos esse Leges ac jura sanciverunt, utpote qui fundamenta sunt ac seminaria quædam rerumpublicarum. Quanquam aliud quoque singularis alia prudentia prospexit. Vt nimirum, quæ proles in ipsa adhuc pueritia, matrimonii futuri legibus traderentur, eo magis continentiam parentum Regum adæquarent, & primo adolescentiæ ingressu jam tum animum formare maritalem inciperent, nec quicquam voluptatum earum, quas nescio qua libertate plerumque reges arripiunt, in sacrum pectus admitterent. Miraculum est, pueros uxorios esse, sed ut res est, hac observatione verecundiam imbibere, religiosum est. Quis mihi nunc murmure tantummodo constantem occinat rumorem, parum huic ætati teneræ nuptiarum fœdus convenire: Profecto ætatis annos exspectare, ubi matura virtutis est ætas, indignissimum est; annorum adhibere supputationem, ubi virtus cursum incœpit, nunquam est ferendum. Non tu PHILIPPE Macedo in Alexandro tu multos annos desiderabas, in quo adhuc puero nimis multam pene virtutem esse videbas. Non tu Roma aut in Scipione aut Pompeio cursum ætatis attendebas, quos primæ virtutis impetu cæterorum excurrisse laudes animadvertebas. Turpe est hominem aliquem ac præsertim Regem annis me-

Ne regnum in aliam familiam transeat.

Vt in matrimonio continentiam servet nondum alium de corrupti.

Obiectio praeoccupata. Sententia.

Ab exemplo Alexandri.

Scipionis. Sententia.

metiri. Nec sane, quemadmodum cæteri homines, sero Regum filii in viros evadunt; habent illi hæreditariam in cunis virtutem, & dum alii pueritiam vitæ non adiiciunt, in hac ipsi virtutem explicantes, viri fiunt. Bene est, Augusti Reges, consilium vestrum non hæc ætas retardabit, imo vero lætitiam vestram tenera hæc ætas augebit, cum in paruis vivorum animorum simulacris vos totos ac vestram virtutem omnem spirare tam cito cernetis. Bene est invicte PHILIPPE: tuam tibi filiam nimio amore Rex Francorum extorquet. Quis ille? Bourbonicæ flos stirpis, & Medicææ gloria familiæ; quem si à parente cupias æstimare, miraculi miraculum est; si ab ætate, proditum est ætatis admirandum & cæleste. Bene est invicte LVDOVICE, tuam tibi Sororem nimio amore Hispaniarum Princeps extorquet. Quis ille? Austriacæ gemma domus; Cæsareæ Regiæque propaginis germen: cui si laudem à Magno patre mutuari velis, divinus est, si ab avo, incomparabilis; si ab ipsomet, vincit ætatem; si à Fama, optandus est & desiderandus. Quid de vobis dicam, Regiæ Nymphæ? videor mihi picturam illam intueri, in qua olim in Aquiliensi Palatio venerabilis puella Imperatori Constantino, qui uxorem adolescens ducebat, galeam auro gemmisque radiantem, & pennis pulchræ aliis eminentem offerebat. Quid dico? Non galeam maritis suis regibus, sed cor ardens purissimi amoris auro conclusum apportant; non superbi pavonis pennas ostentant, sed Naturæ dotes & Virtutis prærogativas non sine regio pudore præsentant. In utraque maternus decor venustate juvenili nitet, & qui ora vividus color depingit, interiorem animum simul adumbrat. Placent decoro vultu, sed amplius animo virtutibus primis ornato: magnæ sunt genere, domo, parente, sed maiores in-

Apostrophe ad Reges.

Ad Philippum Regem

Elogium Ludovici.

Ad Ludovicum Regem.

Elogium Principis Hispania.

Repetitio.

Apostrophe ad sponsas regias.

Laus sponsarum regiarum.

dole, pudore, virtute. Sunt mariti principum ac Regum Optimi Maximi; ipsæ Principum fœminarum ac Reginarum Optimæ Maximæ. O quis non ita in venturam ætatem anhelet; ut nascituras ex tam Augusto connubio proles vel audire possit vel inutere? Ignoscite mihi Reges, (dicam enim audacter) superabunt illæ parentes, & quicquid est in Patre dignitatis & excellentiæ, in matre virtutis & pudoris, totum uno animo complectentur: Nimirum hoc est, quod præsaga jam mente mortales omnes futurum animadvertunt, ideoque in his Sponsalibus imparia sunt obortis gaudiis pectora cunctorum. Quis enim ulla vi, copiaque dictionis assequatur utriusque regni concitatos amores, & gestientibus agitatam animis lætitiam? Male hodie, aut non omnino Pyrenæi montes à Francis separant Hispanos: evolant & transuolant animi, dumque Reges affinitate conjunguntur, affectu populi coalescunt. Nec Hispani tantum & Franciæ gaudium hoc habent; in societatem sese tot nationes aliæ adjungunt factæ gaudii participes, quot ab Ecclesia nondum recesserunt, & hos Ecclesiæ Regios filios semper amarunt. Et obsecro quæ tandem provincia non exultaret, cum per hoc connubium futurum odiorum omnium extinctio, mutua concorsque dilectio, commerciorum libera conditio, Catholicæ fidei coniuncta propugnatio, hæresum pestiferarum exterminatio sit futura? Iam ille conceptus hæreticorum in animis timor omnem adfert; fringunt, frendent, furore & indignatione rumpuntur, amplius etiam, si impedire possent ac remorari, laborarent, ita capita movent, ubi cauda conteritur, & dum imminere capiti perniciem animadvertunt, totum corpus inusitato timore concutiunt, Omnino plurimum est, Christianum Catholicumque Regem animos affe-

Optatio.

Præsagium.

Ex hoc coniugio in omnes se gaudium transfundit.

Ratio gaudii communi assequentibus.

Allegoria.

affectu, mentes consilio, manus ope iunxisse. Hoc restat, ut exclamemus:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam nova progenies cœlo demittitur alto.

Tantumne?——*Iam ferrea primum*
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.


O Ecclesia, pande animum, & sereno vultu, si quis hactenus dolor sollicitam occupavit, felicitatem tuam agnosce. Hi sunt Reges filii tui: qui ut te defendant coniunguntur; hi sunt Reges protectores tui, qui ut de tuis hostibus triumphes, in hostes tuos arma coniungent. Vt nam utinam adsit successus, ubi affectus non deest: Tu omnipotens Mundi Deus, qui sceptra donas, & regum animos regum Rex moderaris, cælesti nutu rebus humanis fata decerne. Tui Numinis inspirationem Reges animis hauserunt, & eadem mente affinitatis sacramento mentes iunxerunt; tu mentes erige consilio, & ubi manus vires sociabunt, prospero eventu fortunam rege. Et vos, ô Reges inclyti, si tacitam orbis vestri vocem audire lubet, ambo consilium pectoris unius habere, & uterque vires duorum. Ita felices in Ecclesia vivetis, & per vos Ecclesia felicior respirabit DIXI.

Peroratio Apostrophe ad Ecclesiam.

Optatio.

Precatio ad Deum pro successu huius coniugii.

Apostrophe ad Reges.



GVILIELMI de VLEESCHOVVVER LOVANIENSIS.

LAVDATIO.

M. T. Ciceronis.

Exordium per optationem.

VTinam, Ornatissimi Domini AVDITORES humanissimi, ea mihi ab omnipotente rerum omnium molitore concessa facultas esset, ut Eloquentiam admirabilem illam scientiarum omnium reginam aliqua in tabula viuis coloribus adumbratam, numeris omnibus absolutam, vi sua gratiaque præcellentem, vobis quicunq; hic adestis, repræsentare hodierna die valerem: videretis potentissimam illam animorum dominam, quam usque adeo Iudices Areopagitæ pertimuerunt, ut illam exordio & epilogo, quæ maxima sunt animorum pertractandorum instrumenta, truncarint: videretis illam artium reginam, quæ reliquas scientias omnes in lucem publicam, & in ipsius gloriæ theatrum educit; videretis illam regnorum gubernatricem, quæ respublicas persuasis legibus stabilit, & easdem vigente iustitia florere facit; videretis illam amorum imperatricem, quæ ignavis animos addit, seditiosis impetum & audaciam detrahit, gladiorum aciem suavitate sua retundit, hostium ardorem & contumaciam extinguit ac flectit. Sed quoniam tantum hoc voto inani animo deludo, vos ipsi repræsentate vobis, quam intueri possitis, nympham aliquam naturæ dotibus omnibus exornatam, gemmis, monilibus, annulis, armillis decoratam, corporis decore venustam, faciei

Varia eloquentiæ imago & repræsentatio.
Repetitio.

Disiunctio
Similiter desinens.
Dissolutio,
Demonstratio & descriptio,

faciei splendore amabilem, gratiosam, affabilem, diuinam, non Helenam tamen aliquam, in qua fucus, sed Aspasiam in qua nitor naturalis elucescat; ac tum eloquentiam vos intueri existimatote. Quanquam quid opus aut matronam aliquam grauem, aut nympham faciei dignitate commendatam optare? Fingite potius vos intueri Herculem aliquem Gallicum, annis plenum, dignitatis maiestate venerandum, cuius exore catenulæ tenues auro electroque confectæ pendeant, & multitudinis circumfusæ auribus alligatæ per aures animos attrahant, adeo ut de fuga nemo cogitet, pedibus adversus trahentem nemo obnitatur, omnes laxatis vinculis ducentem antevertere læti conentur, fortassis vos tum viuæ eloquentiæ effigiem intueri credetis. Verum quid ita demens aberro, ut aliquam præstantissimæ eloquentiæ tabulam producere me posse sperem? non possum, AVDITORES, non possum, nisi forsitan ex antiquo illo æuo M. Tullium Ciceronem, Romani imperii primam gloriam, eloquentiæ miraculum, prudentiæ prodigium, omnis æui ad omnem eruditionem exemplum, quem non hominem in terris egisse, sed ipsam inter homines animatam eloquentiam fuisse puto, vobis omnibus repræsentem. Inveni igitur aliquem, atque hic est, in quem dum mentem admiratione concitatam, oculos stupore conversos coniicietis, ego in eius laudibus ita omnem orationem occupabo, ut eum ab incunabilis in lucem publicam educam, in luce per honorum gradus dignitate plenum circumducam, ac tum glorioso triumphantis immortalitatis curru ad immortalitatis sepulchrum deducam. Fauete tanti viri dignitati gloriæque, AVDITORES, & imparem tantis laudibus conatum nostrum humanitatis vestræ subsidio adiuvate. At vero quonam tandem è portu solvam? quibus ventis lau-

Correctio.

Demonstratio continuatio.

Constitutio & propositio orationis per certos ætatis gradus. Captatio beneuolentiæ.

Allegoria.

Confirmationis prima.

mus locus à parentibus Ciceronis, & maioribus dationis huius nauem in immensum Ciceroniani honoris Oceanum impellam? quid primum dicam aut admirabor? an quod Tullio patre, viro honestissimo, equite Romano; Olbia vero *Dubitatio.* matre matrona optima atque generis antiqua nobilitate insigni sit natus? an quod regio sanguine oriundus suos inter proauos & maiores Tullum Volscorum regem numeravit? verum hu-*Metaphora.* ius laudis non ita est cupidus Cicero noster, ut maiorum suorum luce nobilitatis suæ facem accendat, quin imo maioribus se suis virtute præluxisse, & latitantem in obscuritate familiam in *Comparatio* eximii splendoris lucem revocavisse gloriatur. *cum aliis nobilibus.* Iactitent, alii stirpis illustris antiquitatem, attollant maiorum virtutes & facta, non vult Cicero noster alienæ laudis plumis ornari, non vult in tantarum meridie laudum aliunde splendo-*Permissio* rem mutuari. Non ignoro deos aliquando vel *Allegoria,* Iulii Ascanii, vel Seruii Tullii futuram in orbe claritatem non ambiguo prodigio declarauisse, cum circa eorum recens natorum capita flammam aliquam innoxiam apparere voluerunt. *Laus ab insomnio.* Quantum est autem illud, quod Ciceronis nutrici phantasma, nescio quod, sed phantasma tamen verum in somnis apparuerit, ab eaque Reipublicæ salutem nutriri denunciarit? Scio mel aliquando in os Platonis, cum in cunis infans iaceret, ut futuram eius eloquentiam declararent, a-*Compar.* pes intulisse. At vero nunquid omnibus credendum est, Musas omnes & Apollinem mel omne suum, opes omnes suas huius pueri labris, cuius tanta postmodum facundia regionibus omnibus *Transitio ad pueritiam.* & ætatibus apparuit, instillasse? Sed nec in cunis illis tantum gloriosis, nec in brachiis nutricis, puerum hunc eximium contemplemur: con-*Laus ab instituto.* sistat in luce & ingenii sui claritate percellat: quid dicam? scholamne? nimis erat angusta, & tantum tam illustris iuvenis iubar illustre non

capie-

capiebat. Vrbemne? urbem urbium Romam, in qua cum iam in scholis æquales omnes suos ingenii magnitudine superaret, viros ita sui admiratione complebat, ut non raro Principes urbis ac Senatores ad eum visendum cognoscendumque ludum adirent, è ludo vero discedentem, solemni quasi pompa ac faustissimis acclamationibus condiscipuli stiparent & comitarentur. Iucundum erat illum videre, gloriosum comitari, loquentem audire summæ oblectationis, alloqui familiariter summæ felicitatis. Quæritisne quibus studiis atque artibus primam illam ætatem suam consecrarit? non potuit summum ingenium nisi viros summos imitari. Vnde quemadmodum à poeticæ studio studiorum cursum Aristoteles virorum omnium maximus incœpit, ita Cicero noster primis annis Poeticam degustavit, ut illo musarum melle nutritus, Gratiarum manibus formatus, Apollinis numine plenus suavissimum eloquentiæ nectar in omnem posteritatem eructaret. An non etiam ex illis Musarum fontibus haustum aliquem ætati suæ propinavit? Testes sunt libri illi quos suavitatis, elegantiæ, ardoris plenissimos conscripsit. Testes sunt superstites illi versus, quos nondum præteritarum ætatum tenebris invidia potuit obscurare. Quanquam qui ad eloquentiam factus erat à natura crescentibus paulatim annis eloquentiam est amplexus Invitabat generosum adolescentem Romani fori gloria, quam eloquentia media in luce occupabat. Impellebat eum innatus patriæ amor, cum eos in Republ. tantum utiles esse ac florere videret, quorum in pretio vox esset. Inclinabat ipsa eum natura, quæ cum in illo vires omnes suas vellet experiri, illi vultum, latera, vires, animum, geniumque ad eloquentiam accommodarat. Enimvero nondum in hac Ciceronis ætate prima summam eius eloquentiam deprædicabo,

ne & studiis primis.

Concursus ad Ciceronem adolescentem videndum.

Compar. Disiunctio.

Ordo studiorum Ciceronis.

Primo à Poeticis.

Repetitio.

Secundo ab eloquentia.

Synonima.

Dissolutio.

Articulus.

puerum adhuc illum contemplamur, sed in quo tamen singulari quotidie incremento laus eximia, amor civium omnium, eruditio admiranda crescebat. Et quemadmodum cum effusa luce sol irradiat horis singulis rosa nascens aperitur amplius & apparet pulchrior; ita illustris hic juvenis secundis quasi naturæ ac fortunæ vētis usus, expansis ingenii velis quotidie amplius ad immortalem gloriam contendebat, & Oceanum laudis ingressus, propius ad sempiternæ famæ portum accedebat. Nulla erat omnino scientia tam difficilis, tam ardua, tam admirabilis, quam non ejus ingenium tanquam rupem præruptam superaret. Nulla virtus erat tam excelso arduoque in loco posita, quo non ejus animus generositatis sublatus alis anhelaret ac perveniret. Vnde delibata primum ac primis duntaxat labris eloquentia, in Academiam Lycæumq; prorumpens, Philosophos sapientissimos audivit, Iuri speritis prudentissimis operam dedit. Tunc Philonem Philosophiæ Doctorem egregium doctorem habuit, ut ignorare nihil posset, qui Philosophiam scientiarum omnium instrumentum haberet. Tunc Mucium Scæuolam juris ac legum interpretem frequentavit, ut qui in foro ac mediis civitatis occupationibus versari laborareque desiderabat, fori dominam jurisprudentiam possideret. O te puerum Marce Tulli non humanum, sed divinum, qua tandem admiratione complectar? aut qua de te summam admirationem cogitatione concludam? si in te puero extollendo jam deficio, quo voce te virum prædicando sufficiam? Nondum eras per ætatem par labori scientiarum, & jam tamen virorum maximorum ornamenta possidebas, in te virtus non exspectabat ætatem, & annos præveniens tua gloria, quos in aliis ætatis ultimæ fructus videmus, primæ tuæ ætatis esse faciebat. Sed quem puerum cognovimus,

Similitudo ducta à rosa.

Tertio à philosophia & iurisprudentia.

Apostrophe & dissimulatio Oratoris.

Similiter desinens.

nimus, AVDITORES, adolescentem non ignoremus: crescat oratio eum ætate, admiratio cum laude. Non ignoro multos esse, qui cum pleno in Ciceronem ore debacchari concupiscunt, meticulosum hominem appellant, militem irrident, quibus opinior, os illud occluderem, atque illam calumniandi licentiam coercerem, si vel eius tyrocinium in bello referrem; atque egregiam Marsico bello, Sullaque dulce operam navasse commemorarem. Lateant tamen eius arma & bella, neque enim hic ab illis splendorem exspectabat; non explicetur militaris eius ardor, neque enim illo tantam ad gloriam ferebatur, quam illi in immortalitate partam esse contendimus declarare: ad studia atque artes revertamur, quas adolescens positis armis resumpsit. Et obsecro, videte quam iniquis sæpe fatis summa ingenia agitentur, nunquam tamen vincantur. Sextum Roscium à Sullanis oppugnatum tanta omnium admiratione defenderat adolescens, ut amorem universi populi mereretur & occuparet, solus Sullæ odium indignationemque concitaret. Qua de causa in Græciam atque Athenas proficiscens, oratoriæ se rursum facultati commisit, atque in ea breuissimo tempore tantos fecit progressus, ut Græcos in Græcia superaret, eamque cum aliis omnibus, tum Apollonio potissimum sui iniiceret admirationem, ut cum vice quadam Ciceronem Græce declamantem audivisset, suspirans gemeret primo, deinde vero rupto silentio gemituque dolere se profiteretur, quod cum antea Romani decus armorum Græcis eripuissent, nunc eloquentiam per Ciceronem Romam auferrent. Quid illustrius dici potest ad gloriam nominis eius sempiternam? quid divinius ad amorem gentium omnium illi conciliandum? Sed erat admirabilis eius indoles & excitatus naturæ feruor, qui ut illum ad laudem

Transitio ad adolescentiã.

Obiectio per occupationẽ.

Responsio per præteritionem.

Testimoniũ Apollonis.

Ardor & peregrinatio Ciceronis. *Repetitio.*

omnem ambiendam trahebat, ita per omnes Rhetorum Philosophorumque scholas in Asia, Rhodo, Græcia circumducebat. Illic Apollonium Molonem, illic Xenoclem, illic Dionysium Magnetem, illic Mænippum Charem, Antiochum Assanil:tem, alios plurimos illustres & famosos audivit, quorum tamen omnium egregius discipulus laudem ac gloriam sua fama claritateque propediem obfuscavit. Ita peregrinatione varia ac difficili eloquentiam quæsivit, laboribus infinitis inventam emit, plurimorum auscultatione doctorum probavit, longo ac multiplici exercitio suam effecit, variarum cognitione disciplinarum adornavit.

Disiunctio. Similiter desinens.

Breuis digressio in reprehensionem inanium oratorum.

Næ illi mihi nemo oratoris non ferunt nec merentur, qui quia mellitas, ac, ut ita dicam, saccharatas quasdam voces delicatis quorundam auribus vendunt, eloquentiam sese ructare contendunt. Næ illi quoque nunquam dicentur oratores, qui cum iterum atque iterum pulpita vel ingenti mole presserunt, vel audaci voce impulerunt, Cicerones sese novos arbitrantur. O non ille domi eloquentiam in otio quærebat, quam alibi laboribus venalem esse sciebat. O non ita ambitioni vanæ animum suum mancipabat, ut pro sapientia fumum, pro eloquentia inanem iactaret linguæ volubilitatem.

Exclamatio. Contraposita Optatio.

Vtinam Principem hunc oratorũ imitarentur, qui cum doctissimorum Rhetorum præceptis linguã suam formauisset, nequaquam hac gloria contentus Roscium comœdiarum, Æsopum tragœdiarum actores, ut vocem gestumque componeret, frequentauit. Quanquã ne in singulis hæreamus, qui omnia nunquã oratione decurrere valemus, & si ad honores à studiis Cicero noster processit, his illum ornatum florentemque conspiciamus.

Transitio ad L. no... virilis ætatis

Communicatio

Obsecro vos AVDITORES, quæ tandem ingenio illius par dignitas potuit inveniri, qui omnes potuit eodem pæne tempore mereri? Factu

in Sicilia Quæstor; Quæsturam summa fide, diligentia integritate administravit. Retinere voluisset. Siculorum amor, sed in urbem pop. Rom. conditio revocavit, qui præsentium potius virtutem, quam absentium famam intuebatur. Hic ergo suæ virtutis theatrum elegit, hic in oculis omnium habitare voluit, hic ab omnibus frequentari desideravit. Et erat domus eius iuxta palatium posita, scientiarum omnium emporium, miserorum asylum, afflictorum refugium domus consilii, auxilii, honoris, domus authoritatis & dignitatis, domus virtutis & gloriæ. Hanc assiduę circumfluentis multitudinis frequentia stipabat: in hac reges virique senatorii pro salute sua fortunarumque conservatione Ciceronem conveniebant: ab hac quotidie plurimi recreati lætique discedebant. Aperiam vestrum omnium cogitationem. Nunquid omnes existimatis tanto viro nunquam ullos deesse potuisse honores? omnino, qui debiti erant deesse nunquam potuerunt. Factus est ædilis, factus est primus Prætor, & in urbe summa integritate jus dixit. Quid amplius? petiit consulatum. Quando? cum Catilina, cum Caius Antonius, cum Q. Cornificius patricii & nobilissimi homines essent candidati. Quid deinde vero? factus est Consul Cicero, & quod erat tum in urbe summi honoris fastigium, cursu quodam contentissimo, pœne dixerim volatu celerrimo, conscendit. O quid non indolis excitatæ virtus animosa potest! Imo vero quid tandem eloquentia non potest? Ecce Rhetor è foro Romano omnibus honoribus tanquam gradibus quibusdam in immortalitatem transcendit. Ne quisquam hic mihi exclamet, hoc opus, hic labor est. Nulla invidia cursum hunc honorum retardavit, nulla cuiusquam virtus viam interclusit; patebant illi candidato honores, & pœne prius obtinebat, quam petebat.

Repetitio. Cum similiter desinente.

Periphrasin & Allegoriam.

Traductio.

Laus ab ædilitate & Pratura.

Subiectio.

Laus Consulatu.

Admiratio.

Occupatio. Disiunctio. Compar.

Incrementum. Non poterat in minoribus subsistere virtus, quæ majora merebatur. Meruit Quæstor ædilitatem; meruit Ædilis Præturam, meruit Prætor Consulatum. *Renovatio attentionis cum excusatione.* Date veniam AUDITORES, & permittite, ut ubi me copia maximarum pulcherrimarumque rerum obruit, ab arte recedam, & quod possum, nullo ordine, ac lege quicquid occurret producam. *Illustratio per similitudinem.* Quemadmodum enim cum ab Oriente Sol in Meridiem ascendit, aliquas tantum & non omnes terræ partes illustrat, ubi vero in Meridie est, clarissima luce radios suos in orbem universum diffundit; ita cum Ciceroniani meridiem honoris attigerim, inque fastigio dignitatis & ætatis ejus consistam, necessario mihi omnis est oratio diffundenda. Quis igitur est ille tandem, quem *Laus à testimonio Senecæ.* tantopere laudandum suscepimus? Ille est, cuius ingenium par imperio Romano fuisse Seneca Romanorum sapientissimus est attestatus. Ille est, quem lauream tanto triumphis omnibus majorem adeptum fuisse Iulius Cæsar est professus, *I. Cæsaris. Repetitio.* quanto plus est ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quam imperium. Ille est, quem ad Vespasianum scribens Plinius Latiæ facundiam linguæ appellet. Ille est, quem dono quodam providentiæ genitum Quintilianus affirmat, in quo vires omnes suas eloquentia experiatur. Sed dic tu *Silii Italici per Apostr.* nobis Sili. Italice, quis est iste tantum Marcus Cicero?

Regia progenies & Tullo sanguis ab alto,
Indole pro quanta iuvenis, quantumque daturus
Ausonia populis ventura in secula civem?
Ille super Gangem, super exauditus & Indos,
Implebit terras voce, & furialia bella
Fulmine cõpescet lingua, nec deinde relinquet
Par decus eloquii cuiquam sperare nepotum.

Dic

Dic tu tersissime Catulle, tuæ enim causæ patrocinatus est Cicero, cui gratias his verbis amplissimas egisti: *Catulli.*

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quotq; fuere, Marce Tulli,
Quotq; post aliis erunt in annis.

Attollat igitur Gallia Herculem suum cuius ex ore pendentes aureæ catenæ hominum animos trahebant. Iactet Thracia Orpheum suum, cuius cantu saxa, montes, maria, feræ, silvæ commovebantur; Laudent Periclem Athenæ, qui dicendo fulgurare, tonare, omnia permiscere solebat; Glorietur in Platone Græcia, cuius lingua loquuturum Iovem existimavit, si Græce unquam loqueretur; Appellet Oetesium Aristoteles Euphrastum, eundem alii Theophrastum appellent, quod non bonum tantum, sed divinum sermonem usurparet. Floreat Demosthenes subtilitate, ornetur Isocrates jucunditate sua, laudetur Thyrtamus vi eloquentiæ inusitata; unus instar omnium Cicero, unus omnium dux est Cicero. Non aureis tantum verbis hominum animos trahebat, etiam efferatos inhumanosque non aliter, quam saxa quædam permovebat: non eius tantummodo sermonem homines improbi perhorrescebant, sed potentissimi quicumque tanquam optimum & divinum imitabantur: suavis erat & mellitus, concitatus & vehemens, concisus & copiosus, denique quicquid unquam Oratores quicumque, hoc unus ac solus, imo etiam amplius erat Cicero. *Compar. cum Hercule. Gallico. Orpheo. Articulus. Pericle. Disiunctio. Platone. Oetesio. Demosth. Isocrate. Thyrtamo. Vu eloquentia. Cicero.*

Videre videor hanc in vobis cogitationē: O quam erat homo iste divinus, quam verum gratumq; naturæ delicium, speculum omnis excellentiæ ac dignitatis, miraculum ac cœleste quoddam prodigium, hominum omnium excellentissimorum illustre compendiū, viva scientiarū omnium & eloquentiæ deliciarū *Obliqua prosopopæia. Allegorica descriptio.*

Coduplicatio. arca! ô quanta, quam suavis, quam potens in eo eloquentia! vere, vere Aud. si non nisi ex montibus majora illa flumina promanant, quæ regiones terrarum orbis irrigant & fœcundant, non potuit ex tanto viro nisi eloquentia summa uberrimaque oriri. Fuit admirabilis in oratore Cinea vis sermonis, quo tanquam machina quadam bellica Græcorum urbes in deditionem cogebat; sed tamen, quam nihil omnino vis illa fuit, si Ciceronis vim omnem perpendamus? Fuit inusitata Menenii Agrippæ oratio, qua rebellem adversus magistratum urbem in urbem reduxit. Fuit Marci Antonii Oratoris eloquentia potens, qua percussores ad se missos ita perterruit, at vaginis gladios suos reconderent, & illum fugerent quem occidere meditabantur. Verum non gladios vulgarium hominum ac sicariorum, sed animos ac mentes potentissimorum hominum crudelitate quadam efferatas M. Tullius lenitate mansuetudineque involuebat. Fuit in Tyrtæo secreta quædam animandi potestas, qua exercitum quondam Spartanorum in fugam conversum ac desperatum suæ vocis auxilio restituit ac victorem fecit. Quid deinde vero? isne Ciceronis eloquentiam adæquavit? imo vero ne quidem adumbravit, nisi forte rivulum cum Oceano, facem cum Sole, globum cum mundi machina, herbam cum arbore, formicam cum elephante comparemus. Sed amplius non moror vos verbis, AVDITORES. Ille erat Marcus Cicero, cuius eloquentiæ fama tanquam magnes non trahebat, sed impellebat homines & ad quam audiendum omnes omnium ordinum, atque ex omnibus urbis partibus, clausis officinis, depositis instrumentis, negotiis occupationibusque relictis, spretis mensis ac conviviis in forum cives concurrebant. Hic ab ore ejus verbis ejus alligati pendebant, hic Deum ali-

Similitudo. *Comparatio cum Cynea.* *Agrippa. Metonymia.* *M. Anton. orat.* *Tyrtæo.* *Subiectio. Comparatio per extenuationem. Fama eloquentiæ Ciceronianæ.*

aliquem loquentem in terris audire videbantur, *Metaphora.* hic illum eloquentiæ torrentem quodam impetu suo ferri videbant, quo togatus armatas Antonii cohortes proscripserat & eiecerat; quo obmutescere Catilinam in Senatu fecerat, è manibus illi arma excusserat, abire coegerat, tandem oppresserat; quo Clodium vexauerat, quo Verrem accusauerat, quo plurimos ciues alios improbos & sceleratos persecutus fuerat, bonos autem tutatus; quo denique vir omni admiratione maior effecerat, ut domus eius tanquam arx quædam esset ciuium oppressorum, perfugium exterorum, ara salutis communis, domus libertatis, curia authoritatis publicæ, palatium omnium fortunarum. Et vere quemadmodum cum ex alto monte torrens dilabitur, secum suo omnia impetu rapit, ita Cicero eloquentiæ suæ torrente omnia percellebat, curiam impellebat, Capitoliũ concutiebat, urbem trahebat, quicquid volebat, efficiebat, & gloriosam hanc vocem non immerito iactabat:

Vis eiusdem eloquentiæ. *Repetitio.* *Similiter desinens.* *Allegorica descriptio.* *Similitudo.* *Similiter desinens.*

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Vsque adeo nulla virtus in eo desiderabatur, in quo erat copia Platonis, iucunditas Isocratis, subtilitas Demosthenis. Enimvero prævaricator Tullianarum laudum esse videar, si unam hanc in ipso eloquentiam admirarer. Erat, erat in eo magnanimitas incredibilis, qua ad felicem exitum ea omnia perduxit, quæ attentare Patricii omnes reformidabant, dum urbem ab incendio, patriam à devastatione, templa à direptione, bonos omnes à cæde suo consilio, industria, vigilantia; fortitudine liberavit. O vere Marce Tulli fortunatam natam te Consule Romam! Quis Scipio hanc se in gloriam inducat? Quis hanc illi Marius palmam præripiat? Quis Pompeius triumphum maiorem exspectet? Quis Marcellus gloriosius depulsum hostem glorietur? Testor te,

Distributio. *Transitio.* *Conduplicatio.* *Laus à virtutib.* *Amagnanimitate.* *Adiunctio.* *Exclamatio* *Comparatio cum victoribus.*

triumphatoribus aliis. te, ô veritas, Testor te fides: tu Marci Catonis os impulisti ut Ciceronem nulla adulatione patrem patriæ appellaret: tu Senatum universum permovisti, tu supplicationes Ciceroni togato decerneret, ut Pompeium Magnũ excitasti, ut ex Asia scriptis literis Ciceroni gratias ageret, & se eius beneficio patriam visurũ attestaretur. *Ab amore in patriam.* Num vero deprædicem ardentissimum eius in patriam amorem *Humanitate.* laudem incredibilẽ in omnes humanitatẽ? extollã animi magnitudinem? glorier in eius industria? *Industria.* triumphem in eius singulari apud omnes gratia? O utinam par ætas esset? sed sum infans, utinam hic eloquentiæ torrens esset! sed deficerem. Vtinam omnium in meo ore voces personarent oratorum, omnium in me spiritus respiraret eloquentium! sed languerem, hærerem, obmutescerem, & iam quoque languidus & hærens obmutesco. Date veniam AVDITORES, vereor enim ne ingenii mei culpa laudem deteram immortalem. *Præteritio.* Latebit proinde sub hoc silentio nostro libertas eius, non aperietur comitas illa, qua fuit omnibus admirabilis & amabilis, unum silere non possum; & quod non voce, dicam affectu: mortem obiit Cicero pro patria, & in patria toties à se seruata. *Mors Ciceronis.* *Affectus pro morte Ciceronis.* O doloris æterni vulnus! O fatum eloquentiæ, & virtutis ipsius fatum! Quid? hereo rursum, AVDITORES, & perturbor, & ubi tanquam in immortalium capitolio laudum exultare triumphareque deberem, lachrymis & dolori me trado. *Apostrophe* Imo vero vinco affectum meum, vinco dolorem, & tibi Marce Tulli gratulor: Tu pro patria tua occubuisti, ut ceruicem præbuisti, tu hostes tuos moriendo vicisti, ut laudem omnem & immortalitatem, qua apud nos adhuc viges, intrasti. *Peroratio.* Quanquam quid ago? quid sermone animum, quid voce sermonem defatigo? Vtinam (iam enim verbis agere me tædet) utinam non de Cicerone verba facerem, sed illum, illum vobis

bis hic præsentem, hic virum omni laude famaq; summa conspicuum & illustrem cerneretis! videretis puerum cœli quendam & naturæ alumnum; intueremini adolescentem omnis virtutis, honoris & gloriæ candidatum; cognosceretis virum perfectionis omnis exemplar & speculum. At vero si immortalem eius spiritum contemplari, si divinum illud ingenium vel oculis vel animo usurpare fas esset, illum dico spiritum temporum omnium & hostium domitorem, tot voluminum æternorum auctorem ac parentem: an non esse diceretis sapientiæ ipsius delubrum, prudentiæ sacrarium, scientiarum omnium domicilium, eloquentiæ palatium, virtutum immensarum ærarium? Non licet, AVDITORES, & hanc fœlicitatem temporum invidia nobis ademit. Vtinam, saltem, utinam vocem eius, divinam vocem sapientiæ, vocem eloquentiæ audiretis! Quid dico audiretis? nunquid auditis? nunquid his verbis scholam hanc nostram impellit? Ite, ite ad gloriam Rhetores mei, sed per laborem; penetrate in immortalitatem, sed per hos, quibus ascendi, vigiliæ, industriæ, laboris gradus. Nihil animo generoso impervium, nihil industriæ diligentiæque arduum aut clausum: illam nostram, illam vestram eloquentiam amate, qua in foro famam, in curia gloriam, in posteritate immortalitatē acquisivi, & vos acquiretis. Semper erecta indole vestram ætatem non ad sepulchri angustias, & humanæ terminos vitæ, sed ad immensa gloriæ spatia & infinitos famæ cursus dirigite. O amabilem, ô admirabilem vocem? sed reticet, non auditur, in silentio est Agite tamen, agite, AVDITORES, si tacet, nos istam tacitam vocem habemus in libris ejus, hinc illam loquentem vocem nostram legendo faciamus, hinc illam lectione resuscitatam suspensis auribus hauriamus; hinc, dico & finio, Ciceronis mel & nectar hauriamus DIXI.

Repetitio confirmationis figurata

Optatio.

Prosopopaia.

Adhortatio ad Ciceronem imitandum.

F. BERN-

F. BERNARDINI GERIN DIONANTENSIS, Ord. S. Francisci.

LAVDATIO D. LAMBERTI.

Exordium à dicto Davidis. CVm aliquando Rex ille magnanimus Iudæorum, & sanctissimus Propheta David diuinæ maiestatis immensitatem, & omnipotentiæ abyssum paruo ingenii sui remigio pertentare desideraret, atque illud in infinitæ sapientiæ pelagus *Allegoria.* vela suæ considerationis expanderet: perterritus tandem rei ipsius tanquam maris cuiusdam immensitate, cum nec vadum nec fundum speraret, iamque quadam desperatione cogitationes eius inuoluerentur, erupit in hanc vocem: Confitebor tibi Domine, quoniam terribiliter magnificatus *Correctio.* es. Plane mihi idem euenire non modo animaduerto, verum etiam sentio. Humanissimi AVDITORES, dum in immensum illud laudationis san-*Allegoria.* ctissimi Lamberti Oceanum paruam huius orationis cymbam ducere contendo. Quis enim hic fundum speret ubi nullius est finis? quis ad portum aspiret, ubi laudum immensitas in immensum diffunditur? nam, si eius humilitatem intuear, abyssus est: si castitatem, prodigium est si animi celsitudinem, vadum est sine fundo: si patientiam & iustitiam, miraculum. Adeo ut si vela dem, in temeritatis scopum incurram: si hæream, timoris & pusillanimitatis charybdim videar pertimuisse. Veruntamen cum non omnis spes absit; & honestus ubiq; conatus extollatur, audeamus aliquid, & magno

magno ac fidenti animo quod incœpimus obeamus. Nam vt ait Poeta quidam, si deficiant vires audacia certe

Laus erit, in magnis, & voluisse sat est.

Itaque ergo omnem hanc nauigationem instituam, ut excedens è portu per omnem sanctissimi vitam tanquam per mare quoddam excurram: sic tamen ut eius pueritiæ littus attingam, deinde adolescentiæ iuuentutisque promontoria legam, ac tandem in ipsum extremæ vitæ altum alio usque descendam. Quod si fortasse tempestas quædam exorta naufragii periculum attulerit, vela contraham, & victus hoc tantum exclamabo: Confitebor tibi sanctissime Lamberte, quoniam terribiliter magnificatus es. Fauete vos, Humanissimi AVDITORES, & isto vestri fauoris & attentionis vento conatibus aspirate. Iaciam vestro in fauore anchoram, si opus erit, & nullum inde periculum reformidabo. *Propositio: cum partitione.* *Conciliatio audit.*

Solent qui laudationum argumenta verbis amplificant, cum virum aliquem illustrem, pro dignitate exornandum susceperint: longam maiorum seriem enarrare, fumosas parentum imagines proferre, rerum præclare gestarum ab avis & atauis Catalogum explicare, imo ut verius loquar, plumis alienis vestes suas exornant, & aliena luce solem suum fulgere splendescereque faciunt: non ego hos hodierna die imitabor, siquidem, *1. Argumentum à pueritia.*

Et genus & proavos & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

Non eget aliena luce Lambertus noster, qui sua luce orbem universum cœlumque repleuit. Non eget plumis alienis Lambertus noster, qui sua ornamenta in tantam amplitudinem religionis per omnes terras diffudit. Non eget alienis odoribus B. Lambertus: ad cuius virtutis odorem tot homi- *Repetitio cũ allegoria.*

hominum religiosissimorum millia tot ætatibus ac sæculis concurrerunt, & nunc etiam cursu indefesso currunt, Equidem filius fuit Apii viri probi & nobilissimi, natus in oppido Traiectensi. Sed lateat ille & à filii face facem suam pater accendat. Matrem habuit Heusplindem matronam integerrimam, & antiquitate familiæ, & generis nobilitate splendidissimam; sed lateat illa quoque, & à filii lumine suum lumen mutuetur. Hodie puerum deferamus sanctissimum, lateant omnia quæ eius esse non possunt. Ipse vero puer se totum, quantum quidem pro ea ætate poterat, ad divinæ maiestatis voluntatem conformauit: cuius vitæ fundamentum cum summa animi voluptate parentes eius animadvertissent, eum vix adolescentiæ spatia ingressum, quo litteris iisque optimis informaretur, B Landoaldo VVintershouio viro ea tempestate & doctrina & integritate clarissimo tradiderunt; qui eum ita diuinis litteris instruxit, ut reversus ad Parentes egregia pietatis & sanctitatis argumenta præbuerit, doctrinæ & eruditionis monumenta reliquerit. Fateor, vix excessimus è portu. Humanissimi AVDITORES, & iam sistitur cursus nauigationis. Quid hic dicam, ubi rei magnitudo silentium deposcit? Erat puer, aut certe vix adolescens: sed animum virilem supra ætatem, ac plane divinum gerebat. Luxum suum ei fortuna ostentabat? Luxus insolentiam pariebat? insolentia honestatem excludebat? hæc irridens fumum esse afferebat. Deliciæ, voluptates sensus sollicitabant? orationibus & ieiuniis comprimebat. Divitiarum apparatus voluntatem pertentabant? hic eos paupertate reiiciebat. Pompa splendorque oculos sollicitabant? hos tanquam laruas irridebat: videbat honorum insignia; sed inania putabat: videbat ridentem Venerem, sed fletus instrumenta esse iudicabat; uidebat fastum in fastu, au-

Expositio parentum D. Lamb. per præteritionem.

Laus à pietate pueri D. Lamb.

dissimulatio Dubitatio.

aurum in auro, mundum in mundo: & alta quadam mente præditus valeat inquit, fastus mundi, valeat pompa. Quid mihi cum mundo, si cœlum adest? Quid cum divitiis, si inopia succedat? Quid cum honoribus si cum iis sim reprobandus? Quid cum voluptatibus, si desinant in dolores? Tu una humilitas places, una arrides: te unam amo, te unam ambabus ulnis amplector: te unam exosculor: quam dæmones verentur, quam cœlites amplectuntur: quam custodem omnium virtutum, & fundamentum una animi sententia sapientes profitentur. Ita sanctissimus adolescens sentiebat, ita cogitabat, ita hæc animo vix adolescens mente revoluebat. O admiranda futuræ incredibilis Sanctitatis rudimenta! O fœlix principium! O fœlix auspicium! O vere fœlix & beatus adolescens? Dicebas ô sanctissime Adolescens, tutelam & initium omniũ virtutum esse humilitatem: sciebas eum spargere, qui sine humilitate colligit; non ignorabas eum destruere, qui non supra humilitatem ædificat: iudicabas eum, qui à se repellit humilitatem, etiamsi in cælo domicilium haberet, à Domino esse repellendum: cogitabas eum qui in sinu suo collocat humilitatem, etiamsi in cæno peccatorum iaceret, in sinu Dei esse collocandum. O fœlicem iterum ac tertio te fœlicem Adolescentem, qui tuæ vitæ fundamentum talem virtutem, quæ est fundamentum & custos (ut antea diximus) omnium virtutum, esse voluisti! O dulce nomen humilitatis! O virtus præclarissima, mundi sapientibus minime nota: sed ab ipsa Dei sapientia mirifice commendata! O virtus admiranda, dilecta paucis mortalibus, Diuo Lamberto unice grata! Sed huic virtuti aliam præstantiam non inferiorem adiunxit. Nuntium divitiis remittebat, eas temnebas: quidquid habebat in pauperes erogabat. O charitatem

Prosopopaia

Locus communis de laudib. humilitatis.

Repetitio.

Exclamatio.

Laus à divitiarum contemptu & benignitate in pauperes.

Exclamatio.

Exclamatio. tem omni sæculo deprædicandam ! Et quid obsecro non expectandum ab hoc initio fuit, in quo victoria sui difficillima triumphus de mundo gloriosissimus, perfectionis & æternitatis amor ardentissimus effulgebat ? nimirum amore divino & afflatu tanquam magnete tactus, animus ascendit; terrena despexit : nimirum amore divino, & afflatu tanquam sole quodam calefactum eius pectus, uberrimam omnium virtutum segetem emisit, ut omnino nihil aliud esset Lambertus in terris quam lucerna virtutis ardens, & virtus potens: ut inquam nihil aliud esset Lambertus quam lucerna ardens in Corde suo per charitatem, suis in manibus per bonorum operum exercitationem, in orbe universo per exempla virtutum. Sed memorandi Adolescentis sanctum ad Theodardum Traiectenses tum temporis apud populos Pontificiam obtinentem dignitatem usque pervenit rumor Sanctitatis. Cur ut honestatis cursum teneret, ut dignitatis atq; gloriæ portum caperet, ut cum nutricis lacte moribus quam optimis imbueretur; ut instar lapidis (dico) pretiosissimi in Regia aula multis modis expoliretur, traditur educandus. At fortassis de eo triumphum sperare potuit caro? qui in aula Regia, ubi pompa, honor, luxus mentem animumq; sollicitare titillare, & sensus subintrare solent versabatur imbellis sane & teticulus hostis in eum extitit caro, qui carnis blandimenta repudiavit, de carne ipsa iam triumphavit, illa in divitiis, in conviviis, in lectis suas insidias struit : hic eas paupertate ieiunio, cilicio effregit. Christe bone, quot in vitæ nubibus atque procellis reperiuntur, qui flammantem rotant ensem, ipsi ab una cogitatione rotantur ? quod sunt qui ferocientes frænant equos ipsi ab una carnis titillatione frænantur ? quot sunt qui tanquam Hercules lucem hanc suauissimam aspiciunt, com mu-

Repetitio. simili desinente.

Gradatio.

Laus à devicta carne & mundo.

Admiratio. Compar.

munemque ſpiritum hauriunt, ſed & tanquam Hercules ardoribus impuriſſimæ carnis comburuntur? quot ſunt, qui tanquam Alexandri, imperia auctoritate, jure legibus per belle administrant ac moderantur: ſed ut tanquam Alexandri uno impuro mulieris aſpectu ſervituti mancipantur? quot ſunt qui tanquam Sampſonis fortitudinem, vires, robur iactitant: ſed & tanquam Sampſon ab una muliere ſuperantur? Verum abducamus ab his ſermonem aliquando: ut ad alia neſcio an maiora perveniamus. Quis veſtrum exiſtimat latere poſſe Solem, cum in faſtigio meridiei pontus iacentes infra terras undequaque illuſtrat: non poteſt Humaniſſimi AVDITORES: nec potuit latere Divus Lambertus, cuius virtutis ſplendor humanam aciem perſtringebat. Poſteaquam autem Divus Theodardus Traiectenſis Epiſcopus huius adoleſcentis director, relictis huius vitæ (quæ potius mors eſt appellanda) miſeriis in illam ſempiternam domum triumphans, ubi ævo ſempiterno perfrueretur, evolaſſet: rogatur Divus Lambertus veniret. Quid ille? an huic vel illi gratias immortales tanto de honore ſibi congratulans egit an cibos exquiſitiſſimos adferre? an menſas Articas, quibus animum ſuum erga Elemores rantæ dignitatis teſtificaretur, iuſſit exſtrui? nolite uſquequaquam AVDITOES cogitare. Quod egit igitur? Reſpuit: quid reſpuit tantum? reiecit: quid reiecit tantum? imo urgentibus ſeſe invitum oſtendit; & quibus verbis ſe invitum oſtenderit petitis AVDITORES? ſe tanto munere, tanta functione indignum eſſe dicebat. O virum pium! & in vera humanitate fundatum! Quid vero plebs egerit cum hæc audiret fortaſſe rogatis: attendite obſecro, & videte quibus votis, quo deſiderio, quam inaudita cupiditate plebs

Tranſitio. *Similitud.* *Interrogatio.* *Metaphora.* *Interrogatio cum dubitatione.* *Subiectio.* *Correctio.* *Exclamatio.* *Renovatio.* *Audit.*

Tra-

Traiectensis prosequebatur, in eum plebeio impetu irruens has in voces irrupit: Lambertus civis noster operum bonorum copia celebris Episcopus noster erit, velit nolit. O infiniti amoris argumentum, ô præclarissimum admirandæ sanctitatis signum! ô virum non Episcopali tantum, sed Pontificali dignitate dignissimum! nimirum fugientem studiose sequuntur honores ambitiosum derelinquunt, nimirum hos ad sacra munera appellat Deus quos honoribus animum non appositurus haud ignorat; nimirum is moderatoris universi voluntate atque providentia, qui religionis gubernacula teneret electus est is; qui Christianam pietatem tueri, religionem amplificare, divina atque humana rectissime tractare noverat creatus est. Qui cum ad hanc humanæ dignitatis arcem toto, quod ajunt corpore atque omnibus unguiculis ascendisset D. Lambertus : quantopere pietatis opera amplificare & propagare studuerit, quis vel stylo vel voce exprimat? Hic, hic non Isocratis jucunditate, non Lysiæ subtilitate, non Hyperidis, non Æschinis sonitu, non Demosthenis, non Ciceronis; sed divina potius opus esset eloquentia (& flumine dicendi) quæ nunquam ante hac audita, nunquam elata, nunquam excogitata fuisset. Singulis diebus in templo summa qua valebat eloquentia populum ad cœlestia meditanda provocabat: plurima in egenos & pauperes erogabat, omnes admonebat sui officii: universos doctrina salutari atq; exemplis informabat, plurima miracula in lucem edebat: cujus virtutis & sanctitatis fama sese & longe & late diffundens: ut nullus esset tam ab omni hominum consortio remotus in terris locus, quo non hujus præstantissimi Viri peruasisset; ad Childericum Galliæ Regem pervenit, atq; ita pervenit, ut Rex Divum Lambertum summo honore affecerit, & suis omnibus ami-

Prosopopæia.

Exclamatio.

Studiose dicta repetitio.

Incrementum.

Laus à pietatis ardore.

Dissimulatio ad excusationem ornata Epizeuxi & præteritione.

amicis eum præposuerit. O vere fortunatus & fœlix fuisti Rex Childerice, quod tanti Præsulis jussis parueris! O vere fortunatus & fœlix tuus exercitus, qui à tanto Præsule dirigebatur! sed indignor, imo commoveor AVDITORES: nunquam magni sine invidis, nunquam boni sine insidiis. Ecce Rex contrucidatur, ecce eo contrucidato, maxima invidiæ pestis nefandissimæ subito in piissimum Iesu Christi, mortis domitoris, orbis reparatoris, servum Lambertum concitatur. Ecce invidia invidorum inimicorum magis ac magis grassante, tandem summa injuria & justitiæ & publicæ libertatis defensor sua à sede, proh dolor, exturbatur. O pestem post hominum memoriam inauditam! O intolerabilem! exturbatus est Præsul? & quis? Præsul? nonne Christianorum naufragorum portus? consilii pontus? pietatis promontorium? Doctrinæ littus? virtutum omnium oceanus: & à quo exturbatus est? non ne ab Eburonio homine omnium scelerum ex colluuione nato? nonne tyranno immanissimo? ô dolor! expellitur Divus Lambertus: quam ob causam? an quia continuis concionibus distentus erat? an quia obstupescente natura miracula edebat? an quia sanctissimam vitam traducebat? Cur igitur ô Invidia tu, Divum Lambertum expulisti, ubi eos quorum animos invaseras ac occuparas, hominum generis inimicissimus hostis suis laqueis & expansis retibus decepisset? Quid tu bellua tandem effecisti? Divum Lambertum expuli. Quid inde? arbitrabaris eum ensem, quo injuriam ulcisceretur, in solitumque apparatum instructurum? plus in eo patientia valebat, existimabas eum nonnullos sub ornaturum, ut in statum pristinum rediret? plus bonorum contemptus, & cœlestiũ memoria in eo requirebat. At in illud cœnobium tetendit, in quo extremus ordine fuit, & hoc eius humilitas postulabat.

Apostrophe ad Regem.

Sententiosè dicta.

Subiectio oculis mortis regia.

Admiratio cum exclamatione.

Interrogatio.

Apostrophe ad invidiam

Interrupta prosopopœia.

Subiectio.

Exclamatio. labat. O hostis imbellis, & parum erga sanctum vafer! in eo cœnobio moderator universi D. Lamberti sanctitatem manifestavit. Quomodo manifestatit petitis AVDITORES. Cum quadam nocte Divus Lambertus cum fratribus in eodem conclavi dormiret visum ei fuit è strato prosilire, quo attentius Deum diuturnè veneraretur: Verum calceorum alter fortuito casu è manibus lapsus fratrum quietem interturbavit: nec mora. Pater Cœnobii delicti patrati expiandi gratia eum ad crucem sub dio collocatam, quanquam frigidissima aura foret, orare jubet. Quid D. Lambertus? an patris nutum observare recusavit? *Subiectio.* plus apud eum obedientia valebat. An latui, vel dissimulavit? pluris veritatis partis ipse faciebat. Quid egit igitur: indutus unico cilicio nocte illa frigidissima, & multa glacie & gelu asperrima patris voluntati morem gerens sub cruce stetit, & stante sacrosanctæ Trinitatis hostia divinitus subito importuni gallorum cantus tempus solitum anteverterunt. Surrexere fratres itaque, & perfecto officio ignem, quo frigoris acerrimi injuriam propulsarent, instruere voluere: quos cum singulos Cœnobii Abbas contemplaretur, animadvertit Divum Lambertum abesse, cui interroganti ubinam esset, respondere fratres eum esse iussum se sub crucem recipere. Tum Abbas admiratione perculsus una cum fratribus singulis ad pedes D. Lamberti prostratus, ignosce, inquit, ignosce. Venerabilis Præses, miserere turbe dolentis, eique venia dare ne dedigneris, quibus D. Episcopus ait: ne quæso fratres charissimi sic loquamini, surgite, ocyus, surgite, & meis potius erratis ignoscite. Quid obstupescitis B. AVDITORES? Fratremne cœnobii ad pedes D. Lamberti abiectum? viderat, viderat beati beatam *Epizeuxis.* sole fulgentius resplendere faciem. O virtutem omni laude condecorandam! quam ad exploran-

randam permotus fuit moderator universi. Sed ad te redeo, ô Dæmon omnium incendiorum fax, eiecisse te iactitas Divum Lambertum sua è sede? sed in eam Deo fauente tanta, tanta omnium lætitia, quanto cum luctu solum verterat, redivit. Itaque pristina dignitate ornatus, multo magis sanctitatis suæ opera auxit, suos indefesso studio erudiuit: nec satis, neque eius ingens fervor ad Toxandros profectus est, quos partim ita eloquentia, partim patientia ad Catholicorum fidem convertit; nec satis, neque ardentissimus iustitiæ fervor eius, Pipinum Regem Franciæ, quod repudiata uxor pellicem complecteretur, dissimulantibus fere cæteris Episcopis, pro zelo domus Dei ferre non potuit: sed cum opportune & importune arguere & increpare cœpit, atque ita increpavit, ut Regem à pellicis amore revocarit. Quod cum animadverteret maligna mulier, fratrem suum, qui afflatu diabolico actus nil cogitabat, nil moliebatur, nil minabatur nisi mortem D. Lamberti, ad communem spiritum ei eripiendum concitavit. Quo instituto, tyrannus ille sceleratissimus, ac quasi bestia quædam immanissima, quæ odio religionis semper exarsit, D. Lambertum expansis instar crucifixi brachiis ante altare SS. martyrum Cosmæ & Damiani gladio traiecit. O facinus execrandum? O audaciam intolerandam! Itane hic, qui à puero, vitæ candorem amplexus, Vir sapientissimus, humillimus, piissimus, (omnia uno ut verbo absolvam) virtutem thesaurus manibus sceleratissimi hominis expirare debuit? quanquam quid hominem appello? qui si homo fuisset, non ita summa tyrannide, & sine causa hominis vitam petiisset! O monstrum! ita omnem humanitatem exueras, ita belluarum quædam feritas totum animum occuparat: ita sine sensu, sine animo, totus inquam ferreus eras, ut innocentissimi sanguine ma-

Exclamatio. *Apostrophe ad dæmonem* *Metaphora.* *Repetitio.* *Martirium. D. Lamberti.* *Correctio.* *Traductio* *Exclamatio.*

Conquestio ad Deum. manus tuas coinquinare, imo salutare non reformidares? O Deus! quomodo servum tuum, altare fidei, pœnitentiæ domicilium, humilitati sacrarium, pietatis sedem à perversissima bellua interimi ferre potuisti? *Incrementū.* cur flammas, fulgura, tonitrua non immisisti? & tu sanctissima Ara sanctissimorum martyrum belluam illam cur non obruisti? *Exclamatio.* Heu periit sceleratissimæ belluæ manibus, amor & deliciæ generis humani! O dolor! iam mihi vocem indignitas eripit, fauces dolor occludit. *Excusatio.* Vos vero (Benevoli AVDITORES) tantum orationi meæ concedite, quantum iusto & pio dolori tribuendum esse putatis; *Peroratio.* ex magna iactatione terram videre peropto, neque enim laudibus istius par esse possum ego infans, qui nulla iniuria potuit commoueri, nullo labore defatigari, nullis minis perterreri. *Apostrophe ad Divum Lambert.* Et certe debebatur tibi Sanctissime Lamberte, sancti alicuius & eloquentis oratio, alter Augustinus, alter Ambrosius virtutibus tuis: alter Chrysostomus, alter Nazianzenus tuis laudibus debebatur. Quod si tamen infantum ex ore laudem suam perficit Deus: non dedignaberis hodie infantis vocem, & orationem, quam hæc imbecillitas ingenii mei exorsa est. *Preces ad auxilium Collegio offerendum.* Tu Collegium hoc, in quo, tanquam in theatro quodam totius orbis terrarum amplissimo, clarissimoque, omnium virtutum immortalium splendor elucet, hactenus tuo patrocinio gubernatum semper visita & conserva. Tu splendidissimum tantorum virorum consessum, quorum doctrinam spectare si lubet, eruditissimos, si usum, peritissimos, si ingenia perspicacissimos, si conditionem, nobilissimos, si pietatem, religiosissimos comperimus (animo pœne consternatus hæreo,) eadem charitate qua homines in terris agens prosequebare, nunc complectere beatus in cœlo. DIXI.

Bartholomæi Bachvsii Lovaniensis.

ORATIO.

In Laudem D. Nicolai.

Receptum est apud Oratores illos è schola politos. *Ornatissimi Domini, Iuvenes bene nati*, ut cum gravem aliquam dicendi provinciam, cui impares sese arbitrantur, susceperunt, nuncupatis mox votis orationem aliquam vel Ciceronis floribus conspersam, vel Isocratis suavitate iucundam, vel Demosthenis robore nervisque invictam, cum ad aures audientium deliniendas, tum ad animos vi quadam percellendos à Deo ter Optimo, maximo concedi precentur. Quam quidem consuetudinem hodierna die libenter apud vos, & ex hoc loco ad dicendum ornatissimo persecutus fuissem, si illum cui vocem hanc promptæ voluntatis, & hunc affectum concitatæ pietatis consecravi, ullo politæ orationis officio potius quam decora famulantis affectus modestia delectari, putavissem. Dicendum est de beatissimi gloriosissimique Nicolai laudibus, cuius vitam cum humilitatis stabilierit, modestia conformarit, virginitas decorarit, si fucatos pictæ cuiusdam eloquentiæ colores adhibuero, non placebo; si fulminantis dictionis tonitrua vibrauero, parum agere decore videbor, qui tanti Diui virtutem omni eloquentia maiorem augere vel illustrare saltem oratione contendam. Non, non faciam, neque unquam accensa face solem vobis ostendam, sed protenso tantum digito demonstrabo; solem, inquam, illum Sanctorum Nicolaum, electum ab voto, san-

Exordium amore oratorum.

Propositio.

sanctum à puero, iuvenum gloriam, senum reverentiam, sacerdotum honorem, Pontificũ splendorem. Date vos mihi veniam AVDITORES, si titillantibus verbis vestris aurib. non adblandiar; non vult Nicolaus, qui nos suæ pueritiæ virtute delectabit. Ignoscite si non admotis eloquentiæ machinis vestros animos oppugnem; prohibet Nicolaus, qui nos adolescentiæ suæ splendore attonitos percellit: excusare, si tanto sub onere deficiam, & his laudibus nequaquam par existam; in causa est Nicolai vita, quam admirari licet, exornare dicendo nemo potest. Incipiamus igitur à puero puerum ipsum cognoscere, & primas pueritiæ cunas evoluamus. Christe bone! quid assecuturum dicendo me sperem, aut quomodo laudationis huius navim in portu sistam, cuius vela cum vix explicarim, teneræ huius ætatis virtutibus tanquam scopulis quibusdam deterreor? Nam contineo vocem quin attonitus exclamem: *Domine pervenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Fuit Nicolaus hic noster gemituum filius & orationum, quem cum pater producere per ætatem, mater concipere per sterilitatem non posset, utriusque sanctitati, dum assiduis precibus divinæ maiestatis Benignitatem sollicitant, benignissimus Deus illum indulsit. Vere, vere quemcunque elegerit Dominus, hic sanctus erit. Vix dum communem hanc auram spiritumque vitæ teneris faucibus respirabat: vix dum è matris sinu in ubera eius atque oscula pedibus manibusq; reptabat, illum Deus singulari sanctitatis privilegio donavit, & cœlestium gratiarum thesauris replevit; Etenim cum illum primo natum ut lavaretur in balneum detulissent, quid exspectatis AVDITORES, vagitum aliquem & ad aquæ contactum horrorem? Non erat ita imbellis infantulus Nicolaus, Risumne ali-

Conciliatio.

Cum excusatione Oratoris.

Confirmatio. Primus locus à pueritia.

Allegoria.

Puer singulari gratia divinitus illustratus.

Sustentatio. Puer stetit in balneo.

aliquem & gestientis infantiæ exultationem? nimis parum id fuisset, stetit in balneo, & qui non dum per ætatem figere passus didicerat, firmitatis suæ præsagium & sanctitatis futuræ signum fixis in balneo pedibus confirmatoque corpore demonstravit. O pulcherrimum naturæ prodigium! ô miraculum sed admirandum! Credo iam dum infantulus medio in balneo consistens, cæteris, qui adstabant, hærentibus & attonitis cælum intuens, si non voce, saltem affectu dicebat: *Spes mea ab uberibus matris meæ, in te confirmatus sum ex utero.* Nimirum qui stetit in vitæ principio per gratiam, non erat in vitæ decursu casurus à gratia. Nimirum qui ab uberibus matris suæ sanctitatis donum acceperat, non poterat quin esset in vita sanctorum omnium miraculum. Et quemadmodum ita surgentem ab oriente solem videmus, ut postea lux eius non augeatur, sed in plures atque adeo in omnes mundi partes diffundatur; ita quam recens natus sanctitatis lucem à Deo sortitus erat Nicolaus, retinuit & conservavit in vita, & qualis pueritia talis adolescentia: qualis iuventus talis senectus ipsius fuit, duntaxat autem radii illi virtutis eximiæ in orbem universum postea sunt diffusi, qui angustiis paternæ domus, natalisque provinciæ limitibus nequaquam continebantur. Non poterat crescere in adolescentia, qui summus erat in pueritia. Non poterat sanctior evadere, decurrente vita; qui vita ineunte sanctitatis apicem attigerat. Obsecro quantus erat ille puer, qui cum de temperantia nihil adhuc audivisset, iam temperantiam colebat; abstinentiæ nomen nondum intellexerat, & iam tamen abstinens erat; jejunii rationem nondum perceperat, & iam mercurii Venerisque diebusquibus semel, idque vesperi duntaxat nutricis lac sugebat, jejunio corpus suum macerabat

Similitudo.

Laus à temperantia in puero.

Exclamatio. O te felicem! ô te beatam (quæcunque tandem exſtitiſti) tanti pueri nutricem! Dic, amabo, quæ tibi mens tum erat, cum ſanctiſſimum illum puerum Mercurii Venerisque diebus mane ad ubera tua invitabas, ille recuſabat? Vlnis tuis involutum retro admovebas, ille reluctabatur, riſu, blanditiis & oſculis ſollicitabas, ille manibus ac pedibus reſiliebat: quid cogitabas cum paulo poſt ad puerulum tuum redibas, & nihil obtinebas? Cum medio die prandentibus omnibus nihil ipſe ſumebat, cum ad ubera paulo poſt rurſum invitatus, nihil deſiderabat. Quis erat autem tibi tum animus & ſenſus, cum expleto integri diei jejunio ineunte jam nocte puer exultans ad ubera recurrebat? Quanto gaudio geſtiebas, ô nutrix! quanta admiratione defigebaris, cum inauditam hanc pueri conſuetudinem parentibus enarrabas! Quas non lacrymas ipſi parentes ſuo gaudio permiſcebant cum quod ſtupentes audierant in filio cernebant; quod ignorabant pene ſenes, ab infantulo filioſo ſuo diſcebant? Non ſunt hæc pueri, AVDITORES, quæ homines ipſi non poſſunt, vincebatur hic Natura: non ſunt hæc viri, quæ in puero adhuc tam tenello contingebant. Immo tamen ſunt pueri, ſed pueri ante ætatem virilis, ſunt hominis, ſed hominis ſine virtute per gratiam divini. Profecto ſingulari prorſus non hominis alicuius dicam, ſed ipſius Dei judicio providentiaque factum fuit, ut tam admirabilis hic puer, quo maiorem nulla poſt ætas aſpexit. Nicolaus, id eſt, populi victor, appellaretur. Vicit populos Nicolaus, ſed ſeipſum vicit prius: Vicit populos ſplendore virtutis, vicit ſeipſum maceratione carnis: alii ipſum admirabantur & extollebant, ipſe ſeipſũ deprimebat. Sufficere poſſet ſola Nicol. pueritia. ſanctitate delibuta, divinitate plena, ut ejus admiratione perculſi aliquã ex ejus ſplendore ſcin-

Apoſtrophe.

Repetitio.

Correctio.

Laus à nomine.

Secundus locus ab a

cintillam comparare nobis optaremus ; adolescentiam tamen eius,& iuventutem, si lubet, sed strictim percurramus. Nihil hic esse nimium potest, ubi nulla satietas reperitur ; nihil tædium aut fastidium excitabit, ubi admirationem continua voluptas produxit. Quæritis igitur qualis adolescens Nicolaus extiterit ? Omnino qualis puer, sanctus & divinus ; quem adolescentes cum sanctum appellarent, virtutum omnium exemplar esse fatebantur; cum divinum admirarentur non hominem, sed quendam in terris Deum esse dicebant. Nullum erat sapientiæ genus, quod ingenii magnitudine non superaret, nulla erat sane mentis doctrina quam non admirabili iudicio penetraret ; subtilissimus in rebus arduis, prudentissimus in dubiis, fortissimus in periculosis. Illi artes omnes & scientiæ familiares erant, illi docti omnes & sapientes adolescenti palmam concedebant. Agite vero, quomodo tandem tantam ad scientiam adolescens tam cito pervenit? Nimirum quæ res alios ad ignorantiæ & inscitiæ scopulos ruptis quasi venis impellunt, hæ Nicolaum ab incæpto cursu non retardarunt. Non illum cætus hominum inutilium à labore ad otium revocabant ; non conviuia ad hilaritatem, non spectacula ad voluptatem, non ludi ad delectationem ; non labores ad quietem: postremo ieiuniis, precibus, lucubrationibus, & vigiliis quibus alii deterrentur, & exanimantur, ipse confirmabatur, crescebat, animabatur. Ecce an non illum, plusquam virum animadvertistis : Videte tamen virum. Profecto si à virtute virum appellamus ; nescio an virum aliquem, ad virtutem ipsam Nicolaum appellem. Iudicate vos ipsi AVDITORES, quæro enim illud à vobis, hominisne esse putatis Oceano legem imponere, & ventis imperare ? Cum aliquando in Ægyptum sanctissimus Nicolaus nauigaret, & iam quasi ci-

Adolescentia & iuventute.

Laus à sapientia & doctrina.

Similiter cadens.

Distributio.

Adiunctio

Contrapositæ

Incrementū.

Tertius locus à virili ætate

Dubitatio.

Communicatio.

tatis in pugnam ventis, graviſſima tempeſtas excitata eſſet, in mari fulmina ab aſtris, ab imo
Laus à miraculis. fluctus dimicarent, omnia obſcura nocte naufragium minitarentur? ille præmiſſis in cœlum præcibus mari, ut quieſceret: ventis, ut ceſſarent imperavit. Quid hic dicetis? Si virum appelletis, illi tanquam cuidam in terris Deo venti obſecundabant, maria obediebant; fulmina & imbres obtemperabant. Certe pluſquam vir eſt, cuius legem elementa audiunt, pluſquam vir eſt, cui natura patere non recuſat An non illi tunc rurſum obtemperavit, cum è palæſtina in Lyciam abiens nulla pene voce concitatam in Oceano medio tempeſtatem ſedauit? An non illum, illum non natura ſed mors ipſa, divina quadam virtute potentem agnovit, cum Alexandriæ multi, plures alibi vita functi manus eius ſanctiſſimæ ſigno, quaſi quodam cæleſti plectro percuſſi ad vitam communemque lucem redierunt? An non illi neceſſitas ipſa ſe ſubmiſit, cum eo ante templum Hieroſolymitanum noctu orante clauſæ ante & obſeratæ fores ſubito patuerunt? O ſanctiſſimum hominem, cur paruiſſe lætantur elementa! O divinum cœleſtemque virum, cuius legem libenter accipit Natura, neceſſitas ipſa non recuſat! O immortalem Nicolaum, cui mors quod abripuit, ut coacta reſtituit! & non talem eccleſia tam ſanctum, tam admirabilem, tam divinum Antiſtitem optaviſſet? quid dico optaviſſet? Non optavit tantum, ſed etiam quaſi de cœlo demiſſum complexa, virtutum omnium exemplar coluit, & in omni neceſſitate Patronum obſervauit. Non quærebat Nicolaus honores, ſed Nicolaum honores ſequebantur: latere humilitas eius cupiebat; ſed latebras virtus eius neſciebat. Bone Deus quanta vis eſt non fictæ ſanctitatis! Scio vos non ignorare, dicam tamen: Quærebant Myrrhenſes Antiſtitem: quid dein-

Synonima. *Disiunctio.* *Exclamatio.*

deinde convenerant vicini Præsules, ut de Antistitis electione consultarent, ecce divina vox monet, ut qui primus cuius quidem nomen esset Nicolaus, mane templum ingrederetur, urbis Antistes renunciaretur. Venit ad Templum mane Nicolaus, sistitur nomen inquiritur, Antistes salutatur, & omnium applausu consecratur. Neque tamen Nicolaus hic mutatur, remanet in eo modestia cum humilitate, neque tunc quicquam sanctissimum pectus arrogantia percellit, remanet abstinentia, neque sæpius quam semel in die cibum vesperi sumit, carnesque nunquam ad mensam admittit, remanet liberalitas, & qui antea prostituendas tres puellas dote data liberarat, plures postea iuvat, & omnium factus pater, omnia sua omnibus elargitur. O sanctissime Antistes gloriosissime Nicolae, cogor te admirari, quem eloqui digne non possum; cogor tuis in laudibus humanam vocem reprimere: qui humanam naturam tua virtute superasti. Te, cum fulgura corruscant, cum tonitrua terrent, cum tempestates desæviunt, homines invocant, & in ore nomen tuum tenetur, in corde requiescit. At te medio in mari nautæ, in judicio innocentes, in adversitatæ miseri, opem & auxilium exspectant. Te pueri puerum jejunantem laudant, juvenes juveni divino congratulantur, virgines virginem, & virginum liberatorem extollunt. Age ergo gloria sexus omnis & ætatis Nicolaæ, cape hanc infantis Oratoris vocem; & qui omnes dignatus ex auxilio in terris, dignare patrocinio in cœlis?

Creatus Antistites Myrrhusis.

Honores non mutaverunt Nicolai mores.

Conversio.

Laus à liberalitate.

Peroratio per Apostrophe.

DIXI.

hominum religiosissimorum millia tot ætatibus ac sæculis concurrerunt, & nunc etiam cursu indefesso currunt, Equidem filius fuit Apii viri probi & nobilissimi, natus in oppido Traiectensi. Sed lateat ille & à filii face facem suam pater accendat. Matrem habuit Heusplindem matronam integerrimam, & antiquitate familiæ, & generis nobilitate splendidissimam; sed lateat illa quoque, & à filii lumine suum lumen mutuetur. Hodie puerum deferamus sanctissimum, lateant omnia quæ eius esse non possunt. Ipse vero puer se totum, quantum quidem pro ea ætate poterat, ad divinæ maiestatis voluntatem conformauit: cuius vitæ fundamentum cum summa animi voluptate parentes eius animadvertissent, eum vix adolescentiæ spatia ingressum, quo litteris iisque optimis informaretur, B Landoaldo VVintershouio viro ea tempestate & doctrina & integritate clarissimo tradiderunt; qui eum ita diuinis litteris instruxit, ut reversus ad Parentes egregia pietatis & sanctitatis argumenta præbuerit, doctrinæ & eruditionis monumenta reliquerit. Fateor, vix excessimus è portu. Humanissimi AVDITORES, & iam sistitur cursus nauigationis. Quid hic dicam, ubi rei magnitudo silentium deposcit? Erat puer, aut certe vix adolescens; sed animum virilem supra ætatem, ac plane divinum gerebat. Luxum suum ei fortuna ostentabat? Luxus insolentiam pariebat? insolentia honestatem excludebat? hæc irridens fumum esse asserebat. Deliciæ, voluptates sensus sollicitabant? orationibus & ieiuniis comprimebat. Divitiarum apparatus voluntatem pertentabant? hic eos paupertate reiiciebat. Pompa splendorque oculos sollicitabant? hos tanquam laruas irridebat: videbat honorum insignia; sed inania putabat: videbat ridentem Venerem, sed fletus instrumenta esse iudicabat; uidebat fastum in fastu, au-

Expositio parentum D. Lamb. per præteritionem.

Laus à pietate pueri D. Lamb.

dissimulatio Dubitatio.

aurum in auro, mundum in mundo: & alta quadam mente præditus valeat inquit, fastus mundi, valeat pompa. Quid mihi cum mundo, si cœlum adest? Quid cum divitiis, si inopia succedat? Quid cum honoribus si cum iis sim reprobandus? Quid cum voluptatibus, si desinant in dolores? Tu una humilitas places, una arrides: te unam amo, te unam ambabus ulnis amplector: te unam exosculor: quam dæmones verentur, quam cœlites amplectuntur: quam custodem omnium virtutum, & fundamentum una animi sententia sapientes profitentur. Ita sanctissimus adolescens sentiebat, ita cogitabat, ita hæc animo vix adolescens mente revoluebat. O admiranda futuræ incredibilis Sanctitatis rudimenta! O fœlix principium! O fœlix auspicium! O vere fœlix & beatus adolescens? Dicebas ô sanctissime Adolescens, tutelam & initium omniũ virtutum esse humilitatem: sciebas eum spargere, qui sine humilitate colligit; non ignorabas eum destruere, qui non supra humilitatem ædificat: iudicabas eum, qui à se repellit humilitatem, etiamsi in cælo domicilium haberet, à Domino esse repellendum: cogitabas eum qui in sinu suo collocat humilitatem, etiamsi in cæno peccatorum iaceret, in sinu Dei esse collocandum. O fœlicem iterum ac tertio te felicem Adolescentem, qui tuæ vitæ fundamentum talem virtutem, quæ est fundamentum & custos (ut antea diximus) omnium virtutum, esse voluisti! O dulce nomen humilitatis! O virtus præclarissima, mundi sapientibus minime nota: sed ab ipsa Dei sapientia mirifice commendata! O virtus admiranda, dilecta paucis mortalibus, Diuo Lamberto unice grata! Sed huic virtuti aliam præstantia non inferiorem adiunxit. Nuntium divitiis remittebat, eas temnebas: quidquid habebat in pauperes erogabat. O charitatem

Prosopopæia

Locus communis de laudib. humilitatis.

Repetitio.

Exclamatio.

Laus à divitiarum contemptu & benignitate in pauperes.

Exclamatio.

Exclamatio. tem omni sæculo deprædicandam! Et quid obsecro non expectandum ab hoc initio fuit, in quo victoria sui difficillima triumphus de mundo gloriosissimus, perfectionis & æternitatis amor ardentissimus effulgebat? nimirum amore divino & afflatu tanquam magnete tactus, animus ascendit; terrena despexit: nimirum amore divino, & afflatu tanquam sole quodam calefactum eius pectus, uberrimam omnium virtutum segetem emisit, ut omnino nihil aliud esset Lambertus in terris quam lucerna virtutis ardens, & virtus potens: ut inquam nihil aliud esset Lambertus quam lucerna ardens in Corde suo per charitatem, suis in manibus per bonorum operum exercitationem, in orbe universo per exempla virtutum. Sed memorandi Adolescentis sanctum ad Theodardum Traiectenses tum temporis apud populos Pontificiam obtinentem dignitatem usque pervenit rumor Sanctitatis. Cur ut honestatis cursum teneret, ut dignitatis atq; gloriæ portum caperet, ut cum nutricis lacte moribus quam optimis imbueretur; ut instar lapidis (dico) pretiosissimi in Regia aula multis modis expoliretur, traditur educandus. At fortassis de eo triumphum sperare potuit caro? qui in aula Regia, ubi pompa, honor, luxus mentem animumq; sollicitare titillare, & sensus subintrare solent versabatur imbellis sane & teticulus hostis in eum extitit caro, qui carnis blandimenta repudiavit, de carne ipsa iam triumphavit, illa in divitiis, in conviviis, in lectis suas insidias struit: hic eas paupertate ieiunio, cilicio effregit. Christe bone, quot in vitæ nubibus atque procellis reperiuntur, qui flammantem rotant ensem, ipsi ab una cogitatione rotantur? quod sunt qui ferocientes frænant equos ipsi ab una carnis titillatione frænantur? quot sunt qui tanquam Hercules lucem hanc suauissimam aspiciunt, commu-

Repetitio. simili desinente.

Gradatio.

Laus àdeuicta carne & mundo.

Admiratio. Compar.

munemque ſpiritum hauriunt, ſed & tanquam Hercules ardoribus impuriſſimæ carnis comburuntur? quot ſunt, qui tanquam Alexandri, imperia auctoritate, iure legibus per belle administrant ac moderantur: ſed ut tanquam Alexandri uno impuro mulieris aſpectu ſervituti mancipantur? quot ſunt qui tanquam Sampſonis fortitudinem, vires, robur iactitant: ſed & tanquam Sampſon ab una muliere ſuperantur? Verum abducamus ab his ſermonem aliquando: ut ad alia neſcio an maiora perveniamus. Quis veſtrum exiſtimat latere poſſe Solem, cum in faſtigio meridiei pontus iacentes infra terras undequaque illuſtrat: non poteſt Humaniſſimi AVDITORES: nec potuit latere Divus Lambertus, cuius virtutis ſplendor humanam aciem perſtringebat. Poſteaquam autem Divus Theodardus Traiectenſis Epiſcopus huius adoleſcentis director, relictis huius vitæ (quæ potius mors eſt appellanda) miſeriis in illam ſempiternam domum triumphans, ubi ævo ſempiterno perfrueretur, evolaſſet: rogatur Divus Lambertus veniret. Quid ille? an huic vel illi gratias immortales tanto de honore ſibi congratulans egit an cibos exquiſitiſſimos adferre? an menſas Articas, quibus animum ſuum erga Elemores rantæ dignitatis teſtificaretur, iuſſit exſtrui? nolite uſquequaquam AVDITOES cogitare. Quod egit igitur? Reſpuit: quid reſpuit tantum? reiecit: quid reiecit tantum? imo urgentibus ſeſe invitum oſtendit; & quibus verbis ſe invitum oſtenderit petitis AVDITORES? ſe tanto munere, tanta functione indignum eſſe dicebat. O virum pium! & in vera humanitate fundatum! Quid vero plebs egerit cum hæc audiret fortaſſe rogatis: attendite obſecro, & videte quibus votis, quo deſiderio, quam inaudita cupiditate plebs

Tranſitio. *Similitud.* *Interrogatio.* *Metaphora.* *Interrogatio cum dubitatione.* *Subiectio.* *Correctio.* *Exclamatio.* *Renovatio.* *Audit.*

Tra-

Traiectensis prosequebatur, in eum plebeio impetu irruens has in voces irrupit: Lambertus civis noster operum bonorum copia celebris Episcopus noster erit, velit nolit. O infiniti amoris argumentum, ô præclarissimum admirandæ sanctitatis signum! ô virum non Episcopali tantum, sed Pontificali dignitate dignissimum! nimirum fugientem studiose sequuntur honores ambitiosum derelinquunt, nimirum hos ad sacra munera appellat Deus quos honoribus animum non apposituros haud ignorat; nimirum is moderatoris universi voluntate atque providentia, qui religionis gubernacula teneret electus est is; qui Christianam pietatem tueri, religionem amplificare, divina atque humana rectissime tractare noverat creatus est. Qui cum ad hanc humanæ dignitatis arcem toto, quod ajunt corpore atque omnibus unguiculis ascendisset D. Lambertus: quantopere pietatis opera amplificare & propagare studuerit, quis vel stylo vel voce exprimat? Hic, hic non Isocratis jucunditate, non Lysiæ subtilitate, non Hyperidis, non Æschinis sonitu, non Demosthenis, non Ciceronis; sed divina potius opus esset eloquentia (& flumine dicendi) quæ nunquam ante hac audita, nunquam elata, nunquam excogitata fuisset. Singulis diebus in templo summa qua valebat eloquentia populum ad cœlestia meditanda provocabat: plurima in egenos & pauperes erogabat, omnes admonebat sui officii: universos doctrina salutari atq; exemplis informabat, plurima miracula in lucem edebat: cujus virtutis & sanctitatis fama sese & longe & late diffundens: ut nullus esset tam ab omni hominum consortio remotus in terris locus, quo non hujus præstantissimi Viri peruasisset; ad Childericum Galliæ Regem pervenit, atq; ita pervenit, ut Rex Divum Lambertum summo honore affecerit, & suis omnibus ami-

Prosopopæia.

Exclamatio.

Studiose dicta repetitio.

Incrementum.

Laus à pietatis ardore.

Dissimulatio ad excusationem ornata Epizeuxi & prateritione.

amicis eum præposuerit. O vere fortunatus & fœlix fuisti Rex Childerice, quod tanti Præsulis jussis parueris! O vere fortunatus & fœlix tuus exercitus, qui à tanto Præsule dirigebatur! sed indignor, imo commoveor AVDITORES; nunquam magni sine invidis, nunquam boni sine insidiis. Ecce Rex contrucidatur, ecce eo contrucidato, maxima invidiæ pestis nefandissimæ subito in piissimum Iesu Christi, mortis domitoris, orbis reparatoris, servum Lambertum concitatur. Ecce invidia invidorum inimicorum magis ac magis grassante, tandem summa injuria & justitiæ & publicæ libertatis defensor sua à sede, proh dolor, exturbatur. O pestem post hominum memoriam inauditam! O intolerabilem! exturbatus est Præsul? & quis? Præsul? nonne Christianorum naufragorum portus? consilii pontus? pietatis promontorium? Doctrinæ littus? virtutum omnium oceanus: & à quo exturbatus est? non ne ab Eburonio homine omnium scelerum ex colluuione nato? nonne tyranno immanissimo? ô dolor! expellitur Divus Lambertus: quam ob causam? an quia continuis concionibus distentus erat? an quia obstupescente natura miracula edebat? an quia sanctissimam vitam traducebat? Cur igitur ô Invidia tu, Divum Lambertum expulisti, ubi eos quorum animos invaseras ac occuparas, hominum generis inimicissimus hostis suis laqueis & expansis retibus decepisset? Quid tu bellua tandem effecisti? Divum Lambertum expuli. Quid inde? arbitrabaris eum ensem, quo injuriam ulcisceretur, insolitumque apparatum instructurum? plus in eo patientia valebat, existimabas eum nonnullos sub ornaturum, ut in statum pristinum rediret? plus bonorum contemptus, & cœlestiū memoria in eo requirebat. At in illud cœnobium tetendit, in quo extremus ordine fuit, & hoc eius humilitas postulabat.

Apostrophe ad Regem.
Sententiosè dicta.
Subiectio oculis mortis regiæ.
Admiratio cum exclamatione.
Interrogatio.
Apostrophe ad invidiam
Interrupta prosopopæia.
Subiectio.

Exclamatio. labat. O hostis imbellis, & parum erga sanctum vafer! in eo cænobio moderator universi D. Lamberti sanctitatem manifestavit. Quomodo manifestarit peritis AVDITORES. Cum quadam nocte Divus Lambertus cum fratribus in eodem conclavi dormiret visum ei fuit è strato prosilire, quo attentius Deum diuturnè veneraretur: Verum calceorum alter fortuito casu è manibus lapsus fratrum quietem interturbavit : nec mora. Pater Cœnobii delicti patrati expiandi gratia eum ad crucem sub dio collocatam, quanquam frigidissima aura foret, orare jubet. *Subiectio.* Quid D. Lambertus ? an patris nutum observare recusavit ? plus apud eum obedientia valebat. An latui, vel dissimulavit? pluris veritatis partis ipse faciebat. Quid egit igitur : indutus unico cilicio nocte illa frigidissima, & multa glacie & gelu asperrima patris voluntati morem gerens sub cruce stetit, & stante sacrosanctæ Trinitatis hostia divinitus subito importuni gallorum cantus tempus solitum anteverterunt. Surrexere fratres itaque, & perfecto officio ignem, quo frigoris acerrimi injuriam propulsarent, instruere voluere : quos cum singulos Cœnobii Abbas contemplaretur, animadvertit Divum Lambertum abesse, cui interroganti ubinam esset, respondere fratres eum esse iussum se sub crucem recipere. Tum Abbas admiratione perculsus una cum fratribus singulis ad pedes D. Lamberti prostratus, ignosce, inquit, ignosce. Venerabilis Præses, miserere turbe dolentis, eique venia dare ne dedigneris, quibus D. Episcopus ait : ne quæso fratres charissimi sic loquamini, surgite, ocyus, surgite, & meis potius erratis ignoscite. Quid obstupescitis B. AVDITORES? Fratremne cœnobii ad pedes D. Lamberti abiectum ? viderat, viderat beati beatam *Epizeuxis.* sole fulgentius resplendere faciem. O virtutem omni laude condecorandam ! quam ad exploran-

randam permotus fuit moderator universi. Sed *Exclamatio.* ad te redeo, ô Dæmon omnium incendiorum *Apostrophe* fax, eiecisse te iactitas Divum Lambertum sua è *ad dæmonem* sede? sed in eam Deo favente tanta, tanta omni- *Metaphora.* um lætitia, quanto cum luctu solum verterat, redivit. Itaque pristina dignitate ornatus, multo magis sanctitatis suæ opera auxit, suos indefesso studio erudiuit: nec satis, neque eius ingens fervor ad Taxandros profectus est, quos partim ita eloquentia, partim patientia ad Catholicorum fidem convertit; nec satis, neque ardentissimus iustitiæ fervor eius, Pipinum Regem Franciæ, quod repudiata uxore pellicem complecteretur, dissimulantibus fere cæteris Episcopis, *Repetitio.* pro zelo domus Dei ferre non potuit: sed cum opportune & importune arguere & increpare cœpit, atque ita increpavit, ut Regem à pellicis amore revocarit. Quod cum animadverteret maligna mulier, fratrem suum, qui afflatu diabolico actus nil cogitabat, nil moliebatur, nil minabatur nisi mortem D. Lamberti, ad communem spiritum ei eripiendum concitavit. Quo instituto, tyrannus ille sceleratissimus, ac quasi bestia quædam immanissima, quæ odio religionis semper exarsit, D. Lambertum expansis instar crucifixi brachiis ante altare SS. martyrum Cosmæ & *Martirium.* Damiani gladio traiecit. O facinus execrandum? *D. Lamberti.* O audaciam intolerandam! Itane hic, qui à puero, vitæ candorem amplexus. Vir sapientissimus, humillimus, piissimus, (omnia uno ut verbo absolvam) virtutem thesaurus manibus sceleratissimi hominis expirare debuit? quanquam quid hominem appello? qui si homo fuisset, non ita summa tyrannide, & sine causa hominis vitam petiisset! O monstrum! ita omnem humanitatem exue- *Correctio.* ras, ita belluarum quædam feritas totum ani- *Traductio* mum occuparat: ita sine sensu, sine animo, totus *Exclamatio.* inquam ferreus eras, ut innocentissimi sanguine

Bartholomæi Bachusii Lovaniensis.

ORATIO.

In Laudem D. Nicolai.

Receptum est apud Oratores illos è schola politos, *Ornatissimi Domini, Iuvenes bene nati*, ut cum gravem aliquam dicendi provinciam, cui impares sese arbitrantur, susceperunt, nuncupatis mox votis orationem aliquam vel Ciceronis floribus conspersam, vel Isocratis suavitate iucundam, vel Demosthenis robore nervisque invictam, cum ad aures audientium deliniendas, tum ad animos vi quadam percellendos à Deo ter Optimo, maximo concedi precentur. Quam quidem consuetudinem hodierna die libenter apud vos, & ex hoc loco ad dicendum ornatissimo persecutus fuissem; si illum cui vocem hanc promptæ voluntatis, & hunc affectum concitatæ pietatis consecravi, ullo politæ orationis officio potius quam decora famulantis affectus modestia delectari, putavissem. *Exordium amore oratorum.*

Dicendum est de beatissimi gloriosissimique Nicolai laudibus, cuius vitam cum humilitatis stabilierit, modestia conformarit, virginitas decorarit, si fucatos pictæ cuiusdam eloquentiæ colores adhibuero, non placebo; si fulminantis dictionis tonitrua vibrauero, parum agere decore videbor, qui tanti Diui virtutem omni eloquentia maiorem augere vel illustrare saltem oratione contendam. Non, non faciam, neque unquam accensa face solem vobis ostendam, sed protenso tantum digito demonstrabo; solem, inquam, illum Sanctorum Nicolaum, electum ab voto, *Propositio.*

sanctum à puero, iuvenum gloriam, senum reverentiam, sacerdotum honorem, Pontificũ splendorem. Date vos mihi veniam AVDITORES, si titillantibus verbis vestris aurib. non adblandiar; non vult Nicolaus, qui nos suæ pueritiæ virtute delectabit. Ignoscite si non admotis eloquentiæ machinis vestros animos oppugnem; prohibet Nicolaus, qui nos adolescentiæ suæ splendore attonitos percellit: excusate, si tanto sub onere deficiam, & his laudibus nequaquam par existam; in causa est Nicolai vita, quam admirari licet, exornare dicendo nemo potest. Incipiamus igitur à puero puerum ipsum cognoscere, & primas pueritiæ cunas evoluamus. Christe bone! quid assecuturum dicendo me sperem, aut quomodo laudationis huius navim in portu sistam, cuius vela cum vix explicarim, teneræ huius ætatis virtutibus tanquam scopulis quibusdam deterreor? Nam contineo vocem quin attonitus exclamem: *Domine pervenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Fuit Nicolaus hic noster gemituum filius & orationum, quem cum pater producere per ætatem, mater concipere per sterilitatem non posset, utriusque sanctitati, dum assiduis precibus divinæ maiestatis Benignitatem sollicitant, benignissimus Deus illum indulsit. Vere, vere quemcunque elegerit Dominus, hic sanctus erit. Vixdum communem hanc auram spiritumque vitæ teneris faucibus respirabat: vixdum è matris sinu in ubera eius atque oscula pedibus manibusq; reptabat, illum Deus singulari sanctitatis privilegio donavit, & cœlestium gratiarum thesauris replevit; Etenim cum illum primo natum ut lavaretur in balneum detulissent, quid exspectatis AVDITORES, vagitum aliquem & ad aquæ contactum horrorem? Non erat ita imbellis infantulus Nicolaus, Risumne ali-

Conciliatio.

Cum excusatione. Oratoris.

Confirmatio. Primus locus à pueritia.

Allegoria.

Puer singulari gratia divinitus illustratus.

Sustentatio. Puer stetit in balneo.

aliquem & gestientis infantiæ exultationem? nimis parum id fuisset, stetit in balneo, & qui non dum per ætatem figere passus didicerat, firmitatis suæ præsagium & sanctitatis futuræ signum fixis in balneo pedibus confirmatoque corpore demonstravit. O pulcherrimum naturæ prodigium! ô miraculum sed admirandum! Credo iam dum infantulus medio in balneo consistens, cæteris, qui adstabant, hærentibus & attonitis cælum intuens, si non voce, saltem affectu dicebat: *Spes mea ab uberibus matris meæ, in te confirmatus sum ex utero.* Nimirum qui stetit in vitæ principio per gratiam, non erat in vitæ decursu casurus à gratia. Nimirum qui ab uberibus matris suæ sanctitatis donum acceperat, non poterat quin esset in vita sanctorum omnium miraculum. Et quemadmodum ita surgentem ab oriente solem videmus, ut postea lux eius non augeatur, sed in plures atque adeo in omnes mundi partes diffundatur; ita quam recens natus sanctitatis lucem à Deo sortitus erat Nicolaus, retinuit & conservavit in vita, & qualis pueritia talis adolescentia: qualis iuventus talis senectus ipsius fuit, duntaxat autem radii illi virtutis eximiæ in orbem universum postea sunt diffusi, qui angustiis paternæ domus, natalisque provinciæ limitibus nequaquam continebantur. Non poterat crescere in adolescentia, qui summus erat in pueritia. Non poterat sanctior evadere, decurrente vita; qui vita ineunte sanctitatis apicem attigerat. Obsecro quantus erat ille puer, qui cum de temperantia nihil adhuc audivisset, iam temperantiam colebat; abstinentiæ nomen nondum intellexerat, & iam tamen abstinens erat; jejunii rationem nondum perceperat, & iam mercurii Venerisque diebusquibus semel, idque vesperi duntaxat nutricis lac sugebat, jejunio corpus suum macerabat.

Similitudo.

Laus à temperantia in puero.

Exclamatio. O te felicem! ô te beatam (quæcunque tandem exstitisti) tanti pueri nutricem! Dic, amabo, quæ *Apostrophe.* tibi mens tum erat, cum sanctissimum illum puerum Mercurii Venerisque diebus mane ad ubera tua invitabas, ille recusabat? Vlnis tuis involutum retro admovebas, ille reluctabatur, risu, blanditiis & osculis sollicitabas, ille manibus ac pedibus resiliebat: quid cogitabas cum paulo post ad puerulum tuum redibas, & nihil obtinebas? Cum medio die prandentibus omnibus nihil ipse sumebat, cum ad ubera paulo post rursum invitatus, nihil desiderabat. Quis erat autem tibi tum animus & sensus, cum expleto integri diei jejunio ineunte jam nocte puer exultans ad ubera recurrebat? Quanto gaudio gestiebas, ô nutrix! quanta admiratione defigebaris, cum inauditam hanc pueri consuetudinem parentibus enarrabas! Quas non lacrymas ipsi parentes suo gaudio permiscebant cum quod stupentes audierant in filio cernebant; quod ignorabant pene se-*Repetitio.* nes, ab infantulo filiolo suo discebant? Non sunt hæc pueri, AVDITORES, quæ homines ipsi non *Correctio.* possunt, vincebatur hîc Natura: non sunt hæc viri, quæ in puero adhuc tam tenello contingebant. Immo tamen sunt pueri, sed pueri ante ætatem virilis, sunt hominis, sed hominis sine virtute per gratiam divini. Profecto singulari prorsus non hominis alicuius dicam, sed ipsius Dei judicio providentiaque factum fuit, ut tam admirabilis hic *Laus à nomine.* puer, quo maiorem nulla post ætas aspexit, Nicolaus, id est, populi victor, appellaretur. Vicit populos Nicolaus, sed seipsum vicit prius: Vicit populos splendore virtutis, vicit seipsum maceratione carnis: alii ipsum admirabantur & extollebant, ipse seipsũ deprimebat. Sufficere posset sola Nicol. *Secundus locus ab a-* pueritia, sanctitate delibuta, divinitate plena, ut ejus admiratione perculsi aliquã ex ejus splendore

scin-

cintillam comparare nobis optaremus; adolescentiam tamen eius,& iuventutem; si lubet, sed strictim percurramus. Nihil hic esse nimium potest, ubi nulla satietas reperitur; nihil tædium aut fastidium excitabit, ubi admirationem continua voluptas produxit. Quæritis igitur qualis adolescens Nicolaus extiterit? Omnino qualis puer, sanctus & divinus; quem adolescentes cum sanctum appellarent, virtutum omnium exemplar esse fatebantur; cum divinum admirarentur non hominem, sed quendam in terris Deum esse dicebant. Nullum erat sapientiæ genus, quod ingenii magnitudine non superaret, nulla erat sane mentis doctrina quam non admirabili iudicio penetraret; subtilissimus in rebus arduis, prudentissimus in dubiis, fortissimus in periculosis. Illi artes omnes & scientiæ familiares erant, illi docti omnes & sapientes adolescenti palmam concedebant. Agite vero, quomodo tandem tantam ad scientiam adolescens tam cito pervenit? Nimirum quæ res alios ad ignorantiæ & inscitiæ scopulos ruptis quasi venis impellunt, hæ Nicolaum ab incœpto cursu non retardarunt. Non illum cætus hominum inutilium à labore ad otium revocabant; non conviuia ad hilaritatem, non spectacula ad voluptatem, non ludi ad delectationem; non labores ad quietem: postremo ieiuniis, precibus, lucubrationibus, & vigiliis quibus alii deterrentur, & exanimantur, ipse confirmabatur, crescebat, animabatur. Ecce an non illum, plusquam virum animadvertistis: Videte tamen virum. Profecto si à virtute virum appellamus; nescio an virum aliquem, ad virtutem ipsam Nicolaum appellem. Iudicate vos ipsi AVDITORES, quæro enim illud à vobis, hominisne esse putatis Oceano legem imponere, & ventis imperare? Cum aliquando in Ægyptum sanctissimus Nicolaus nauigaret, & iam quasi ci-

dolescentia & iuuentute.

Laus à sapientia & doctrina.

Similiter cadens.

Distributio.

Adiunctio

Contrapositio.

Incrementū.

Tertius locus à virili ætate

Dubitatio.

Communicatio.

tatis in pugnam ventis, gravissima tempestas excitata esset, in mari fulmina ab astris, ab imo fluctus dimicarent, omnia obscura nocte naufragium minitarentur? ille præmissis in cœlum præcibus mari, ut quiesceret: ventis, ut cessarent imperavit. Quid hic dicetis? Si virum appelletis, illi tanquam cuidam in terris Deo venti obsecundabant, maria obediebant; fulmina & imbres obtemperabant. Certe plusquam vir est, cuius legem elementa audiunt, plusquam vir est, cui natura patere non recusat. An non illi tunc rursum obtemperavit, cum è palæstina in Lyciam abiens nulla pene voce concitatam in Oceano medio tempestatem sedauit? An non illum; illum non natura sed mors ipsa, divina quadam virtute potentem agnovit, cum Alexandriæ multi, plures alibi vita functi manus eius sanctissimæ signo, quasi quodam cælesti plectro percussi ad vitam communemque lucem redierunt? An non illi necessitas ipsa se submisit, cum eo ante templum Hierosolymitanum noctu orante clausæ ante & obseratæ fores subito patuerunt? O sanctissimum hominem, cur paruisse lætantur elementa! O divinum cœlestemque virum, cuius legem libenter accipit Natura, necessitas ipsa non recusat! O immortalem Nicolaum, cui mors quod abripuit, ut coacta restituit! & non talem ecclesia tam sanctum, tam admirabilem, tam divinum Antistitem optavisset? quid dico optavisset? Non optavit tantum, sed etiam quasi de cœlo demissum complexa, virtutum omnium exemplar coluit, & in omni necessitate Patronum observauit. Non quærebat Nicolaus honores, sed Nicolaum honores sequebantur: latere humilitas eius cupiebat; sed latebras virtus eius nesciebat. Bone Deus quanta vis est non fictæ sanctitatis! Scio vos non ignorare, dicam tamen: Quærebant Myrrhenses Antistitem: quid

Laus à miraculis.

Synonima.
Disiunctio.

Exclamatio.

deinde convenerant vicini Præsules, ut de Antistitis electione consultarent, ecce divina vox monet, ut qui primus cuius quidem nomen esset Nicolaus, mane templum ingrederetur, urbis Antistes renunciaretur. Venit ad Templum mane Nicolaus, sistitur nomen inquiritur, Antistes salutatur, & omnium applausu consecratur. Neque tamen Nicolaus hic mutatur, remanet in eo modestia cum humilitate, neque tunc quicquam sanctissimum pectus arrogantia percellit, remanet abstinentia, neque sæpius quam semel in die cibum vesperi sumit, carnesque nunquam ad mensam admittit, remanet liberalitas, & qui antea prostituendas tres puellas dote data liberarat, plures postea iuvat, & omnium factus pater, omnia sua omnibus elargitur. O sanctissime Antistes gloriosissime Nicolae, cogor te admirari, quem eloqui digne non possum; cogor tuis in laudibus humanam vocem reprimere; qui humanam naturam tua virtute superasti. Te, cum fulgura corruscant, cum tonitrua terrent, cum tempestates desæviunt, homines invocant, & in ore nomen tuum tenetur, in corde requiescit. At te medio in mari nautæ, in judicio innocentes, in adversitatæ miseri, opem & auxilium exspectant. Te pueri puerum jejunantem laudant, juvenes juveni divino congratulantur, virgines virginem, & virginum liberatorem extollunt. Age ergo gloria sexus omnis & ætatis Nicolae, cape hanc infantis Oratoris vocem; & qui omnes dignatus ex auxilio in terris, dignare patrocinio in cœlis?

DIXI.

Creatus Antistites Myrrhusis.

Honores non mutaverunt Nicolai mores.

Conversio.

Laus à liberalitate.

Peroratio per Apostrophe.

egam, si mecum vestrum illum in attentione summa favorem sensero ad laborare. Ita vero cursum omnem instituam, ut tres ad metas decurram, doceam imprimis corporibus ebrietatem nocere deinde mores evertere ac pessumdare, postremo religione omnem ac fidem labefactare. Nolo tamen expectetis, AUDITORES ut hominem vino plenum ac ebriosum vobis tanquam in theatro repræsentem; quid enim attinet oris illum fœtorem, incessus titubationem, gestus improbitatem, quidvis loquendi temeritatem, importunas corporis sordes, cæteram illuuiem oculis subiicere, à qua vel auribus abhorremus? lateant ista in illis bacchantium hominum ingurgitationibus adeo portentosis, ut corpora instar utrium aut canalium potius perennium potu fluant. Illud dico, plures ac difficiliores animi corporisque morbos ebrietas, & illa immoderata potatio hominibus inducit, quam quisquam unquam medicorum excogitavit. Hinc phrenesis periculosissima, hinc calculi pœna gravissima, hinc eruditas exitialis, hinc viscerum inflammatio intolerabilis; hinc concreti tenacesque vapores cerebrum obsidentes, hinc partium in corpore vitalium obstructiones; per eam lippitudo, narium coriza, fœditus halitus; per eam capitis distillationes, fœdis creatus ac tusses, morbi articulares & apoplexia, per eam oculorum caligo, vertigo, suffusio. Illa robur, & virtutem naturalem enervat, infirmitatem generat, mortem inducit, & ut omnia verbo uno complectar; corpus humanum fœdissimam turpissimorum humorum cloacam & abominandam nefandissimorum vitiorum sentinam facit. Etenim quemadmodum fieri videmus, ut post grandem diuturnamque pluviarum tempestatem qua terra confunditur & in lutum resoluitur, vermes in agris ac serpentes enascantur, tota ipsa terra

Partitio.

Descriptio morum & sordium ebriosi per præteritionem.

Prima pars de nocumentis quæ ebrietas affert corpori.

Amplificatio per enumerationem nocumentorum.

Repetitio.

Illustratio per similitudinem.

quædam esse palus videatur: ita cum abundantiori potu inebriata sunt humana corpora, & per illas vastissimas ardentium faucium cloacas commessationes; inundarunt, lutum quoddam fit caro, & in sentinam conversa fœtores exhalat, culturam non admittit vermes ac serpentes vitiorum producit. Vsque adeo non satis est subvertisse sensus & valetudinem submersisse, non satis est calicibus epotandis mentis aciem graviter hebetasse, rerum omnium oblivionem, memoriæ mortem invexisse, vires omnes ac robur coporis labefactavisse; sed etiam obsidet hoc monstrum atque infestat animam, inque ipso compotationes furore moribus antea sublatis contrucidat. Est vere, est ebrietas flagitiorum omnium mater, radix criminum, origo vitiorum, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, languor ignominiosus, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. Est, est, inquam, ebrietas voluntaria rabies, & ultro hostis invitatus, honestatis omnis illecebra, & pudoris iniuria, per quam non peccatum facit homo, sed ipse totus est peccatum. Videtis Auditores, eo iam sermonem nostrum decurrisse, ut cum ebrietatem docuerim gravissimis morbis humana corpora infestare, accedam ad mores, quos aut optimos pervertit, aut perversissimos inducit. Atque ut quo contendo, perveniam, non quæ ebrietatem sequuntur commemoro, familiarium afflictiones, liberorum neglectus, creditorum fraudationes, furta latrocinia, vastitates; non dico quam multos hodie videamus, amplissimarum familiarum opes magno parentum amicorumque labore comparatas, ut suæ tantum iniurgitationi satisfaciant, nec illud cesset diluvium compotationum vilissimo precio divendere, & ut cum Diogene dicam Cynico, ex crapula-

Amplificatio à definitionibus conglabatis.

Transitio.

Secunda pars à corruptione morum.

Amplificatio à consequentibus per præteritionem.

do-

domos,fundos,patrimonia evomere. Parum esset tametsi deplorandum vilium facultatum iacturam facere, si non etiam morum accederet detrimentum.

Vides ut pallidus omnis
Cœna desurgat dubia cum corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægrauat una
Atq; affigit humo diuinæ particulam aræ?

Omnino nullum est vitium; quod in mores non ebrietas inducat: fortem, ignauum reddit; temperantem lascivum facit; prudentem fatuum nec relinquit; iustum, iniquum constituit. Nescit ebrietas modestia, pudorem ignorat, castitatem extinguit. Illa promptitudinem ad iram & querelas, celerem ac repentinã animi ad omnia mutationem, strepitum & tumultum, facilem ad dolos fraudesque deductionem apportat. Illa præceps ad omnem impuritatem atque intemperantiam ruit, naturæ leges in sexu non obseruat, & in mare fœminam, in fœmina marem perquirit. Vnde Divus Hieronymus; Nunquam ego, Castum, inquit, ebrium putabo. Et bene Tertullianus ebrietatem scortationis comitem appellat, Augustinus naufragium castitatis, Horatius Craterem Veneris sodalem, Apuleius lagænam Veneris gladiatoriæ ante cænam. Vinum lac Veneris & incendiuum esse Poetæ dicunt. In hoc ebrietatis lacu desideriorum impurissimorum venti Iuventutis, imo etiam senectutis extremæ cymbam consurgentibus cogitationum Venerearum undis miserrime demergunt. In hac ebrietatis cloaca fœdissimis luxuriæ sordibus modestia cum pudore suffocatur. O monstrum! O portentum ebrietas! ô non amabilis, sed abominabilis insania! per te adolescentiæ pudor in lasciviam commutatur, per te iuventutis

Similiter definens.

Amplificatio ab enumeratione vitiorum quibus ebrietas mores corrumpit.

Testimonia.

Allegoria.

Exclamatio
Agnominatio.

Contentio & apostrophe. robur in mollitiem convertitur, per te senectutis virtus in luxuriæ languorem transformatur. Quam multi sæpe sunt adolescentes modesti, verecundi, sanctitate quadam integri? at ubi re degustauerunt impendentes, dissoluti, luxuriosi fiunt. *Ebrietas homines immutat.* Quam multi natura mites sunt & continentes? at ubi illos invasisti, & in animos per fauces eorum intravisti, efferati fiunt, ac crudeles. *Distributio.* Tu oculos aut impudicitiam, aut crudelitatem inflectis; tu linguam obscœnis verbis armas, tu manus armis instruis, tu animum scelerum omnium cogitatione reples. O omnium flagitiorum vere mater ebrietas! *Probatio ab exemplis.* perfectus vir erat Noe, per ebrietatem nudatus in tabernaculo suo procubuit. Permanserat Loth illæsus inter Sodomitas facinorosissimos: per ebrietatem geminose conscelerauit incestu. Mille Philistæis fortior Sampson erat: per ebrietatem meretricio palpo inter hostium manus est revinctus. Temulentus erat Holofernes; una mulier, una vidua Iudith ei caput à ceruice resecuit. Conuiuabantur filii Iob, & comportabant, ecce tandem ruina domus oppressi fuerunt. Finem nunquam inveniam, si persequi singula contendam. Si dicam de Philagensibus, quos temulentia timidos & imbecilles effecit. *Præteritio.* Si Tyrinthios & Argiuos producam, qui inter pocula pugnaces & strenui, in campis & prœliis fortiter fugitivi fuerunt. Si Arietorum meminero, qui indies singulos inebriari epularique soliti, Celtarum effecti sunt vectigales. Si Alexandrum Magnum exhibeam, qui Clytum charissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore mori voluit, certe debuit. Nimirum quem tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas iuxta temporum, locorumque difficultates transfierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt, intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fata-

lis

lis Scyphus sepelivit. Sed obstupescite & altius sensibus imprimite quod dicam, & quod olim, cum diceret qui refert Augustinus, fæminas & infantes congregari præcepit. Erat Cyrillus quidam civis præclarissimus, & ab omnibus fere dilectus, cum die quadam sese nimio potu ingurgitasset, ut ebrius & amens esset, matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, sorores alias duas ad mortem vulneravit O quam vere dixisti beatissime Chrysostome, ubi ebrietas, ibi diabolus. Vere, vere hic non homo, sed dæmon quidam erat, quem in talem tam atrocem, tam horrendam stragem ebrietas armavit. Quid de illis dicam, quos ita de mentis ac judicii statu deturbat ebrietas, ut suas animas ac se totos dæmoni consecrent ac devoveant, imo etiam vendant? quid illos hic statuam, qui surgentes à poculis furente libidine in masculos, in bestias turpitudinem suam effundunt? quid eorum recordabor, qui posteaquam sese ingurgitaverunt in mutua vulnera ruunt, & ebrii misere miseriorem animam exhalant? Nolo recordari tantæ turpitudinis, & jam pudet, ad tantorum scelerum commemorationem non satis erubescere, videte nunc AVDITORES, an non etiam, quod postremum dicendum erat, religionem ac fidem ebrietas labefactet, neque enim sine ratione celeberrimus Ecclesiæ Antistes Ambrosius ebrietatem perfidiæ matrem appellat. Quid est obsecro, quod Israelitas relicto Deo tam amante tam munifico ad vituli adorationem adduxit? si patrum auctoritati credamus, ebrietas. Quid est quod Baltazar illum Regem Babyloniæ concitavit, ut inter pocula sacris è Iudæorum templo vasis impiissime nefandissimeque abuteretur? Nimirum monstrum hoc tam horrendum ebrietas. Ita subdolus, versutusque Dæmon cultum suum ebrietate condit, & de cultu suo sem-

Exemplum inaudita crudelitatis per ebrietatem.

Amplificatio ab effectibus aliis.

Tertia pars de eversione religionis & fidei per ebrietatem.

Probatio & amplificatio ab exemplis.

Complexi-

ſemper aliquid addit ebrietati, ut veriſſimum ſit, quod veriſſime Sapiens affirmavit: Vinum & mulieres apoſtatare faciunt etiam ſapientes. Experientiſſimi morum Indicorum pro certo confirmant, nullam eſſe paulo celebriorem compotationem, nullas vigilias ſtatas, quin peculiari ſuperſtitionis & ſacrilegii genere imbuantur, huiusque ſceleris obſervata tanta calliditas eſt, ut non aliter iam antiquum ſuum errorem tueantur, quam per ſolemnium compotationum occaſionem. Quanquam quem proſequi ſine horrore ſermonem non poſſum, abrumpo: & vos, AUDITORES, extrema hac oratione compello. Amare monſtrum illud poſſetis, quod tantâ pernicie corpus veſtrum infeſtat? bene renuitis. Illam peſtem morum, & omnis honeſtatis expugnatricem amplecti velletis? ſatis eſt, exhorruiſtis, non vultis. Illum fidei hoſtem, religionis everſorem, illud, illud portentum, quod abducit à Deo, & apoſtatare prudentes facit, ore veſtro, ſtomacho, exciperetis? rectiſſime ſtatuitis; nunquam, nunquam ſint Bacchanalia, ſint Orgia, ſint Cybelia, ſint Lupercalia, profecto nullum eſt peccandi tempus: volitent, bacchentur, inſaniant, qui perire volunt, certe qui honeſti ſunt, nunquam ad inſaniam illam libertatem & liberam inſaniam deſcendent. Sonet in auribus perpetuo vox illa Sapientis: Noli eſſe in conviviis potatorum, nec in comeſſationibus eorum. Sonet iterum in auribus vox illa, ſed alia Sapientis minitantis: Væ, væ, qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Nempe eſt hoc efficaciſſimum antidotum, tragicos exitus ebrioſorum perhorreſcere, & increpantis Dei tubam feriatis auribus audire, venturum aliquando iudicium animo ſuo repræſentare. Dicam cum Hieronymo & concludam, difficile imo impoſſibile eſt, ut præ-

Amor Indorum.

Peroratio.

Repetitio figurata.

Adhortatio.

præſentibus quis & futuris fruatur bonis, ut hic mentem & illic impleat, & de delitiis tranſeat ad delitias, DIXI.

ALEXANDRI LAHODOVVSKI Equitis Poloni, *PANEGYRICVS* SIGISMVNDO III. POLONIÆ Sueciæq; Regi potentiſſimo ſcriptus.

MAieſtatem aliquam & Auguſtam Regii Nominis Celſitudinem ſtyli officio deſignare, facundiaque tanquam publico Præconæ Monarchæ alicuius virtutes in illuſtri hominum omnium Theatro ad ſempiternam Poſteritatis memoriam commendare, ſi quis arduum eſſe non putet, is omnium recte ſentientium iudicio & temerarius, & impudens & ſtultus eſt exiſtimandus. Nam ſi ita comparatum eſt, ut fulgentiſſimum ſolem intuentes cæcutiamus, dum ipſa oculorum acies nimia claritate perſtringitur; & de Divina Maieſtate cogitantes, animo confundamur, dum ipſa intelligendi vis ſuſceptæ conſiderationis ſublimitate percellitur; profecto fieri non poteſt, quin debilitari nimio quodam pondere conatum ſuum is intelligat, qui Regis alicuius ac vere laudari Regis glorioſum Nomen ac virtutem ſæculo ſuo ſuſpiciendam ſtylo ſuo ſubiicere contendit: Quid enim obſecro ſunt Reges aliud, quam Dii quidam in terris & Hominum Arbitri hominibus omnibus maiores, Deo ſolo minores? In his Divina illa Maieſtas quendam ſuæ ſublimitatis radium vo-

Exordium à difficultate argumenti.

Similitudo.

Dignitas Regum.

voluit elucere, ut populorum veneratio iam tum in terris per eos sibi repræsentaret, quod in Cœlo adoraret. A Deo ipsi sunt beneficio, gubernant auxilio, incolumes persistunt fauore: Vnde si sancti sint, Deoque, quantum fas est, simillimi, præstantissimum ac pulcherrimum Dei munus existunt. Atque hinc est, SIGISMVNDE REX INVICTISSIME, quod dum ego has styli primitias Maiestati Tuæ consecrare, atque eam ipsam Maiestatem Tuam in dictionis nostræ argumentum trahere verecundo conatu præsumo, concutiar animo, perstringat, confundat. Concutit animum argumenti difficultas, perstringit Maiestatis obiectæ radius, confundit Virtutis inusitatæ sublimitas. Ita fit, ut te amare & admirari possimus, de te loqui aut scribere non possumus; quod amor & admiratio silentio quodam arcano gaudeant, locutio vero & scriptio cum silentio esse non possint, ac cum ornatu prodire gestiant. Vincam tamen meipsum & Amori loquelam, & Admirationi scriptionem addam, ut non ignorare aut celare Reipublicæ nostræ felicitatem videar, quæ te Regem complexa tam integrum, tam pium, tam omni virtute adornatum, nihil te maius exoptat. Neque vero in hoc officio vocem ullam metus extorquebit, aut adulatio quicquam suggeret; quippe hanc odisti, ille vero à te incuti non potest tuis, quos amas. De Rege loqui volo, non de Tyranno, de Parente, non de Domino: Quo fit, ut iam animo paulatim timor omnis abscedat, & conatus orationem, etsi Regiæ dignitati non parem, certe Humanitati Regii Parentis gratam exordiri præsumat. Permitte igitur SIGISMVNDE REX, ut à Cliente Subditoque tuo, qui triumphalem Gloriæ Tuæ currum sequi non sine plausu concupiscit, lauderis: permitte, inquam, ut inter tot virtutis tuæ Præcones etiam balbutiente Eloquentia hisce re aliquid

Conciliatio per apostrophen.

Propositio & captatio benevolentiæ.

Apostrophe

quid possim, & vocem edere, qui vitam tuæ Maiestatis obsequio consecravi: atque eam sane vocem quam Pietas, Beneficentia, & insignis fortitudo tua etiam à mutis pectoribus suo quodammodo iure reposcere videtur. O beatum illum ac salutarem Polonis diem, quo te tua Virtus non ambientem vltro præsentavit! vix est, ut partum ambitione regnum sit fœlix; vix ut omnibus placeat ac gratus esse possit, qui sese ingerit. Nimirum quærendi sunt Reges, non accipiendi, & ibi plus Maiestatis esse debet ubi plus est Virtutis, non ubi plus cupidæ voluntatis. Ac sane ita fas est existimare, eos à Deo Reges esse, non qui sollicito hominum suffragantium calculo sese insinuant, sed qui virtutis fama noti quæruntur, adeoque Reges esse merentur, qui Reges esse nolunt. Ea fuit Virtus tua SIGISMVNDE REX, quæ Fortunam nostram fecit. Anxia erant multorum Regni Procerum studia, ut Stephano Regi sæculorum omnium memoria dignissimo successorem, & Regno Dominum darent. *Multi* adspirabant virtute, meritis, fauore: nonnulli potentia, aliqui etiam ambitu pene ridiculo; & ille è Tartaria sua quidvis esse voluisset, ut Rex esset; Nihil cuiusquam virtuti detractum velim, nihil Cæsari Rudolpho, nihil Maximiliano Archiduci, nihil Alexandro Farnesio, nihil aliis Principibus quorum singulares Virtutes, Procerum aliquorum calculos mereri potuerunt: debebatur tamen, debebatur Virtuti Tuæ SIGISMVNDE, hoc Regnum, & candidatus ille animi tui vigor, cum Comitiis non interesses, deliberantium animis obuersabatur. Equidem tum apud Invictissimum Ioannem III. Suecorum Regem parentem tuum agebas, sed crescentis virtutis tuæ fama, singularem de tua indole spem conceptam apud Polonos euulgabat. Fœliciter illa sane, ut fortunatissima stirps Iagel-

Laus ab electione inter tot sollicitantes.

Sollicitantes pro regno Poloniæ.

Causa electionis propter familiam.

gellonica, ex qua Illustrissimam Catharinam. Matrem tuam pullulatas, iterum Polonico Regno redderetur; quod ab ea tantum potentiæ & virtutum omnium incrementum acceperat. Ita una electione bis fœlices facti sumus, ut & Regem sceptro dignissimum nullo ambitu haberemus, & Iagellonicum reductis quasi veteris ævi auspiciis reciperemus: quin imo ad hanc fœlicitatem ea accessio facta fuit, ut dignum Stephano successorem videremus Videor audire advenienti tum tibi applaudentium clamores, quibus non tam voces, quam animos tibi effundebant, & licet quadam mentes tristitia cladis obiectæ spectaculo occuparentur, tanta tamen viso te Rege exorta fuit omnium serenitas, ut doloris argumentum in lætitia trophæum erigerent, non aliter quam exoriens sol pluviosam nostris caliginem in clarissimum serenissimumq; diem commutat. Adeo non sine munere quodam divino Rex esse videbaris, quem nemo satis cito se Dominum habiturum putabat. Neque tamen in te corporis dignitatem, vel capitis & oris maiestatem admirabantur, quam hodie adhuc tanquam miraculum suscipiunt, sed virtutem, quæ festinatis quibusdam insignibus sese prodebat, suscipiebant. At vero ubi eam non videre tantum, sed sentire contingit, quanta fuit omnium in te animorum effusio? quantæ preces pro regia incolumitate factæ? quam grati iucundique de benignissimo animo tuo ubique habiti celebratique sermones? Quippe virtutum prima tuarum Benignitas Clementiaque Poloniam universam recreavit, cum iis, qui Maximiliano Archiduci contra te adhæserant, rerum potius non tantum pepercisti, sed eos etiam præter eorum: ac omnium aliorum spem ac expectationem beneficiis cumulasti, dignitatibus adornasti. Dicam vere, SIGISMVNDE REX, una hac virtute

Similitudo.

Eaus à clementia.

te &

te & illos vicisti : te quidem cum animum regno & victoria præcelsum, ne insolesceret, cohibuisti; illos vero, cum id quod nunquam speravissent, dedisti. Voluisti hoc beneficio potius quam alio duriori remedio Polonorum ingenia experiri; nec ignorabas, quam novum imperium inchoantibus utilis sit Clementiæ fama, cum nihil sit, quod magis Principem Gentibus commendet, quam Clementia, illa Maiestatis ornamentum, Divinitatis imago Amoris fomentum. Sciebas in libero Regno liberas debere esse mentes; & si forsitan excesserant, restabat tuæ Virtut materia, ut præsens eorum animos vinceres & vincires, quos absens non habueras. Non erat ita reor, nisi ingens eorum mœror cum te Regem videbant, qui alium voluissent; at ubi tua illos Benignitas superavit, Beneficentia convicit, Humanitas complexa est, non alium voluissent. Ita plane te Regem animorum eorum tua Benevolentia fecisti, qui antea Rex eras coporum electione. Quanquam nec subditos tantum Polonos tuos hac Virtute conciliasti, verum etiam eos, quos habere hostes potuisses, qui ubi tuæ Virtutis radios clarissima in luce viderunt, & suavissimam Naturæ tuæ Prædicationem audiverunt, amicum habere voluerunt, quem fecisse hostem potuissent. Non unum aliquem nomino, testes sunt, quotquot Poloniæ vicini sunt Principes ac Reges: testis vero vel inprimis Augusta Austriacorum Domus, cuius Amorem ita tum tui regni initio meruisti; ut non satis se fœlicem putaret, nisi amicitiam (quid dico amicitiam?) nisi affinitatem tecum strictissimo vinculo iniret. Discat nunc Orbis non armorum fulmine fieri Reges, sed, amore; non amorem potentia comparare sed Benignitate. Evenit profecto, ut & SIGISMVNDVS Regnum obtineret, qui ele- *Probatio clementiæ.*

electus potissimo Nobilitatis suffragio erat, & Austriaci non repellerentur, à quibus Regno Reginam, Regi uxorem accepimus. Et si dicere cum omine liceat, fœliciter SIGISMVNDE & MAXIMILIANE, pro Regno concurristis, ut nimirum tu Rex esses, hic ex familia sua Illustrissima Reginam daret. Dedit, vidimus, accepimus serenissimam Annam Austriacum Caroli Archiducis filiam. O decus mulierum! ô Regina Reginarum! Erat illa Arx quædam Pietatis, Sanctitatis Delubrum, Virtutis Domicilium: adeo non ipsa à regio sceptro, sed ab ipsa sceptrum decoris ac splendoris plurimum accepit. Fœlix Regina, quæ pio Regi; fœlix Rex, qui Reginæ tam piæ junctus; ut cum ipse sis Polonorum Delitium, ipsa fuerit Amor Polonorum. Quid dicam? An hanc cœlum nobis invidisse? Ad hanc terram indignam fuisse? Certe vixit, cum vitam ei immortalem optaremus; certe occidit, cum ne unquam moreretur, precabamur: ita occumbere cum ea Pietas, perire Benignitas, mori Humanitas videbatur. Indoluisti SIGISMVNDE REX, & ejus fatum ingenti percussa dolore Respublica nostra tecum luxit, perpetuo luctura, nisi in tuo atque ejus filio Principe Vladislao recrearetur, in quo cum paternam ac vere Regiam Maiestatem omni virtute decoratam cernit, tum maternam Pietatem Humanitatemque admiratur & amat. Ita in filio matrem habemus. Sed non potuit tamen, non potuit Mors contractam cum Austriacis amicitiam dirimere, quæ affinitatem sustulerat: corroboratus est altera affinitate Amor, & concedente Summo Religionis Romanæ Antistite in demortuæ sororis locũ soror altera successit, & Poloniæ Diademate exornata luctum omnem detersit. Favere nunc Cœlum, non invidere Polonis jam dicã. In sorore sororem habemus, nec tam amisisse Reginã videmur, quam post bre-

Laus à coniuge prima.

Laus coniuge Regina.

Laus à coniuge secunda Regina.

brevem discessum recepisse. Eadem Pietas, eadem Benignitas, eadem Humanitas est, ut omnino omnis Virtus innata Austriacis videatur, in quorum familia nasci neminem videmus, qui non ad regnorum administrationem, ad sceptra, ad Diademata certis quibusdam fatis à Deo destinetur. Scio adhuc esse in omnium pectoribus, lætitiam illam ingentem quæ tum non Poloniam tantum, sed universum terrarum Orbem peruasit, cum primum Reipubl. nostræ Regina velut sydus quoddam illuxit. Quantus tunc erat splendor comitantium Serenissimorum Archiducum Reginæ fratrum, atque ejus potissimum Ferdinandi II. cujus hodie purpura in fastigio Romani Imperii resplendet? Quantus tum excipientium Procerum favor? quam admirabilis cum magnificentissimo apparatu concursus è Turcia, Moscovia, Persia, Tartaria, Italia, Germania, Gallia & Hispania Legatorum? Ita in nostræ fœlicitatis societatem venire Provinciæ omnes videbantur, ut cum una fœlix esset Polonia, fœlix totus Orbis judicaretur. Hodie sane CONSTANTIÆ REGINÆ auspiciis constans est Poloniæ fœlicitas. Ne vero tuæ illius benignitatis vestigia omnia, SIGISMVNDE REX, persequi non videar, patere id à me dici neminem unquam In tuam Maiestatem injuriosum fuisse, qui tuæ Clementiæ suavitatem non senserit: vel enim benigne indulsisti, vel patienter tolerasti: utrumque Clementiæ est opus; nec minus indulget, qui cum ulcisci potest, patienter fert, quam qui offensam benigne remittit. Senserunt non illi tantum, qui Maximiliani partes aliquando sunt secuti, sed tuus ille in Suecia Patruus, tui Agnati, & quotquot, ut te regno illo exuerent, nefario consilio & ausu vim armorum objecerunt. Senserunt Confœderati in Moschovia rebelles, qui per Reipubl. latus Regis caput impetebant, & per

Declaratio publicæ lætitiæ.

Benignitas explicata.

per Regni vulnera Victoriam Triumphumque sperabant: sed illorum imprudentes impetus tua Prudentia sedavit, & culpam tua Clementia delevit; adeo pene optandum fuit peccavisse, ut tu tam clementer condonares, scilicet hac virtute Polonorum pectora & animos tibi aperuisti, cui juncta Pietas velut altera quadam ala in Immortalitatis Delubrum nomen tuum deportavit. Unde cum liberi populi simus, libet vero animi sinceri affectu exclamare:

Laus à pietate.

——— *Nusquam libertas gratior extat*
Quam sub Rege pio.

Et sane Regem sceptrum qui à Deo suscepit, cogitare debet quibusnam modis ei placeat, qui id illi dedit; cumq; omnibus hominibus ab eo sit prælatus, præ omnibus eum honorare festinet. Suavis hæc virtus est, & animorum conciliatrix: nam, ut ait Romanus ille, Cæteræ Virtutes admirationis tantummodo multum Pietas vero etiam amoris meretur plurimum. Ita quippe comparatum est, ut minime subditi sperent aliquid injustum ab eo Principe pati, quem Religiosum, Deiq; verentem arbitrantur: minusq; in eum insurgent, qui Deum etiam habeat adjutorē. Neq; vero SIGISMUNDE REX, hæc à tuo pectore abesse virtus potuit, quam tibi innatam facile credimus, tu experimento docuisti. Si enim primæ tuæ ętatis annos discutiamus, cum adhuc septennis esses, & ab illustri quadam Matrona redargueeris, quod ad Catholicam fidem pietatemq; propenderes, teq; Stephani Regis Patrui tui minis, quibus terreri ea ætas solet, ad id impelli cavillaretur, in prudentem hunc sermonem erupisti: *Non ita est, fidem veram, & unicam salutis anchorā amplector: neq; enim pecco, imitando Regem, quem utpote virum, certū est plus habere cerebri, quam fœminam qualem te scio.*

Refert L. Beyerlink in suo Chronico.

Egre-

Egregium ſane ac vere Regium reſponſum, quo ſatis declaraviſti, nihil à tali indole expectandum, niſi quod maximum in omnibus & ſummum eſſet. Atque hinc cum ex hac vita mortali in immortalem migraviſſet IOANNES III. Sueciæ Rex Parens tuus, tuque filius unicus & hæres ad paterni regni ſucceſſionem accederes, gratiſſimus Catholicis omnibus fuit adventus tuus, quippe qui in ſemen religionis ſuæ hactenus permanſerant, & tunc fore plane confidebant, ut errantibus à via veritatis, & iam de Lutherana rupe in profundum pendentibus amiſſus redderetur viſus, cœleſtiumq; mandatorum purior repararetur auditus. Noſtra vero Polonia quaqua verſus patet unicum eſt, ſed maximum & auguſtiſſimum tuæ pietatis ac religionis monumentum Quæ profecto ſi loqui poſſet, libera & alta voce proteſtaretur omnem ſe à te religionis ornatum accepiſſe. Tot ubiq; templa erexiſti, tot monaſteria ædificauiſti, tot Xenodochia condidiſti, tot proventibus auxiſti, tot beneficiis cumulaſti, tot ornamentis decoraviſti. Et quoniam ſubditis tuis placuit pii Regis exemplum & zelum æmulari, ideo hodie noſtra Polonia ſubauſpiciis fœliciſſimi regni tui viginti quinque & amplius Patrum Societ. IESV Collegia accepit, aliorum vero ac diverſiſſimorum Religioſorum ultra centum ſeptuaginta cænobia magno ſumptu, incredibili munificentia, admirabili religione conſtructa. Adeo ut Polonia iam omnis ſit literatiſſima, & tota iam tranſierit in Athenæum: adeo inquam, ut Polonia iam pene ſupra Romam ipſam & Italiam ſit pia & religioſa. Et nunquid Deus Religionem Chriſtianam ſingulari quodam totius Europæ bono in Clientelam Polonorum tradidiſſe videtur? Quippe illi ſunt, qui invictis & fulminatricibus imperii ſui legionibus Barbarorum ex omni parte eminentium immanitate propulſant, & in illo

Probatio pietatis regiæ.

Commendatio Polonorũ

Religionis confinio, tanquam in communi salutis publicæ propugnaculo cõstituti, populos alios defendunt. Neque tamen tantopere hæc extollerem, nisi idcirco in regno essent suspicienda, quia in Rege sunt admiranda. Tua vita SIGISMVNDE REX, censura est, ad eam diriguntur & convertuntur subditi, nec tam tuo imperio illis opus est, quam exemplo: tuum quippe ad exemplum componuntur, & vitam potius quam edicta sequuntur: quanquam boni Regis vita probitatis quædam præscriptio est, & per universos viuendi forma. Ac quemadmodum ad solis motum hæc ima, ita populares vertuntur semper & conformantur ad Principum mores. Virtutum tuarum semitam securo pede ingressus nuper fuit (ut alios sileam) magnus ille Poloniæ Cancellarius Ioannes Sarius Zamovski, toga sagoque ubique terrarum celeberrimus, qui in urbe sua hæreditaria Zamoscy Vniversitatem condidit, proventibus ditavit, privilegiis à Pontifice Maximo, Cæsare, Regibus impetratis munivit & condecorauit. Ita pulchrum est, iucundum & gloriosum subditis benefacere, cum in Regis vita exemplum elucet Enimvero si propius Orationem ad Aulam tuam admoveamus, mura hærebit oratio, & admiratione defixa, non Aulam esse credet, sed templum, ubi tantum virtutum omnium consensum animadvertet. Nullus hic luxus, nulla petulans libido, non immoderata licentia, non intemperantia, non superbia odiosusque fastus; sed fraugalitas, temperantia, modestia, affabilitas, comitas, humilitas. Emines & excellis, verum ita ut par cæteris simul esse videaris, & quadam æqualitatis ratione, cum omnibus agis, etsi omnes dignitatis maiestate præcedas. Neminem repellis aut deprimis, qui convenire te cupit: imo vel cum Rege vel cum Regina iucundum est agere subditis, qui nunquam nisi

Regis vita censura est.

Similitudo.

Transitio.

Laus ab Aula bene ordinata.

Ab affabilitate.

nisi contenti recedunt. Ad te accedentibus verecundia suboritur, sed recedentibus lætitia exoritur: & nemo Aulam ingreditur, qui non vitam suam exemplo accensus conformare contendat. Scholam potius, quam Aulam appellarim, in qua qui ordinem & officiorum rationem, & vitæ instituendæ modum intuetur, melior ipse factus recedit. Exemplum pietatis & modestiæ frugalitatis Rex est & Regina. Cuius rei testimonium & vivum documentum, ipsa liberorum institutio est, quam indole & vita & virtute VLADISLAVS Princeps designat. Quis in eo Maiestatem requirat, quam animo corporeque spirat? quis prudentiam, quam actionibus ad miraculum stupendis testatur? quis animi fortitudinem, quam in bello tot egregiis facinoribus toti orbi testatam fecit? quis Clementiam & insignem Augustæ indolis benignitatem, quam Moschouitæ rebelles experti laudant? Talem illum Aulæ vestræ educatio fecit, & augustis in Penetralibus Regiorum Parentum exemplum, ut omnino & sanguinis excommunicatione, & virtutis exemplar sit Princeps, quem quævis terrarum orbis provinciæ exoptent. Vereor sane ne tuis laudibus officiam, dum extollere contendo, & ne plus tacendo patria universa dicat, quam ego loquendo. Continere vocem ipsa non potest, quæ se ornatam tuo beneficio miratur. Novas urbes, novas arces accepit, & ne parum esset, munitas esse, splendidæ sunt & magnificæ, imo etiam splendere certent & vincant, quotquot fere ubique terrarum esse possunt. Illa Varsauiensis sua pulchritudine spectantium admirationem detinet; Cracouiensis sua magnificentia vincit, & orbis miraculis contemplantium iudicio adiicienda venit. Sic tibi pulchritudinem suam nostra Polonia debet, ut non tantum per te sit fælix, sed etiam pulchra. Regum quippe ea quoque laus est,

A filio Principe.

A cultu urbium & totius patriæ.

eſt, Provincias ſuas arcibus & urbibus decoraviſſe ut tot idē ipſi quaſi erectis ad ſempiternam memoriam monumentis apud poſteros laudentur.

Tranſitio. Sed quoniam minor eſt laus iſta, quam ut à tua Maieſtate quæratur, ad maiorem curſum dignitatis flectamus. Humaniſſimum te & benigniſſimum omnes admirantur, ſed eundem belliсoſiſſimum & invictiſſimum hoſtes reformidant.

Laus à fortitudine bellica. Admiremur ergo te etiam in ſago, & armis, & ubique tuam prudentiam ſuſpiciamus. Nihil eſt Reipublicæ alicui pernicioſius, quam inteſtinis ſeditionibus agitari: peſtes illæ ſunt in viſceribus Regnorum, & earum contagio in interitum ſerpit, omnemque Legum & Regum authoritatem evertit

Exorta ſeditio. Fœlix Polonia noſtra hac in fœlicitate carere non potuit, & extitit tempus illud, quo Nobilitas noſtra ſeſe opprimi, Rempublicamque iam in perniciem vergere proclamaret. Ad arma ire placebat, arma ſumebantur, quo fato, quo conſilio, quo iudicio, vixerat, qui ſciret: & qui iam arma volebant, armis ſe ac continuis bellis gravari, vectigalibusque nimiis onerari proteſtabantur. Ita nunquam mali cauſa deeſt, qua fingi ſemper poteſt. Nec deerant tanti mali Principes, qui ut authoritate Senatoria pollebant, ita magno nomine authoritatem ſeditioni addebant. Sic invidia plerumque magna ingenia propellit, ut raro quieta eſſe poſſint; ſic arrogantia inquietos animos turbat, ut ſuam fœlicitatem non agnoſcant: malintque turbata Rep. turbari, quam tranquilla quieſcere. Sed permanebat tamen in officio & amore Nobilitatis pars maior, ut deſeruiſſe Regem cum culpa nunquam videretur, quem ſequi ſemper eſt glorioſum.

Contentio. Quanquam quid in hac Reipubl. tempeſtate, SIGISMVNDE REX, egiſti? Rebellabant ipſi, tu pacato animo revocabas; detrectabant imperium, tu alliciebas; obiiciebant arma, tu gratiam proponebas.

Nec

Nec vinci illi tua humanitate volebant, nec armis vincere poterunt. Restabat ut tu Rex, arma sumeres, sumpsisti, opposuisti, victi illi sunt, & ad officium redierunt; ut cum tuam humanitatem contempsissent, vim tuam & justissimam iram vereri discerent. O victoriam plane singularem, sed in qua plus Clementiæ video, quam vindictæ; plus humanitatis, quam effusi sanguinis. Dicam audacter SIGISMVNDE REX, nihil agere potes, quin clementer agas; & cum Iustitia non raro à te vindictam poscat, semper tamen Benignitas gratiam extorquet. Victi illi erant, & pauci Marte adverso ceciderant, qui tamen victi erant, tuam Clementiam vicerunt, qui Maiestatem non potuerant. Offensam omnibus benignissime condonasti; & ne quid iracundiæ residere in animo tuo quisquam suspicaretur publicis in Comitiis regni totius Græcorum Romanorumque more omnem injuriam, adeoque omnem injuriarum ac discordiarum memoriam amnystia sempiterna nimirum oblivione delendam clementissime statuisti. I Fama, dic SIGISMVNDVM. Regem armis invictum esse, & plus tamen Clementia, quam armis posse. Protecto nemo unquam illum exhorruit, qui non exhorrendo amaverit; tam suavitet horror (etsi potenter) in animos delabitur, ut in amorem desinat. Vulnera regni non acri medicina, sed mulcendo tantum sanat. Venio ad alia, si vim respicias, majora: si prudentiam tuam æque admiranda. Naturæ concesserat Magnus ille Moschorum Imperator Odo, & in defuncti principatum surrogati Demetrius Carevvicz, quod è stirpe ac sanguine Magnorum Moschoviæ Ducum esset, volebat. Deerant opes, deerat vis, qua negata plerumque imperia occupantur. Igitur tuam opem & tua arma Implorat, etiam impetrat. Tua namq; authoritate, Illustrissimus Sendomiriensis Palatinus

Exclamatio.

Laus iterum à clementia.

Occasio belli Moschovitici

magnitudine potentiaque certet. Equidem iterum perfidi a Moschorum vim amorum ursit, sed iterum perfidiam illam tua arma oppresserunt. Campus erat nimirum, in quo tuis auspiciis filii tui Principis Vladislai virtus excurreret, & paternæ Gloriæ, suæque surgenti famæ trophæa erigeret. Erexit cum Smolenscum egregie tutatus propugnauit. Erexit cum Moschouiæ metropolim unde innumeros antea thesauros Poloni extulerant, singulari Illustrissimi Stanislai Zolkievvsky Ducis exercituum & Magni Poloniæ Cancellarii virtute occupauit. Erexit cum eo Moschouitas adegit, Vt Maximum opulentissimumque Seueriæ Ducatum iure quodam hæreditario Poloniæ nostræ adscriberent, ac tot ipsi arces tot propugnacula ultro, velut in fœderis ac pacis pretium perpetuo donarent. Tantum eius potuit una virtus, tantum prudentia armis fulta, tantum augusta Indoles inimicis horrorem incutiens, amicis amorem propinans. Sed nimirum tua hic virtus illustrissime Zolkievvsky adlaborabat, cum belli nostri fulmen hostium immanitatem perstringens, cum ad Principis Vladislai obedientiam cogeres, cum ipse iuramentum & fidem eorum pro Principe exciperes tanquam spes altera regni. Enimuero singula persequi nec opus huius est meæ, nec dictionis quaquaversus Polonia respicit in tuarum laudum monumenta incidit. Vix Regni nostri diademate coronatus eras, & celeberrimis Tartarorum incursionibus vexabamur, compescuisti: imminebat toti Poloniæ Turcarum Imperator, pacauisti: Dux Moschorum exspirante initi cum Stephano Rege fœderis tempore insultabat, per tuos belli Duces fregisti, & ad æquas pacis conditiones perduxisti. Hæc historiarum monumenta & Annales loquuntur, hæc in temporum memoria sunt, & sæcula Posterorum impellent, ut tuæ lau-

Laus Principis Vladislai à fortitudine bellica.

Transitio.

Alia fortitudinis signa.

laudis prædicatio nunquam intermoriatur. Neque eorum hic opus est memoriam excitare, quæ tuo imperio & auspiciis Zamovsky in Liuonia, in Valachia, aliis in locis per multis summa sua cum laude gessit, cum Carolum Sueciæ invasorem repressit, profligavit, Livonia eiecit: cum in Valachia Tartarorum Ducem ita cecidit, ut cladis nuntius non superfuerit, in huius Gloriæ societatem alii veniunt, & cum fortuna aliorum manus dirigeret, à te Gloriæ suæ incrementum sumpserunt. Illa vero illa æterno Nomini tuo ad scripta Gloria est, nullis inter moritura sæculis, quod cum Natura iure sanguinis, Leges iure hæreditatis tuæ Maiestati Suecorum Regnum offerrent, cumq; manere apud eos aliquamdiu potuisses, nunquam tamen ibi manendum tibi esse statueris. Vbi Genti non bene cum Deo conveniret, & quæ hæreseos erroribus implicata veritatis Catholicæ lumen ingrata respueret. Ambiant alii Regna se totos & animum mutent, ut regnent, Deo & Religioni nuntium mittant, ut subditis imperent: SIGISMVNDVS exemplo Ioviniani Imperatoris nisi Christianis imperare non cupit: imo SIGISMVNDVS exemplo Vladislai I. Poloniæ Regis, qui Bohemis hæreticis imperare rogatus recusauit, suo imperio ac ditione frænare hæreticos recusat. Ita nimirum non se Regem tantum sed Christianum Regem ostendit, cuius est in terris omni authoritate & potentia æternæ Maiestatis cultum promovere, virtutum exemplis lucere, inimicos & hostes Christiani Nominis, quantum potest, odio persequi armisque profligare. Et sane tuum hunc animum & Christianam vere voluntatem SIGISMVNDE REX, etiam nostra tempora, quibus hodie vivimus, loquuntur & laudant. Vident amplissimum Regni tui Senatum tanta Virtute ac Religione septum esse, ut hæreticis patere aditus ad illum

Commendatio amoris ſi deiCatholicæ

faci-

facile non possit. Vident in eum finem tua negotia omnia ordinari ut Catholica ubique Religio cum splendore subsistat aut post liminio revertatur. Vident & sentiunt etiam, quanta Ferdinando II. Imperatori auxilia præstes, ut in Bohemia vicinisque provinciis ab hostium injuriis Christiana Romanaque Religio vendicetur. Quæ omnia si statuissem, imo si possem so totum describere, eloquentiæ penicillo subiicere oculis conarer: Sed tamen nondum hominum memoriam effugerunt, quæ in omnium adhuc oculis sunt. In eo supersedeat oratio, ut te eum esse Regem fateamur, quem inter perfectissimos nostra ætas numerare potest. Neque hæc blandientis assentationis vox est, sed tuæ virtutis meritum, & vitæ splendore obtenta veræ laudis prædicatio. Novisti enim in magna fortuna nihil tectum, nihil occultum esse, ideoque talem te domi facis, qualem foris exhibes, ut nihil sit fictum in vultu, nihil in oculis fallax. Neq; quod multi, simulatam virtutem amas, sed veram; & quod in te magnificentissimum est, ab omni non modo vitiorum, sed quod vitii insuper cujusque speciem habeat contagione te reprimis ac revocas, ut non tantum cæteris imperio præstes, sed etiam virtutum ornamento; & cum sis primus, idem quoque sis optimus. Ex quo efficitur, ut te propter potestatem & Maiestatem tui subditi venerentur, ament vero propter virtutem. Et certe non pronum est dicere, utrum ames, an ameris amplius; utrinque maximus est ardor; patere tamen ut cum ardentissime ameris, ardentius nihilominus tuos amare te dicam. Vincere te amore non possumus, à te amore & beneficio vincimur. Atque hoc est omne punctum tulisse, & supremam laudem invasisse, cum suis amore certare & vincere; cum omnibus gloria contendere, & omnes post se longo intervallo relin- *Peroratio.*

quere. Talis cum sis, SIGISMVNDE REX, superest, ut Reipubl. nostræ gratuler, quæ te Regem nacta, omnium Nationum invidiam mereri potest. Gratulor vero ex animo, & eo libentius, quod tantæ fœlicitatis communione fœlix quoque mihi videar. Atque inde est animus mihi, ut quem Regem laudavi, obsequio demereri possim. Si quidem nihil iucundius in vita esse potest, quam pro eo vivere, quem tuæ vitæ Principem agnoscis iusto imperio, & honore virtutis. Reliquum sane est: etsi beneficio vincamur à te, & tua gloria lætemur, ut tali ac tanto Rege dignos nos subditos Regis ipsius exemplo præstemus.

VOTUM

Pro

SIGISMUNDO III. POLONIÆ, SUECIÆ, GOTHIÆ, VANDALIÆQUE, Rege Potentissimo.

INclyte Rex, *Magni Stirps Maxima Iagellonis,*
Et veterum Decus Heroum, quos inserit Astris,
Et Patulum latè decantat Fama per Orbem
Æternis celsos meritis, & Laude potentes.
O me si niveo scandentem Sydera curru,
Qua virtus meritos tenet immortalis honores,
Penna ferat! Si me superantem culmina Pindi.

Im-

Impleat haud unquam morituri carminis ausu
Musarum Præses! Non te, non fortia bello
Facta, vel excelsos canerem virtutis honores,
Phœbeos namque ista modos, Musaq; labores
Exsuperant, iamq; æternis subvecta triumphis
Attonito pulsant superi Capitolia cæli
Cælicolum cœtu: nectunt tibi serta cohortes
Ætherea, Divinumq; favor respondet ovanti
Iam pro Te mundo, Lausq; uno spargitur ore
Cælicolum Hominumq; simul, Me cura fatigat
Altior ut nostro vivas longævus in orbe
Delitium humani generis, nostraq; voluptas
Sarmatiæ, Decus & Laus & Lex una Poloniis,
Præsidiumq; tuis. Vigeat sub iure Tribunal
Hic prælustre tuo, tua celsior insonet Astris
Iustitia, & facilis vincat Clementia mentes
Augustaq; favor Dextræ, dum militat omnis
Pro Te Rege polus, dum Te tuaq; inclyta bella
Tartarus & Moscus formidatusq; propinquus
Turca timet. Felixq; tuum prudentia Regnum
Efficit, ô Superi date iam, date vota, vovemus
Longa SIGISMVNDVS moderetur sæcula Monarcha
Vivat, & humanos excelsa mente labores
Vincat, & æternos intret post fata triumphos.

F I N I S.

REMIGII LVCÆ TONGRENSIS ORATIO.

In Laudem D. ANNÆ, Collegii Porcensis Patronæ.

Exordium à fabula poetica.

PHaeton, ille Solis Filius, ut ingeniosissimi Poetæ fabulantur, Ornatissimi & Humanissimi AVDITORES, cum ad sui Patris regiam olim accessisset, & in radiantem multiplici splendore vultum ejus coniicere oculos voluisset, protinus constituit purpureaque veste, quod divinum ejus ferre lumen non posset, faciem suam contexit, donec

—— Genitor circum caput omne micantes
Deposuit radios, propiusq; accedere iussit.

Applicatio. Idem vero evenire mihi hodie animadverto Nam dum accedere ad Diuæ Annæ laudationem, quam ex Rhetorum officio suscepi, contendo, animumq; & stylum erumpentem admoveo subducto quasi animo hærere cogor, quod & nimia claritas oculos perstringat, & argumenti magnitudo animum percellat. Tu igitur Sanctissima Patrona nostra, ne caligantibus tantum oculis te hodie aspiciam, depone parum permicantes illas æternitatis tuæ radios, & propius me, tuos, ad pedes laudationis huius corollam depositurum, accedere permitte. Non ignoro mortalis nequaquam ingenii esse divinam virtutum tuarum magnitudinem attingere, atque idcirco, quod verecundæ dictionis est, earum tantummodo flores aliquos delibabo. Vos vero, Ornatissimi & Humanissimi AVDITORES, si, ut opinor, tan-

Invocatio per apostrophen.

Conciliatio auditorum.

tantarum virtutum fragrantia excitati admovere ad eas animum desideratis, dum oratione præcedo, sequimini me fauore. Pietatis est Divorum laudes prompto gestientique animo audire, humanitatis, dicentibus benigne fauere.

Sæculorum omnium memoriam dum ab ipsis mundi incunabulis animo complector, & ad prisci æui ætates cogitatione recurro videor mihi hominum tum viventium animi sensus intueri, & sermones audire. Cogitabant illi, & mœsto apud se animo revoluebant. Itane spe longa semper attereremur? duro iugo semper fatigabimur? libertatem anxii semper exspectabimus? Si nasciturus est aliquando nobis Seruator, quænam illum digno utero mater producet? Si futura est eius aliqua mater, quænam illam paritura mulier invenietur? An esse Dei mater aliqua potest, quæ Dea non sit? an vero Deam gignere mulierulla potest, quæ conditionem humanam excedens non ipsa sit Dea? Quanquam inveniet ipse sibi matrem Deus, quæ si Dea non sit, proximæ tamen ad divinitatem accedet; inveniet sibi auiam Deus, quæ etsi futura mulier sit, naturæ tamen dignitate, & conditionis excellentia mulieres omnes longe superabit. Ita illi cogitabant, ita dicebant. Et sane invenit tandem aliquando & præparauit auiam sibi Divina Maiestas; invenit Annam quæ incredibili sanctitate circumdata DEI matrem, cœli terraque reginam stupentibus terris omnibus generaret. Quemadmodum autem, ut ille Theologorum Phœnix Aquinas ait, ita in Genetricem suam infinitos, cœlestium gratiarum thesauros effundit, ita omnem bonitatis suæ oceanum in illam derivavit, ita sapientiam suam, providentiam, omnipotentiam circa illam pene exhausit, ut meliorem formare, digniorem præstantioremq; producere ne dicam excogitare non posset; sic in avia sibi

Confirmatio, Prosopopæia Obliqua.

Vt perfectissima mater, ita auia perfecta.

ſibi præparanda id effecit, ut excellentiorem matri ſuæ matrem præparare non poſſet quippe tanta naturæ dignitate, tanta diuinarum gratiarum copia, tam admiranda conditionis felicitate præſtare illam cæteris omnibus omnium ætatum matronis voluit, ut uni ac ſoli Mariæ filiæ ſuæ cederet. Et vero quid excellentius ad dignitatem eſſe poteſt, quam Dei Matris matrem eſſe? quid dignius ad excellentiam quam diuinæ Maieſtatis auiam effici? quid admirabilius ad vitæ conditionem, quam Dei filium, nepotem ſuum appellare? Cogitare quidquid vultis, & animo quantamcunque dignitatem comprehendite. Si dicatis, non potuiſſe niſi ex *Maria* naſci Deum, hoc dico, non potuit niſi ex Anna Maria procreari: Si dicatis illam terminum Omnipotentiæ diuinæ quodammodo fuiſſe, hoc dico, fuit Anna opus admirandum, & diuinæ prouidentiæ ſingulare prorſus exemplum. Quod ſi illam intuens oculis, etiam cum viveret, potuiſſetis, coniungerat in ſe, quæ coniungi in aliis non poſſunt dignitatem cum abiectione, excellentiam cum humilitate, præſtantiam cum ſimplicitate, ſummam gloriam cum ſumma modeſtia. Eius vitam ita omnes admirabantur ut cum imitari vellent, aſſequi non poſſent. Videbant in ea hinc frugalitatis violas, inde verecundiæ roſas; cernebant hinc pacis olivam, illinc affectuum ſuperatorum laurum; intuebantur hinc conſtantiæ palmam, illinc virentium deſideriorum hederam. Hæc eſt illa, inquiebant omnes, quæ non ſumptuoſam magnificentiam, ſed humilem frugalitatem amat hæc eſt illa, quæ non faſtuoſam ſuperbiam, ſed verecundam modeſtiam præ ſe fert, hæc eſt illa, quæ non contentioſam vitam, ſed amiciſſimam pacem, & pacificam cum omnibus amicitiam deſiderat; hæc eſt illa, quæ affectuum ſuorum impetum non ſequitur, ſed repri-

Laus quod fuerit mater matris Dei.

In ea coniunctæ omnes virtutes fuerunt.

Obliqua Proſopopæia Repetitio.

reprimit, non levitate effertur, sed constantiam seipsam sistit, non in hæc terrena obstipo capite & animo, sed in illa cælestia & æterna bona consurgit. Talis cum esset sui apud omnes desiderium relinquebat, sui in omnium animis amorem imprimebat, suæ vitæ exemplum apud omnes proponebat. Talis, inquam, cum esset, primam reparandæ salutis spem mortalibus omnibus apportavit. Quod si mihi verbo uno liceat, quicquid in sanctissima Anna admiramur, complecti, fuit ipsa cæterorum omnium, quæ vereri illo ævo laudem aliquam promeruerunt, matronarum compendium, & virtutum omnium quoddam sacrarium. Vnde quemadmodum Helenam suam formaturus Zeuxis pulcherrimas quinque ex toto Agrigentinarum choro puellas selegit, quarum singularem & admirandam venustatem sua in imagine exprimeret; ita magnus ille rerum Arbiter Deus Sanctissimas omnes antiqui ævi matronas, ut Annam unam numeris omnibus absolutam produceret, sibi proposuit, & omnia earum ornamenta, omnem morum gravitatem, omnem virtutum dignitatem in hanc unam transtulisse videtur. Quis nescit in Anna Samuelis matre patientem modestiam, & modestam patientiam fuisse? At in Anna patrona nostra modestiæ laus cum patientiæ laude certavit. Quis non extollit in Anna Tobiæ matre plenissimam tenerrimo affectu benignitatem? At in Anna nostra omnem amorem benignitas sibi conciliavit. Quis non deprædicat Annam Phanuelis filiam, cuius singularis animi Sanctitas natum Deum intueri & amplecti meruit? At hæc Anna nostra ea fuit animi sanctitate, ut Dei matrem genuerit, & Deum natum, nepotulum suum summo ac incredibili amore sæpius amplexata fuerit. Opponite mihi si placet Saræ sinceritatem & amorem, vincet Anna nostra, qua nihil unquam

Compar. cum aliis matronis.

Illustratio per simile.

Vincit alias matronas Anna.

Subiectio. Repetitio.

quam mansuetius fuit. Producite Rebeccæ mansuetudinem; vincet iterum Anna nostra, qua nihil unquam mansuetius est visum. Date quamcunque vultis in aliis quibuscunque virtutem, illam in hac Anna nostra designabo, & cum singulas in singulas ostenderitis, in hac una simul omnes commonstrabo. Patisne religionem? erat Annæ religiosissima, & ad DEVM per religionem ita tendebat, ut in Deo fixa videretur. Patisne sapientiam? Erat Anna sapientissima, & omnes vitæ suæ rationes ita per sapientiam ordinabat, ut Dea potius quam mulier in terris crederetur. Datisne humanitatem? Erat anna humanissima, & per humilitatem ita omnibus placebat, ut cum ea jucundissima vita putaretur. Quanquam quanta, obsecro, illa esse debuit, quæ singularibus, & prope divinis expressa olim figuris prisci aut mortalibus innotuit? Fuit ipsa radix illa Iessea, ex qua virga, virgo nimirum Deipara, est egressa, & è virga flos Christus ascendit. Fuit terra illa sancta, quam Moyses contingere nisi solutis pedum calceamentis non poterat, ex qua rubus ille mediis in flammis incombustus Deipara virgo pullulavit. Fuit cœlum illud ex quo electa ut sol processit, & in quo pulchra ut luna apparuit. Atque ut figurarum istarum tenebras amoveamus, fuit ipsa, quæ non umbratilem aliquam & ligneam, sed veram DEI arcam Dei matrem novem mensibus non tecto, sed utero castissimo conclusit. Vnde si gloriari jure potest Obededon, quod quoniam sua in domo Dei arcam receperat, divina quadam benedictione rerum omnium prosperitatem ac felicitatem est consecutus, qui non tandem cœlestium charissimatum imbres divinitus è cœlo missi in Sanctissimam Annam redundaverunt? quæ non plena perfectaque felicitas, non dico Dominum ejus, quanquam domum etiam, sed ani-

Laus à virtutibus religione.

Sapientia.

Humanitate

Figura qua illam repræsentarunt.

animum eius, ac totam ipsam occupavit? Glorietur Hecuba, quod Hectorem fortissimum Heroem filium habuerit; Glorietur Olympias, quod Alexandrum nomine neque magnum & orbis domitorem in lucem produxerit; maior tamen est Annæ laus & maior gloria, quod ex eius utero cæli terræque regina, Dei ac hominis Genitrix communem hanc auram aspexerit. Quæ profecto si fuit nardus quædam pretiosissima, nardi huius pixis Anna extitit: si fuit præstantissima quædam Margarita, Margaritæ huius concha Anna extitit; si fuit pulcherrimus flos quidam floris huius ramus Anna extitit; si fuit gemma quædam fulgentissima, gemmæ huius annulus Anna extitit. Ita quamcunque gloriam filiæ attribuamus, in gloriæ societatem mater venit; quicunq; matris est honor, hunc à filia mater potissimum desumit. Quanta vero ea Annæ gloria est, quod Dei matris magistra fuit? quod illi cum lacte modestiam propinarit? quod illius mores suo in sinu formaverit? quod eius actionibus ac desideriis sua in domo modum præscripserit? Quæ beneficia cum à matre Anna. Diva illa Dei Genitrix acceperit, non potuit non matri omnem gratiam, omnem excellentiam, omnem virtutum abundantiam impetrare. Sed quoniam cum hæc dico, nihil dicendum relinquo, & omnem, quæ quidem esse potest gloriam attingo, tuum est, ô Sanctissima Anna, patrona nostra debitum tibi & exhibitum hodie promptæ pietatis cultum gratum habere. Hanc autem, quam ad pedes tuos humillimæ orationis corollam depono, pietatis nostræ pignus libenter admitte, Vovemus & de dicamus, DIXI.

Laus à filia per comparationem.

Filiæ laus in matrem derivatur.

Laus quod Maria magistra fuit.

Peroratio per apostrophen.

* *

PANEGYRICVS

Illustrissimo Domino

VALENTINO ALEXANDRO de Husiatyn Kalinowski, Generali totius Podoliæ, Camenecensi, Latyczouiensi, Beaclauiensi & Capitaneo.

Scriptus

Ab ALEXANDRO KRZYWIECKI Nobili Polono.

Exordium à difficultate argumenti & Oratoris perturbatione.

QVam arduum sit, aut de re loqui, aut de te scribere, Illustrissime Domine, (te enim quem non video, præsentem sentio) vehementissimis & diversissimis agitatus perturbationibus prorsus experior. Etenim, dum mentem excito, ut te, qua potest cogitatione tantum, quantum es, complectatur, inardescit ipsa, & desiderio protinus ferventissimo elata non satis habet tuam gloriam admirari, nisi etiam deprædicare conetur; at vero cum eloqui nondum satis robustæ facundiæ subsidio, aut chartæ calami officio consignare laudes aliquas tuas tentet, concidit omnino, & quod aggredi amor vellet, formido detrectat. Nimirum ita comparatum est, ut excelsos Heroas laudare omnes velint, nemo possit; quod eorum virtus communes Naturæ vias supergressa Gloriam nullo ore humano prædicandam, solisque Æternitatis insignibus decorandam sibi pararit. Quid igi-

Ratio difficultatis.

Dubitatio Oratoris.

igitur inter hos amoris & formidinis fluctibus agam? imo vero quid agam dum volo, & non possum? dum admiror & deterreor? dum detrecto & idem conor? Imitiabor debitores illos, qui cum inopiæ angustiis pressi solvendo non sunt, obligatos sese tamen, & solvendi voluntatem ostendunt Si enim Gloriam illam tuam, ILLVSTRISSIME DOMINE, quam in publico Poloniæ & Europæ fere totius theatro Virtus tua applaudente fama reportat, pro dignitate eloqui, & stylo consignare non possum, amoris & desiderii vehementissimi signum famulantis obsequii conatu declarabo. Qua in re, nec ab instituto moreque pictorum recedam, qui cum ingentes & innumeras heroici alicuius animi dotes exprimere & subiicere oculis in tabula non possunt, arte singulari, & coloribus ea corporis lineamenta trahunt, ex quibus animi magnitudine facilis est coniectura. Permitte igitur, Illustriss. Domine, ut te huius Orationis meæ Argumentum constituam, itaque complectar, ut bello inprimis clarum, tum pace inclytum proponam. Non exprimam, (fateor ingenue) tuam illam mentem Æternitatis Candidatam, aut Virtutem, ducam tamen ea lineamenta obsequiosæ facundiæ coloribus, ut ex iis facilem de te Coniecturam relinquam. Debitum est hoc meæ erga Illustrissimam Dominationem tuam observantiæ, quod ut mente submissa libenter persoluo, ita gratam futuram Humanitati tuæ solutionem confido. Faue, ILLVSTRISSIME DOMINE, de te dicere conanti, & ancillantem Clientis tui Eloquentiam, etsi rudem & incultam, pro tua benignitate, dignare aspectu.

Resolutio consilii per similitudinem.

Propositio per apostrophen.

Conciliatio.

Qui alienæ gloriæ numerosis titulis, & florentis prosapiæ splendore exornare quempiam contendunt, cumulatas maiorum laudes, & vetustam familiæ nobilitatem ob antiqua prisci ævi me-

Confirmatio.

Laus à maioribus per præteritionē. memoria in lucem reducunt, Ego vero, ILLVSTRISSIME DOMINE, Te, non tuos Maiores, tuam Virtutem, non tuam Familiam; Decus tuum, non tuum genus; tuis, inquam, te Virtutibus, non alienis plumis & floribus exornandum suscepi. Non commemorentur proinde Maiores illi tui, quorum Virtutem silentio veneror, Famam posteritas colit & admiratur: non res illorum bello paceque inclytæ ab hoc demisso eloquentiæ officio laudem mutuentur, quæ in Æternitatis theatro Gloriam sempiternam invaserunt: lateat quicquid est Generis tui, à quo etsi in te magni nominis splendor detinetur, tuo tamen, non alieno fulgore splendere concupiscis. *Præteritio Pueritiæ & nobilitatis.* Neque etiam tua illa incunabula, in quibus infans vagiisti, aut terram, in quâ puer reptasti, adulantium more Poetarum, prædicabo. Nasci Nobilem & Illustrem fortunæ est, bene viuere, & gloriam mereri, Virtutis: tua vero laus tota Virtutis est, nec quicquam in ea sibi Fortuna vendicat, quam semper vero Honori velificatus animo generoso contempsisti. Neque tamen est, quin Gloriosam illam Poloniam nostram exclamem, quæ te protulit; Felicem, quæ te Virum gremio complexa magnum habet decus suum & propugnatorem. Sed ut ad Te ipsum propius accedam, & maturescentis ævi crescentes laudes attingam, equidem, quem ad magna natum patria benignissimo sinu exceperat, adolescentem, ac primo robore iam ætatis spatia superantem Indolem aliquamdiu, dum iterum Virtuti campus. In quo excurrat, aperitur, continuit. *Laus ab adolescentia & iuventute.* Non tunc otium magnis & heroicis Mentibus ignotum masculam indolem suo situ torpere fecit; non animi robur languida voluptas emollit; non virilem iam ante annos fortitudinem molles blanditiæ fregerunt; sed exercitio militari tuis victoriis præ- *Repetitio. Similiter desinens.*

lude-

ludebas, & inter æquales magno ausu futuros aliquando tuos triumphos mensurabas. Tandem tamen, tandem è patria excessistis, & ludicrum excutiens iuvenilibus pedibus pulverem, hostiles terras calcare magna bellicæ gloriæ cupiditate desideravisti. Vnum erat animi verè Martialis votum hyemes agere sub pellibus, æstates inter bella sudare, dies noctesque præliando aut vigilando consumere, gravissimas pugnas quacunque terra subire. Igitur in Moldaviam abivisti, non ut militiæ rudimenta tolerares, sed virtutis tuæ documenta dares; nec tam ut miles esses, quam ut imperares; siquidem uni militum cohorti præfectus jam tum magno Samoscio, belli, & totius Poloniæ exercitus Imperatori junctus, quantum ab egregia & illustri Indole sperandum esset, ostendisti. Ita è ludo ad bellum maximum; è pueritiæ disciplina ad hostes acerrimos transivisti Glorietur Africanus, quod sub Paulo Patre militaris disciplinæ rudimenta didicerit: jactet se non inferiori indole Hannibal, quod penè puer in tentoria Hispania succefferit; Laudetur Alexander nondum magnus, quod Philippæa castra futurarum spe certissima Virtutum impleverit: quos omnes etsi amplificatrix veri Vetustas plurimis & æternis laudibus dotare soleat, non plus tamen blandita præstat, quam ut eos maximorum Regum & fortissimorum Imperatorum castra sequutos fuisse manifestet. Tu vero ita ad castra venisti, & gloriosissimi Zamoscii laudem es æmulatus, ut ipse te admiraretur, milites omnes laudarent, hostes reformidarent. Si loqui ipse magnus imperator posset, & ab illo suo immortalitatis sepulchro vocem edere, tuam Virtutem sæculis omnibus faventis vocis suffragio commendaret. Si iterum præsto esset Milites illi, uno ore tua initia maximorum Imperatorum incrementa fuisse

Exercitia adolescentiæ.

Comparatio cum generosis adolescentibus.

Testimonium Zamoscii.

atte-

eft,Provincias fuas arcibus & urbibus decoraviſſe ut tot idē ipſi quaſi erectis ad ſempiternam memoriam monumentis apud poſteros laudentur.

Tranſitio. Sed quoniam minor eſt laus iſta, quam ut à tua Maieſtate quæratur, ad maiorem curſum dignitatis flectamus. Humaniſſimum te & benigniſſimum omnes admirantur, ſed eundem belliſoſiſſimum & invictiſſimum hoſtes reformidant.

Laus à fortitudine bellica. Admiremur ergo te etiam in ſago, & armis, & ubique tuam prudentiam ſuſpiciamus. Nihil eſt Reipublicæ alicui perniciofius, quam inteſtinis ſeditionibus agitari: peſtes illæ ſunt in viſceribus Regnorum, & earum contagio in interitum ſerpit, omnemque Legum & Regum authoritatem evertit

Exorta ſeditio. Fœlix Polonia noſtra hac in fœlicitate carere non potuit, & extitit tempus illud, quo Nobilitas noſtra ſeſe opprimi, Rempublicamque iam in perniciem vergere proclamaret. Ad arma ire placebat, arma ſumebantur, quo fato, quo conſilio, quo iudicio, vixerat, qui ſciret: & qui iam arma volebant, armis ſe ac continuis bellis gravari, vectigalibusque nimiis onerari proteſtabantur. Ita nunquam mali cauſa deeſt, qua fingi ſemper poteſt. Nec deerant tanti mali Principes, qui ut authoritate Senatoria pollebant, ita magno nomine authoritatem ſeditioni addebant. Sic invidia plerumque magna ingenia propellit, ut raro quieta eſſe poſſint; ſic arrogantia inquietos animos turbat, ut ſuam fœlicitatem non agnoſcant: malintque turbata Rep. turbari, quam tranquilla quieſcere. Sed permanebat tamen in officio & amore Nobilitatis pars maior, ut deſeruiſſe Regem cum culpa nunquam videretur, quem ſequi ſemper eſt glorioſum.

Contentio. Quanquam quid in hac Reipubl. tempeſtate, SIGISMVNDE REX, egiſti? Rebellabant ipſi, tu pacato animo revocabas; detrectabant imperium, tu alliciebas; obiiciebant arma, tu gratiam proponebas.

Nec

Nec vinci illi tua humanitate volebant, nec armis vincere poterunt. Restabat ut tu Rex, arma sumeres, sumpsisti, opposuisti, victi illi sunt, & ad officium redierunt; ut cum tuam humanitatem contempsissent, vim tuam & justissimam iram vereri discerent. O victoriam plane singularem, sed in qua plus Clementiæ video, quam vindictæ: plus humanitatis, quam effusi sanguinis. Dicam audacter SIGISMVNDE REX, nihil agere potes, quin clementer agas; & cum Iustitia non raro à te vindictam poscat, semper tamen Benignitas gratiam extorquet. Victi illi erant, & pauci Marte adverso ceciderant, qui tamen victi erant, tuam Clementiam vicerunt, qui Maiestatem non potuerant. Offensam omnibus benignissime condonasti; & ne quid iracundiæ residere in animo tuo quisquam suspicaretur publicis in Comitiis regni totius Græcorum Romanorumque more omnem injuriam, adeoque omnem injuriarum ac discordiarum memoriam amnystia sempiterna nimirum oblivione delendam clementissime statuisti. I Fama, dic SIGISMVNDVM. Regem armis invictum esse, & plus tamen Clementia, quam armis posse. Protecto nemo unquam illum exhorruit, qui non exhorrendo amaverit; tam suavitez horror (etsi potenter) in animos delabitur, ut in amorem desinat. Vulnera regni non acri medicina, sed mulcendo tantum sanat. Venio ad alia, si vim respicias, majora: si prudentiam tuam æque admiranda. Naturæ concesserat Magnus ille Moschorum Imperator Odo, & in defuncti principatum surrogati Demetrius Carevvicz, quod è stirpe ac sanguine Magnorum Moschoviæ Ducum esset, volebat. Deerant opes, deerat vis, qua negata plerumque imperia occupantur. Igitur tuam opem & tua arma Implorat, etiam impetrat. Tua namq; authoritate, Illustrissimus Sendomiriensis Pala-

Exclamatio.

Laus iterum à clementia.

Occasio belli Moschovitici

magnitudine potentiaque certet. Equidem iterum perfidi a Moſchorum vim amorum urſit, ſed iterum perfidiam illam tua arma oppreſſerunt. Campus erat nimirum, in quo tuis auſpiciis filii tui Principis Vladislai virtus excurreret, & paternæ Gloriæ, ſuæque ſurgenti famæ, trophæa erigeret. Erexit cum Smolenſcum egregie tutatus propugnauit. Erexit cum Moſchouiæ metropolim unde innumeros antea theſauros Poloni extulerant, ſingulari Illuſtriſſimi Stanislai Zolkievvsky Ducis exercituum & Magni Poloniæ Cancellarii virtute occupauit. Erexit cum eo Moſchouitas adegit, Vt Maximum opulentiſſimumque Seueriæ Ducatum iure quodam hæreditario Poloniæ noſtræ adſcriberent, ac tot ipſi arces tot propugnacula ultro, velut in fœderis ac pacis pretium perpetuo donarent. Tantum eius potuit una virtus, tantum prudentia armis fulta, tantum auguſta Indoles inimicis horrorem incutiens, amicis amorem propinans. Sed nimirum tua hic virtus illuſtriſſime Zolkievvsky adlaborabat, cum belli noſtri fulmen hoſtium immanitatem perſtringens, cum ad Principis Vladislai obedientiam cogeres, cum ipſe iuramentum & fidem eorum pro Principe exciperes tanquam ſpes altera regni. Enimuero ſingula perſequi nec opus huius eſtmeæ, nec dictionis quaqua verſus Polonia reſpicit in tuarum laudum monumenta incidit. Vix Regni noſtri diademate coronatus eras, & celeberrimis Tartarorum incurſionibus vexabamur, compeſcuiſti: imminebat toti Poloniæ Turcarum Imperator, pacauiſti: Dux Moſchorum exſpirante iniri cum Stephano Rege fœderis tempore inſultabat, per tuos belli Duces fregiſti, & ad æquas pacis conditiones perduxiſti. Hæc hiſtoriarum monumenta & Annales loquuntur, hæc in temporum memoria ſunt, & ſæcula Poſterorum impellent, ut tuæ lau-

Laus Principis Vladislai à fortitudine bellica.

Tranſitio.

Alia fortitudinis ſigna.

laudis prædicatio nunquam intermoriatur. Neque eorum hic opus est memoriam excitare, quæ tuo imperio & auspiciis Zamovsky in Liuonia, in Valachia, aliis in locis per multis summa sua cum laude gessit, cum Carolum Sueciæ invasorem repressit, profligavit, Livonia eiecit: cum in Valachia Tartarorum Ducem ita cecidit, ut cladis nuntius non superfuerit, in huius Gloriæ societatem alii veniunt, & cum fortuna aliorum manus dirigeret, à te Gloriæ suæ incrementum sumpserunt. Illa vero illa æterno Nomini tuo ad scripta Gloria est, nullis inter moritura sæculis, quod cum Natura iure sanguinis, Leges iure hæreditatis tuæ Maiestati Suecorum Regnum offerrent, cumq; manere apud eos aliquamdiu potuisses, nunquam tamen ibi manendum tibi esse statueris. Vbi Genti non bene cum Deo conveniret, & quæ hæreseos erroribus implicata veritatis Catholicæ lumen ingrata respueret. Ambiant alii Regna se totos & animum mutent, ut regnent, Deo & Religioni nuntium mittant, ut subditis imperent: SIGISMVNDVS exemplo Iouiniani Imperatoris nisi Christianis imperare non cupit: imo SIGISMVNDVS exemplo Vladislai I. Poloniæ Regis, qui Bohemis hæreticis imperare rogatus recusauit, suo imperio ac ditione frænare hæreticos recusat. Ita nimirum non se Regem tantum sed Christianum Regem ostendit, cuius est in terris omni authoritate & potentia æternæ Maiestatis cultum promovere, virtutum exemplis lucere, inimicos & hostes Christiani Nominis, quantum potest, odio persequi armisque profligare. Et sane tuum hunc animum & Christianam vere voluntatem SIGISMVNDE REX, etiam nostra tempora, quibus hodie vivimus, loquuntur & laudant. Vident amplissimum Regni tui Senatum tanta Virtute ac Religione septum esse, ut hæreticis patere aditus ad illum faci-

Commendatio amoris fidei Catholicæ

facile non possit. Vident in eum finem tua negotia omnia ordinari ut Catholica ubique Religio cum splendore subsistat aut post liminio revertatur. Vident & sentiunt etiam, quanta Ferdinando II. Imperatori auxilia præstes, ut in Bohemia vicinisque provinciis ab hostium injuriis Christiana Romanaque Religio vendicetur. Quæ omnia si statuissem, imo si possem so totum describere, eloquentiæ penicillo subiicere oculis conater: Sed tamen nondum hominum memoriam effugerunt, quæ in omnium adhuc oculis sunt. In eo supersedeat oratio, ut te eum esse Regem fateamur, quem inter perfectissimos nostra ætas numerare potest. Neque hæc blandientis assentationis vox est, sed tuæ virtutis meritum, & vitæ splendore obtenta veræ laudis prædicatio. Novisti enim in magna fortuna nihil tectum, nihil occultum esse, ideoque talem te domi facis, qualem foris exhibes, ut nihil sit fictum in vultu, nihil in oculis fallax. Neq; quod multi, simulatam virtutem amas, sed veram: & quod in te magnificentissimum est, ab omni non modo vitiorum, sed quod vitii insuper cujusque speciem habeat contagione te reprimis ac revocas, ut non tantum cæteris imperio præstes, sed etiam virtutum ornamento; & cum sis primus, idem quoque sis optimus. Ex quo efficitur, ut te propter potestatem & Maiestatem tui subditi venerentur, ament vero propter virtutem. Et certe non pronum est dicere, utrum ames, an ameris amplius; utrinque maximus est ardor; patere tamen ut cum ardentissime ameris, ardentius nihilominus tuos amare te dicam. Vincere te amore non possumus, à te amore & beneficio vincimur. Atque hoc est omne punctum tulisse, & supremam laudem invasisse, cum suis amore certare & vincere; cum omnibus gloria contendere, & omnes post se longo intervallo relin- *Peroratio.*

quere. Talis cum sis, SIGISMVNDE REX, superest, ut Reipubl. nostræ gratuler, quæ te Regem nacta, omnium Nationum invidiam mereri potest. Gratulor vero ex animo, & eo libentius, quod tantæ fœlicitatis communione fœlix quoque mihi videar. Atque inde est animus mihi, ut quem Regem laudavi, obsequio demereri possim. Si quidem nihil iucundius in vita esse potest, quam pro eo vivere, quem tuæ vitæ Principem agnoscis iusto imperio, & honore virtutis. Reliquum sane est: etsi beneficio vincamur à te, & tua gloria lætemur, ut tali ac tanto Rege dignos nos subditos Regis ipsius exemplo præstemus.

VOTVM

Pro

SIGISMUNDO III. POLONIÆ, SUECIÆ, GOTHIÆ, VANDALIÆQUE. Rege Potentissimo.

INclyte Rex, Magni Stirps Maxima Iagellonis,
Et veterum Decus Heroum, quos inserit Astris,
Et Patulum latè decantat Fama per Orbem
Æternis celsos meritis, & Laude potentes.
O me si niveo scandentem Sydera curru,
Qua virtus meritos tenet immortalis honores,
Penna ferat! Si me superantem culmina Pindi.

Im-

Impleat haud unquam morituri carminis ausu
Musarum Præses! Non te, non fortia bello
Facta, vel excelsos canerem virtutis honores,
Phœbeos namque ista modos, Musaq; labores
Exsuperant, iamq; æternis subvecta triumphis
Attonito pulsant superi Capitolia cæli
Cælicolum cætu: nectunt tibi serta cohortes
Æthereæ, Divinumq; favor respondet ovanti
Iam pro Te mundo, Lausq; unosspargitur ore
Cælicolum Hominumq; simul, Me cura fatigat
Altior ut nostro vivas longævus in orbe
Delitium humani generis, nostraq; voluptas
Sarmatiæ, Decus & Laus & Lex una Polonis,
Præsidiumq; tuis. Vigeat sub iure Tribunal
Hic præclustre tuo, tua celsior insonet Astris
Iustitia, & facilis vincat Clementia mentes.
Augustaq; favor Dextræ, dum militat omnis
Pro Te Rege polus, dum Te tuaq; inclyta bella
Tartarus & Moscus formidatusq; propinquus
Turca timet. Felixq; tuum prudentia Regnum
Efficit, ô Superi date iam, date vota, vovemus
Longa SIGISMVNDVS moderetur sæcula Monarcha
Vivat, & humanos excelsa mente labores
Vincat, & æternos intret post fata triumphos.

F I N I S.

REMIGII LVCÆ TONGRENSIS ORATIO.

In Laudem D. ANNÆ, Collegii Porcensis Patronæ.

Exordium à fabula poetica.

PHaeton, ille Solis Filius, ut ingeniosissimi Poetæ fabulantur, Ornatissimi & Humanissimi AVDITORES, cum ad sui Patris regiam olim accessisset, & in radiantem multiplici splendore vultum ejus conjicere oculos voluisset, protinus constituit purpureaque veste, quod divinum ejus ferre lumen non posset, faciem suam contexit, donec

—— Genitor circum caput omne micantes
Deposuit radios, propiusq; accedere jussit.

Applicatio.

Idem vero evenire mihi hodie animadverto. Nam dum accedere ad Diuæ Annæ laudationem, quam ex Rhetorum officio suscepi, contendo, animumq; & stylum erumpentem admoveo subducto quasi animo hærere cogor, quod & nimia claritas oculos perstringat, & argumenti magnitudo animum percellat. Tu igitur Sanctissima Patrona nostra, ne caligantibus tantum oculis te hodie aspiciam, depone parum permicantes illas æternitatis tuæ radios, & propius me, tuos, ad pedes laudationis huius corollam depositurum, accedere permitte. Non ignoro mortalis nequaquam ingenii esse divinam virtutum tuarum magnitudinem attingere, atque idcirco, quod verecundæ dictionis est, earum tantummodo flores aliquos delibabo. Vos vero, Ornatissimi & Humanissimi AVDITORES, si, ut opinor,

Invocatio per apostrophen.

Conciliatio auditorum.

tan-

tantarum virtutum fragrantia excitati admovere ad eas animum desideratis, dum oratione præcedo, sequimini me fauore. Pietatis est Divorum laudes promptoge stientique animo audire, humanitatis, dicentibus benigne fauere.

Sæculorum omnium memoriam dum ab ipsis mundi incunabulis animo complector, & ad prisci æui ætates cogitatione recurro videor mihi hominum tum viventium animi sensus intueri, & sermones audire. Cogitabant illi, & mœsto apud se animo revoluebant. Itane spe longa semper atteremur? duro iugo semper fatigabimur? libertatem anxii semper exspectabimus? Si nasciturus est aliquando nobis Seruator, quænam illum digno utero mater producet? Si futura est eius aliqua mater, quænam illam paritura mulier invenietur? An esse Dei mater aliqua potest, quæ Dea non sit? an vero Deam gignere mulierulla potest, quæ conditionem humanam excedens non ipsa sit Dea? Quanquam inveniet ipse sibi matrem Deus, quæ si Dea non sit, proximæ tamen ad divinitatem accedet; inveniet sibi auiam Deus, quæ etsi futura mulier sit, naturæ tamen dignitate, & conditionis excellentia mulieres omnes longe superabit. Ita illi cogitabant, ita dicebant. Et sane invenit tandem aliquando & præparauit auiam sibi Divina Maiestas; invenit Annam quæ incredibili sanctitate circumdata DEI matrem, cœli terraque reginam stupentibus terris omnibus generaret. Quemadmodum autem, ut ille Theologorum Phœnix Aquinas ait, ita in Genetricem suam infinitos, cœlestium gratiarum thesauros effundit, ita omnem bonitatis suæ oceanum in illam derivavit, ita sapientiam suam, providentiam, omnipotentiam circa illam pene exhausit, ut meliorem formare, digniorem præstantioremq; producere ne dicam excogitare non posset; sic in auia sibi

Confirmatio, Prosopopæia, Obliqua.

Vt perfectissima mater, ita auia perfecta.

reprimit, non levitate effertur, ſed conſtantiam ſeipſam ſiſtit, non in hæc terrena obſtipo capite & animo, ſed in illa cæleſtia & æterna bona conſurgit. Talis cum eſſet ſui apud omnes deſiderium relinquebat, ſui in omnium animis amorem imprimebat, ſuæ vitæ exemplum apud omnes proponebat. Talis, inquam, cum eſſet, primam reparandæ ſalutis ſpem mortalibus omnibus apportavit. Quod ſi mihi verbo uno liceat, quicquid in ſanctiſſima Anna admiramur, complecti, fuit ipſa cæterorum omnium, quæ vereri illo ævo laudem aliquam promeruerunt, matronarum compendium, & virtutum omnium quoddam ſacrarium. Vnde quemadmodum Helenam ſuam formaturus Zeuxis pulcherrimas quinque ex toto Agrigentinarum choro puellas ſelegit, quarum ſingularem & admirandam venuſtatem ſua in imagine exprimeret; ita magnus ille rerum Arbiter Deus Sanctiſſimas omnes antiqui ævi matronas, ut Annam unam numeris omnibus abſolutam produceret, ſibi propoſuit, & omnia earum ornamenta, omnem morum gravitatem, omnem virtutum dignitatem in hanc unam tranſtuliſſe videtur. Quis neſcit in Anna Samuelis matre patientem modeſtiam, & modeſtam patientiam fuiſſe? At in Anna patrona noſtra modeſtiæ laus cum patientiæ laude certavit. Quis non extollit in Anna Tobiæ matre pleniſſimam tenerrimo affectu benignitatem? At in Anna noſtra omnem amorem benignitas ſibi conciliavit. Quis non deprædicat Annam Phanuelis filiam, cuius ſingularis animi Sanctitas natum Deum intueri & amplecti meruit? At hæc Anna noſtra ea fuit animi ſanctitate, ut Dei matrem genuerit, & Deum natum, nepotulum ſuum ſummo ac incredibili amore ſæpius amplexata fuerit. Opponite mihi ſi placet Saræ ſinceritatem & amorem, vincet Anna noſtra, qua nihil unquam

Compar. cum aliis matronis.

Illuſtratio per ſimile.

Vincit alias matronas Anna.

Subiectio. Repetitio.

quam mansuetius fuit. Producite Rebeccæ mansuetudinem; vincet iterum Anna nostra, qua nihil unquam mansuetius est visum. Date quamcunque vultis in aliis quibuscunque virtutem, illam in hac Anna nostra designabo, & cum singulas in singulas ostenderitis, in hac una simul omnes commonstrabo. Patisne religionem? erat Annæ religiosissima, & ad DEVM per religionem ita tendebat, ut in Deo fixa videretur. Patisne sapientiam? Erat Anna sapientissima, & omnes vitæ suæ rationes ita per sapientiam ordinabat, ut Dea potius quam mulier in terris crederetur. Datisne humanitatem? Erat anna humanissima, & per humilitatem ita omnibus placebat, ut cum ea jucundissima vita putaretur. Quanquam quanta, obsecro, illa esse debuit, quæ singularibus, & prope divinis expressa olim figuris prisci aut mortalibus innotuit? Fuit ipsa radix illa Iessea, ex qua virga, virgo nimirum Deipara, est egressa, & è virga flos Christus ascendit. Fuit terra illa sancta, quam Moyses contingere nisi solutis pedum calceamentis non poterat, ex qua rubus ille mediis in flammis incombustus Deipara virgo pullulavit. Fuit cœlum illud ex quo electa ut sol processit, & in quo pulchra ut luna apparuit. Atque ut figurarum istarum tenebras amoveamus, fuit ipsa, quæ non umbratilem aliquam & ligneam, sed veram DEI arcam Dei matrem novem mensibus non tecto, sed utero castissimo conclusit. Vnde si gloriari jure potest Obededon, quod quoniam sua in domo Dei arcam receperat, divina quadam benedictione rerum omnium prosperitatem ac felicitatem est consecutus, qui non tandem cœlestium charissimatum imbres divinitus è cœlo missi in Sanctissimam Annam redundaverunt? quæ non plena perfectaque felicitas, non dico Dominum ejus, quanquam domum etiam, sed ani-

Laus à virtutibus religione.

Sapientia.

Humanitate.

Figura qua illam repræsentarunt.

animum eius,ac totam ipsam occupavit? Glorietur Hecuba, quod Hectorem fortissimum Heroem filium habuerit; Glorietur Olympias, quod Alexandrum nomine neque magnum & orbis domitorem in lucem produxerit; maior tamen est Annæ laus & maior gloria, quod ex eius utero cæli terræque regina, Dei ac hominis Genitrix communem hanc auram aspexerit. Quæ profecto si fuit nardus quædam pretiosissima, nardi huius pixis Anna extitit: si fuit præstantissima quædam Margarita, Margaritæ huius concha Anna extitit; si fuit pulcherrimus flos quidam floris huius ramus Anna extitit; si fuit gemma quædam fulgentissima,gemmæ huius annulus Anna extitit. Ita quamcunque gloriam filiæ attribuamus,in gloriæ societatem mater venit; quicunq; matris est honor, hunc à filia mater potissimum desumit. Quanta vero ea Annæ gloria est, quod Dei matris magistra fuit? quod illi cum lacte modestiam propinarit? quod illius mores suo in sinu formaverit? quod eius actionibus ac desideriis sua in domo modum præscripserit? Quæ beneficia cum à matre Anna, Diva illa Dei Genitrix acceperit,non potuit non matri omnem gratiam,omnem excellentiam,omnem virtutum abundantiam impetrare. Sed quoniam cum hæc dico, nihil dicendum relinquo, & omnem,quæ quidem esse potest gloriam attingo,tuum est, ô Sanctissima Anna patrona nostra debitum tibi & exhibitum hodie promptæ pietatis cultum gratum habere. Hanc autem, quam ad pedes tuos humillimæ orationis corollam depono, pietatis nostræ pignus libenter admitte, Vovemus & dedicamus, DIXI.

Laus à filia per comparationem.

Filiæ laus in matrem derivatur.

Laus quod Mariæ magistra fuit.

Peroratio per apostrophen.

* * *

PANEGYRICVS

Illustrissimo Domino

VALENTINO ALEXANDRO deHusiatynKalinowski, Generali totius Podoliæ, Camenecensi, Latyczouiensi, Beaclauiensi & Capitaneo.

Scriptus

Ab ALEXANDRO KRZYWIECHI Nobili Polono.

Exordium à difficultate argumenti & Oratoris perturbatione.

QVam arduum sit, aut de re loqui, aut de te scribere, Illustrissime Domine, (te enim quem non video, præsentem sentio) vehementissimis & diversissimis agitatus perturbationibus prorsus experior. Etenim, dum mentem excito, ut te, qua potest cogitatione tantum, quantum es, complectatur, inardescit ipsa, & desiderio protinus ferventissimo elata non satis habet tuam gloriam admirari, nisi etiam deprædicare conetur; at vero cum eloqui nondum satis robustæ facundiæ subsidio, aut chartæ calami officio consignare laudes aliquas

Ratio difficultatis.

tuas tentet, concidit omnino, & quod aggredi amor vellet, formido detrectat. Nimirum ita comparatum est, ut excelsos Heroas laudare omnes velint, nemo possit; quod eorum virtus com-

Dubitatio Oratoris.

munes Naturæ vias supergressa Gloriam nullo ore humano prædicandam, solisque Æternitatis insignibus decorandam sibi compararit. Quid igi-

igitur inter hos amoris & formidinis fluctibus agam? imo vero quid agam dum volo, & non possum? dum admiror & deterreor? dum detrecto & idem conor? Imitiabor debitores illos, qui cum inopiæ angustiis pressi solvendo non sunt, obligatos sese tamen, & solvendi voluntatem ostendunt. Si enim Gloriam illam tuam, ILLVSTRISSIME DOMINE, quam in publico Poloniæ & Europæ fere totius theatro Virtus tua applaudente fama reportat, pro dignitate eloqui, & stylo consignare non possum, amoris & desiderii vehementissimi signum famulantis obsequii conatu declarabo. Qua in re, nec ab instituto moreque pictorum recedam, qui cum ingentes & innumeras heroici alicuius animi dotes exprimere & subiicere oculis in tabula non possunt, arte singulari, & coloribus ea corporis lineamenta trahunt, ex quibus animi magnitudine facilis est coniectura. Permitte igitur, Illustriss. Domine, ut te huius Orationis meæ Argumentum constituam, itaque complectar, ut bello inprimis clarum, tum pace inclytum proponam. Non exprimam, (fateor ingenue) tuam illam mentem Æternitatis Candidatam, aut Virtutem, ducam tamen ea lineamenta obsequiosæ facundiæ coloribus, ut ex iis facilem de te Coniecturam relinquam. Debitum est hoc meæ erga Illustrissimam Dominationem tuam observantiæ, quod ut mente submissa libenter persoluo, ita gratam futuram Humanitati tuæ solutionem confido. Faue, ILLVSTRISSIME DOMINE, de te dicere conanti, & ancillantem Clientis tui Eloquentiam, etsi rudem & incultam, pro tua benignitate, dignare aspectu.

Resolutio consilii per similitudinē.

Propositio per apostrophen.

Conciliatio.

Qui alienæ gloriæ numerosis titulis, & florentis prosapiæ splendore exornare quempiam contendunt, cumulatas maiorum laudes, & vetustam familiæ nobilitatem ob antiqua prisci ævi me-

Confirmatio.

Laus à maioribus per præteritionē. memoria in lucem reducunt; Ego vero, ILLVSTRISSIME DOMINE, Te, non tuos Maiores, tuam Virtutem, non tuam Familiam; Decus tuum, non tuum genus; tuis, inquam, te Virtutibus, non alienis plumis & floribus exornandum suscepi. Non commemorentur proinde Maiores illi tui, quorum Virtutem silentio veneror; Famam posteritas colit & admiratur: non res illorum bello paceque inclytæ ab hoc demisso eloquentiæ officio laudem mutuentur, quæ in Æternitatis theatro Gloriam sempiternam invaserunt: *Præteritio Pueritiæ & nobilitatis.* lateat quicquid est Generis tui, à quo etsi in te magni nominis splendor detinetur, tuo tamen, non alieno fulgore splendere concupiscis. Neque etiam tua illa incunabula, in quibus infans vagiisti, aut terram, in qua puer reptasti, adulantium more Poetarum, prædicabo. Nasci Nobilem & Illustrem fortunæ est, bene viuere, & gloriam mereri, Virtutis: tua vero laus tota Virtutis est, nec quicquam in ea sibi Fortuna vendicat, quam semper vero Honori velificatus animo generoso contempsisti. Neque tamen est, quin Gloriosam illam Poloniam nostram exclamem, quæ te protulit; Felicem, quæ te Virum gremio complexa magnum habet decus suum & propugnatorem. Sed ut ad *Laus ab adolescentia & inventute.* Te ipsum propius accedam, & maturescentis ævi crescentes laudes attingam, equidem, quem ad magna natum patria benignissimo sinu exceperat, adolescentem, ac primo robore iam ætatis spatia superantem Indolem aliquamdiu, dum iterum Virtuti campus. In quo excurrat, aperitur, continuit. *Repetitio. Similiter desinens.* Non tunc otium magnis & heroicis Mentibus ignotum masculam indolem suo situ torpere fecit; non animi robur languida voluptas emollit; non virilem iam ante annos fortitudinem molles blanditiæ fregerunt; sed exercitio militari tuis victoriis præludе-

ludebas, & inter æquales magno ausu futuros aliquando tuos triumphos mensurabas. Tandem tamen, tandem è patria excessistis, & ludicrum excutiens iuvenilibus pedibus pulverem, hostiles terras calcare magna bellicæ gloriæ cupiditate desideravisti. Vnum erat animi vere Martialis votum hyemes agere sub pellibus, æstates inter bella sudare, dies noctesque præliando aut vigilando consumere, gravissimas pugnas quacunque terra subire. Igitur in Moldaviam abivisti, non ut militiæ rudimenta tolerares, sed virtutis tuæ documenta dares; nec tam ut miles esses, quam ut imperares; siquidem uni militum cohorti præfectus jam tum magno Samoscio, belli, & totius Poloniæ exercitus Imperatori junctus, quantum ab egregia & illustri Indole sperandum esset, ostendisti. Ita è ludo ad bellum maximum; è pueritiæ disciplina ad hostes acerrimos transivisti Glorietur Africanus, quod sub Paulo Patre militaris disciplinæ rudimenta didicerit: jactet se non inferiori indole Hannibal, quod pene puer in tentoria Hispania successerit; Laudetur Alexander nondum magnus, quod Philippæa castra futurarum spe certissima Virtutum impleverit: quos omnes etsi amplificatrix veri Vetustas plurimis & æternis laudibus dotare soleat, non plus tamen blandita præstat, quam ut eos maximorum Regum & fortissimorum Imperatorum castra sequutos fuisse manifestet. Tu vero ita ad castra venisti, & gloriosissimi Zamoscii laudem es æmulatus, ut ipse te admiraretur, milites omnes laudarent, hostes reformidarent. Si loqui ipse magnus imperator posset, & ab illo suo immortalitatis sepulchro vocem edere, tuam Virtutem sæculis omnibus faventis vocis suffragio commendaret. Si iterum præsto esset Milites illi, uno ore tua initia maximorum Imperatorum incrementa fuisse atte-

Exercitia adolescentiæ.

Comparatio cum generosis adolescentibus.

Testimonium Zamoscii.

Hostium. attestarentur: Si viverent, imo si non inviderent hostes, (quanquam invideant) si fateri verum vellent, in te adhuc pene adolescente suum terrorem fuisse faterentur. Fateretur ille vere terribilis Turcarum Dux Michael; qui cum Polonici exercitus insidias & insultus audaci ac fastuoso furore aspernaretur, tum militaris dexteræ tuæ vim, & inclytæ mentis virtutem non admiratus est tantum, sed etiam in agro Thelez uno non exigua clade accepta sensit. Fateretur idem iterum, qui cum Polonorum alii in Patriam rediissent, alii in Livoniam secessissent, tum cum Porocio magni illius Imperatoris Legato remansisses, copias suas insigni fortitudinis exemplo à te in HARDZICIS campis fugatas fusasque vidit, & indoluit. Nimirum gaudet heroica virtus perpetuo quodam motu, & jugi agitatione æternæ famæ gloriam ambit; quicquid nos laborem & defatigationem appellamus, tua natura est, quæ, ut cœlum indefessa vertigene rotatur, ut maria æstibus suis inquieta sunt, ut stare sol ille diei Pater non potest, ita continuatis pugnis, tanquam negotiis orbe quodam in se redeuntibus, ad Victoriam, hoc est, ad Gloriæ currum properabat. Reversus in patriam eras factis admirandus, gloria plenus, omnium admiratione magnus, an hic otium ut cessaret, quietem ut reficeretur, tua virtus invenit? Sane nunquam generosæ virtuti deest hostis, quem invadat; nunquam Mens Illustris occasione caret, qua gloriam partam augeat. Vix aderas cum ecce Kantimirus Mursa fortissimus, & potentissimus Scytharum ductor, qui iam Polonorum omnium bona ac fortunas spe ipsa & aviditate devorabat. Poloniam maximo cum exercitu ingressus longe lateque in omnium animos sui terrorem diffudit. Quid ageret Patria universa, & cuius manum imploraret? Omnes in te oculos coniiciebant, omnes per te dispellendum

Ducis Turcarum.

Similitudines conglobatæ.

dum hoc ab omnibus periculum aiebant; omnes in te suam salutem collocatam esse affirmabant. Obviam eum exercitu nostro iuisti hosti ferocissimo, copiis eius innumeris tuarum adventu, ac nominis Polonici rumore, territis moram iniecisti, mox ad manus & arma procedendo speraram ab illo gloriam, summam in ignominiam tua ac cæterorum virtute convertisti, quique Polonorum sanguine satiatus, & ingentibus onustus spoliis redire cogitabat, per vos in agro Hudycio cæsus maxima suorum accepta clade recessit. O quid non virtus animosa potest? Vocabat afflicta Patria fortissimum adversus hostes Imperatorem, venisti; aderant in Patria potentissimis instructi copiis hostes, vidisti; manus conserere, & arma armis opponere ausi sunt, vicisti. Ita Patriæ succurrere velle, pietatis; hostes aggredi audere, fortitudinis, pugnando victorem evadere, æternæ gloriæ est. Neque tamen substitit hic Virtus tua: & non una aut altera contenta Lauro multiplicem sibi sempiternæ gloriæ coronam contexuit. Quot hostes fuerunt, tot victoriæ quot pugnæ, tot triumphi. Quanta illa victoria fuit cum aliquando tuo tantum satellite cinctus innumeræ Tartarorum irrumpentium multitudini occurristi, impetum sustinuisti, fregisti? Testis est Vkrainensis provinciæ civitas; (quam Buki appellant) quæ gloriosissimis vestigiis tuis pressa, æternis victoriæ tuæ monumentis & trophæis ornata virtutis tuæ subsidio ab hostibus liberata, te suum patrem ac servatorem appellat, tibi suorum fortunas, incolumitatem ac salutem, deniq; se totam debere profitetur. At non tunc Horatii Coclitis gloriam superavisti? Ille cum instantes hostes submovere solus nō posset, ponte reciso sese in amnē deiecit: tu presso vestigio aut mori aut vincere voluisti. An nō Themistoclis & Leonidæ famā æquavisti? Illi parua manu hostem

Exclamatio.

Articulus.

Comparatio cum fortissimis.

Contentio.

hostem ingentem summa gloria represserunt; tu vix quadringentis adiutus militibus, qui comitari te solent, hostes multitudine innumerabiles, natura & immanitate barbaros, præter tuam & omnium spem maximo impetu irrumpentes tui inprimis lateris & corporis oppositu tum tuorum tua voce animatorum egregia virtute repressisti, repressos profligasti, profligatos tibi æternæ gloriæ monumentum erexisti. Tot enim tunc cæsa barbarorum hostium corpora eo prælio iacuerunt, ut ex iis erecti postmodum aggeres luculentissimum tuæ virtutis testimonium universæ Patriæ dederint. Invideat sane tibi prisca illa Vetustas, iam non dico veterum gloriam æquavisti, nimis parum est, superavisti, qui tot millibus pene unus satis fuisti; qui ex ipsis hostium corporibus gloriosissimum de hostibus trophæum erexisti. I Fama peruade terras, & esse hunc Heroem, qui quocunque se vertat, victoriam inveniat, deprædica. Non numero militum pugnat, sed virtute, & plus virtus potest, quam militum turba. Non ambitiosus Gloriam quærit, aut temerarius Fortunam sollicitat; ultro tamen sese Gloria offert, & Fortuna favet. Non pro se, sed pro Rege venalem morte vitam circumfert, & potius quam iuratam illi Fidem violet, sanguinem ac vitam effundere generosissimus ac fidelissimus exoptat. Quid dico, exoptat? Reticere egregiæ ac constantis virtutis tuæ laudem, ILLVSTRISSIME DOMINE, piaculum est. Te ipsum appello, nunquid tumultuantibus cæteris adversus Regem Nobilibus, usque adeo mentem integram & inviolatam Fidem servavisti, ut stans prima in acie cum ictum gravissimum accepisses, & hianti vulnere, tuo sanguine ubertim defluente, mox animam efflaturus omnium opinione putareris? O Nobilis & generosa anima, quæ evolare è corporis domicilio

Gradatio.

Digressiuncula ad laudem.

Laus ex periculo & vulnere.

Exclamatio.

cilio parata, modo non fidei violatæ rea; quæ non mortem illam esse reputabat, etsi sanguine suo purpurata deficeret, sed triumphalem honoris currum, quia pro Regis sui salute occumbere contingebat. Equidem iam satis Gloriæ vixeras, sed Regi, Patriæ, tuis nondum satis: Tua Gloria te iam immortalitati consecraverat, sed tuæ patriæ, universi Poloniæ regni utilitas pluribus in occasionibus tuam virtutem requirebat. Itaque fato servatus, & Gloriam augere debuisti, & merita; ut cum summum Gloriæ fastigium sua Virtus attigisset, tuis meritis omnium utilitatem, plurimorum salutem, Regis tui amantissimi honorem complecteretis. Et sane nec occasio defuit, nec hostis; quin imo quemadmodum olim Herculi renascentia Hydræ capita nihil aliud, quam succrescentes laudibus laudes erant; ita occurrentes tibi quotidie labores & pugnæ præclarissimarum semina laudum extiterunt. Viceras ante fulmen illud belli Turcici Michaelem; successit Kantimirus, ut cum tibi Turcæ herbam proiecissent, palmam Scythæ concederent: hunc ubi singulari fortitudine dispulisti, quasi alius ex eius strage hostis renascere-tur, Schangyreus Tartarorum fortissimus ductor nec audacia nec exercitu minore exsurrexit. Sed nimirum qui velut monstrum quoddam ac portentum salutem omnium & libertatem opprimere contendebat, te Herculem invenit. Irruerat ille in Poloniæ regnum; tibi Polonicum exercitum Rex invictissimus Sigismundus commendarat; ille rapta iam ingenti præda nobiles viros quamplurimos, matronas honestissimas ac puellas in miserrimam servitutem abducebat; tu illi occurrens captivos omnes à servitute liberavisti, plurimos ex eius copiis in servitutem pertraxisti, non paucos magna strage in exitium mortemque depressisti, prædam omnem è manibus ac

Desiderata eius vita.

Similitudo.

Cumulatæ victoria.

Contentio.

Comparatio ac faucibus eripuisti. Ita tua Virtus, tanquam altera Herculis claua, omnia contundit, prosternit, conterit. Extollatur Scytharum illa, qua plurimum in oppugnando valent, celeritas; at tua velocior Virtus est, quæ vincendo Scytharum celeritatem superavit. Atque ut eo gloriosior esset virtus tua, quæ non assentationibus, sed meritis Gloriam quæsivit, ipsius hostis non vi extorta, sed sponte facta confessione laudata est. Victus enim fugatus, ac spoliatus à te Schangyreus, eum esse te Ducem dixit (audi Posteritas) in quo omnes boni Ducis virtutes reperirentur. Credetne tamen hoc olim ventura Posteritas? Imo vero gloriosam omnibus de te fidem præstabit, & nostro demum sæculo atque in te annuet factum esse, quod tantis infra supraque temporibus vix *Contentio.* invenerit æmulum, vix habuerit exemplum. Multi victos à se hostes laudaverunt, ut alienam de victorum hostium virtutem extollendo suam gloriam augerent; tu ab hoste à te victo laudatus es, ut tuæ Gloriæ nihil fauor alienus tribuere videretur. Adulari me tibi hac laudatione suspi- *Excusatio. Oratorib.* caretur non nemo fortasse, sed adulationis suspicione iam me hostis liberavit. Adulari certe illi laudando possumus, quem hostis laudavit; atque ego dum splendorem tuarum laudum propono, nihil adiicio; vereor ne ingenii culpa, & orationis incultæ ruditate detraham. Etiamnum silentio susceptum hoc tuæ Gloriæ præconium libenter obsignarem, quod oneri par esse non possim, sed hanc voluntatem intra debiti officii conscientiam coercere non possum Illumne tacerem egregium tuum erga Regem ac Patriam animum *Amor erga Regem.* quem, cum de *Moschovitica* expeditione ageretur, ostendisti? Agebatur Regis honor; Regi te ultro obtulisti: agebatur Patriæ utilitas & Gloria, Patriæ obsequio te sponte consecravisti: opus erat militibus; septingentos à te conscriptos, & splen-

ſplendidiſſime ornatos Regis honori & Patriæ utilitati devoviſti: requirebantur impenſæ; tuo ſumptu milites tuos aluiſti, & longiſſimo tempore conſtantiſſimos detinuiſti. Ita teipſum non æſtimas niſi tuus non ſis, ſed Regis & Patriæ: ita te vivere non arbitraris, niſi ad Reipubl. obſequium tuum corpus tot iam antea exanthlatis belli difficultatibus mutilatum; par tamen adhuc laboribus, & ad perferendas durioris fortunæ moleſtias prodigo quodam amoris affectu impendas; ita poſſidere nullas opes concupiſcis, niſi quas pro Regis ac Reipubl. ſalute cum vita ipſa offeras, & cum opus eſt, profundas. Vis uno me verbo laudes tuas complecti? Vivis Regi & Reipub. Sed ita vivis, ut pro Rege ac Reipub. vitam deponere ſis paratus Et Honoribus & facultatibus multum potes, ſed ita potes, ut iis exuere te libenter velis modo Regis honor & patriæ utilitas augeatur. Permitte ILLVSTRISSIME DOMINE, ut Reſpublicæ noſtræ verbis tecum agam hoc loco, quæ in ſumma Gloria tua, in ſummo ſplendore ſuo, tali aliqua te profecto, ſed quam omnes audiunt, voce compellat. Multum hactenus, mi, KALINOVI, tua virtute de me meritus es, dum me nec conſumi pateris, nec decreſcere. Quod te produxerim, lætor, quod per te ſæpe ſim ſeruata, mihi congratulor. Iactet Roma Decios ſuos, qui ſe ſemel pro ipſa devouerunt; ego te mi KALINOVI, iacto, qui te pro me iam toties devoviſti. Extollat illa Camillum ſuum, cuius virtute Senonum imperium deſperata propemodum ſalute effugit, ego te, mi KALINOVI, extollo, cuius ſingulari fortitudine toties Turcarum furorem, toties Tartarorum inſanos impetus effugi. Amet illa ſuum illum Cunctatorem Fabium, & qui vinci Hannibalem poſſe docuit, Marcellum, quæ illius clypeo protecta ſeipſum ab hoſtium devaſtatione ſervavit, huius indu-

Contentio.

Proſopopaia.

Comparatio per contentionem.

ſtria ac robore amiſſam antea Italiam magna ex parte recuperaverit;ego te amo, mi KALINOVI, cuius virtute propugnata multoties infenſiſſimorum Scytharum rabiem evaſi, cuius pugnis adiuta victoriisque ornata, multa paſſim erepta mihi recuperavi. Quid dicam quod adverſus ferociſſimos illos Tartaros, & aſſiduos hoſtes noſtros mihi murus ſis, & propugnaculum? Quid dicam, quod nullus mihi exoriri metus poſſit, quem non tollas? nulla calamitas impendere, ad quam amovendam non ſtatimſummo fere ſemper cum vitæ diſcrimine,non raro cū magna tuorum bonorum attenuatione procurras? Diffiteri beneficium acceptum non volo, cuius obligationem non ingrata libenter agnoſco, gratiam referre parata concupiſco. Sed tuis erga me meritis poni modus non poteſt Non ſatis tibi fuit toties pro me in hoſtes meos pugnaviſſe, & Patriam tuā protexiſſe, niſi etiam Pietatis tuæ monumentis me exornares;ut cum te fortem laudarem, pium amarem; cum à bellicoſa manu tua multa beneficia acciperem, à tua cæleſti mente Pacis ornamenta reportarem. Ita profecto, mi KALINOVI, hactenus vixiſti & hodie, vivis, ut cum totus ſis meus, totam me tuam tuis meritis effeceris Has ILLVSTRISSIME DOMINE, Reipu. noſtræ ad Te voces ut libenter audio, ita iiſdem admoneor, ut qui te hactenus bello Clarum conſideravi, deinceps Pace inclytum deſignem. Dederit tibi Mars ſagum,quo triumphas;certe etiam Pallas Togam impoſuit, qua fulges. Ab armis igitur, & bellorum ſtrepitu, ad pacis ornamenta orationem deflectamus. Quanquam quid ab armis diſcedere conor, quæ deponere nunquam potes? quid ad Pacem hoſtium trahere te contendo, qui mediis in armis pro Patria ſemper excubas, & numquam ceſſantes hoſtium Tartarorum incurſiones repellis? Sed tamen ita militari illa virtute tua de Patria

Laus alia à fortitudine.

Tranſitio.

Alia Tranſ.

bene

Bene mereri quotidie non cessas, ut Religionem simul quantum in te est, magno Reip. bono augeas & exornes. Ecce illa Pietas tua, digna cœlo Pietas orationi sese præsentat, quam profectò clarissimis indiciis tum omnes agnoverunt, quando singulari Religionis amore, ut in Camenecensem districtum Societ. IESV Religiosissimi Patres advocarentur, atque ibi populum omnem erudirent, cum paucis auctor existitisti. Sed adiunxit se tantæ Pietati eximia prorsus munificentia, qua liberalissimo animo Religiosis illis Patribus Collegium erectum magnifica dote auxisti, ut te sane non immerito fundatorem suum & optimum Mæcenatem possint ac debeant appellare. Dedisti tu illis Religionis iis in partibus clavem, quam cum eius Povinciæ gubernationem suscepisti, tua in tutela ac patrocinio esse voluisti. Stare hic ad pedem figere tua Pietas, & ardentissimus Religionis Zelus non potuit, cumque Patrum Societatis industria, labore Religionis & Pietatis incrementa in dies maiora animadverteres, eosdem Vinniciam, quæ totius Vkrainæ commune territorium est, consentientibus bonis omnibus advocasti. Quid hic dicam, aut quam parem tantæ Pietati laudem adscribam? Te appello Camenecum: in te antea Religio iacebat, iam floret; debeo hoc, inquis, KALINOVIO: in te antea rudis & inculta Iuventus mores tantum agrestes præferebat, iam doctrinis exculta moribusque polita humanissimos animos ostentat; acceptum hoc, inquis refero KALINOVIO: antea propter Tartarorum vicinitatem pessimorum errorum contagionem pertimescebas, iam singulari Patrum istorum eruditione confirmata ita Religioni adhærescis, ut ab ea removeri nunquam reformides, & hoc quoque inquis, mihi præstitit eximia pietate singularique cura KALINOVIVS. O egregium

Laus à pietate.

Item à liberalitate.

Apostrophe.

Exclamatio. gium meritum? Sed te etiam, hic, Vinnicia, compello. Tu in ipsis Tartarorum finibus (quid dico finibus?) tu in ipsis Tartarorum faucibus es sita; hoc sane quanquam miserum, sit tamen parum: *Contentio.* ante schismate nefandissimo perniciosissimoque plena, Iudaismo detestando polluta, erroribus innumeris aliis infecta exitium ac pernitiem anhelabas; hoc vero miserrimum. Sed ô felicem mutationem! jam in te homines ad humanitatem & civilem rationem formati ad pietatem *Effectus pietatis in omnes.* instituuntur; jam Catholicam Religionem, cum paucissimi antea ac pene nulli Catholici reperirentur, summa alacritate, & ferventissimo pietatis ardore amplexantur; jam Deus, vix de nomine tibi antea cognit⁹, publico & celeberrimo in te cultu adoratur; jam fidei sacratissimæ Doctrina, tanquã sol quidam fulgentissimus, tota provincia suos radios exerit & clarissimam ubique lucem magno cum Pietatis ardore diffundit; jam Delubra surgunt insigni structura, Aræ fumant multa religione urbes reformantur nova eruditione, tota Provincia gestit sancta exultatione. At hoc, inquis, tantum tamq; divinum beneficium, quod de Cœlo demissum agnosco, KALINOVIVS mihi sua pietate, suo ardentissimo pro Religione Zelo, suo humanissimo in me amore; procuravit. Macte ista pietate tua, ILLVSTRISSIME DOMINE, in ista dignitate tua atque officio pium appellari, summæ tandem laudis est. Atque hanc laudem tuam, *In Patres Franciscanos,* quamdiu vivere respirareque concessum erit, gratissimo animo fovebunt & ore lætissimo deprædicabunt Religiosissimi Patres Ordinis S. Francisci (quos Minores appellamus) quibus in hæreditaria ditione tua Husyatin summa cura sumptuque liberalissimo Cœnobium erexisti, erectum ornavi- *Gradatio.* sti, ornatum singulari amore complecteris & foves. Ita nimirum cessare aut deesse tua Pietas non potest,

rest, ubi Dei honor, Religionis cultus, Populi salus accipere incrementum potest, ac statim Pietati munificentia sese adiungit ut omnino te satis pium esse non putes, nisi munificus quoque, & magnificus existas. Macte iterum ista tua pietate magnifica, & pia Magnificentia. Profecto vere Pius, & vere Magnificus est, qui auctor pietatis cultu, exornataque Religione Dei Divorumq; honorem promovet. Quid nunc dicam de Iustitia(ô pulchra Pietatis comes!) quam ita exerces, ut per te Æquitas vigeat, Iniquitas exulet, Tranquillitas regnet? Testis est Vinnicia, quæ iustissimo illi tribunali, in quo olim sedebas, suam se debere tranquillitatem affirmat. Testis est Camenecum, cuius quies tua æquitate, quam adhuc hodie in illo tuo Iustitiæ solo moderaris, parta est Testis est Latyczouia, quæ quia te Iudicem habet, non tranquilla tantum respirat, sed etiam summa in Libertate quietem suam admiratur. Ignosce vero, ILLVSTRISSIME DOMINE, si imparem stylum tuæ magnitudini submittam: quod si ex ungue Leo, si ex pollice Gygas, si ex umbra corpus cognosci potest, forte aliquam tui umbram adumbravi. Non ista dixi consilia, non illos labores quos pro libertate tuenda, quam sibi multo sanguine hæreditariam Poloni fecerunt, & cuius semper retinendæ nunquam non Auctor & princeps extitisti, exanthlas. Non eorum omnium memini negotiorum, quæ pro incolumitate commissarum tibi regionum, pro publico Regni totius bono quotidie agitas, & ad exitum felicissimum perducis. Admiror hæc libenter, eloqui non possum. Illam vero tam piam ac tam sollicitam educandorum liberorum tuorum curam quis non admiretur? quis non eloquatur? Habet Rex, quod ex iis speret; habet Respubl. quod in iis confidat, habet Religio, quo se in iis reficiat. Tui sunt,

Epiphonema.

Laus à Iustitia.

Peroratio

Prateritio cum excusatione.

Laus à filiis.

ſunt, ſed quia ita vis, Regi, Religioni, Reipubl. nati. Tui ſunt, nec tam quod ex te nati, quam quod tuis veſtigiis inſiſtunt. Quorum indolem, & generoſum ad omnia animum ſi quis intueatur, videbit; *Quid mens rite, quid indoles nutrita fauſtis ſub penetralibus poſſit.* Videbit, inquam *Fortes, creari fortibus & bonis*, veriſſimumque eſſe dicet, quod *nec imbellem feroces: Progenerent aquilæ columbam.* Illa indoles à te eſt, ILLVSTRISSIME DOMINE, *Doctrina ſed vim promovet inſitam, Rectique cultus pectora roborant*: adeo dum iuſſu tuo in exteris Regionibus Sapientiæ ac Prudentiæ comparandæ labores ſuos conſecrant, fœliciter quam à te acceperunt generoſam Indolem, ut aliquando Regi ac Patriæ proſint, exornant. Ille tuus ADAMVS, verum omnino, ſed quod adhuc formatur, tui ipſius ſimulachrum. Ille tuus GEORGIVS, cuius animus ad omnem prudentiam factus neſcio quid non iam Patriæ promittit. Ille tuus MARTINVS, quem cum videas, omnia ſumma ſperes. In illis profecto etiam ubi morti (dent ſero Fata) conceſſeris, ter adhuc renaſceris, & tot Patriæ ac Regi animi tui obſides relinques. Fœlix Reſpublica noſtra, quæ illos accipiet, fœlicior quæ te iam habet; & licet tuis tot ac tantis meritis nondum ſatisfecerit, meminit tamen, pollicetur tamen, ſatisfaciet tandem, quæ multis tibi ſimiles quotidie cives exoptat. Cuius voto ut faveam, ILLVSTRISSIME DOMINE, faxit Deus Ter. Opt. Max. ut tecum ac per te diu fælices annemus & perennemus.

DIXI.

FINIS.

RHE-

RHETORUM COLLEGII PORCENSIS INCLYTÆ ACADEMIÆ LOVANIENSIS, Orationum

PARS II.

CONTINENS ORATIONES Generis Deliberativi.



COLONIÆ,
Apud JODOCUM KALCOVEN,
ANNO M. DC. XLVIII.

CONSVLTATIO,

Ad quorum ſimilitudinem ſit ſtylus Oratoris conformandus.

DEDICATA
Ampliſſimo & Clariſſimo Viro,
ERYCIO PUTEANO, Sereniſs.
PRINCIP. BELGII Conſiliario,
& Publico Litterarum Profeſſori LOVANII.

ORATIO I.

CAROLI de MARESCHAL, NAMURCENSIS.

Qui rei ſummam ad difficultatem proponens, cæterorum ſententias exquirit.

Exordium à neceſſitate ſtyli.

NOn eſt obſcurum, non dico inter eos, qui ſcientiarum Antiſtites fugienti tempori velut manus iniiciendo, ſuam ætatem in poſterorum annos fœlici quodam ingenii partu diffuderunt; ſed inter eos etiam, quorum animos memoria poſteritatis, & candidatus gloriæ

Probatio ab authoritate.

feruor jam primum ad Apollinis aras & Muſarum delubra trahit, quanta ſit ſtyli neceſſitas, & elegantis utilitas ſcriptionis. Etenim, ſi Craſſi vo-

si vocem, quæ gravitatem oraculi sub platano Ciceronis accepit audiamus, *Stylus est optimus ac præstantissimus dicendi effector ac magister*: si famam virtutis præconem consulamus, ac in eam sempiternæ gloriæ recordationem, in qua hodie propemodum innumeri vivunt Authores, animum excitemus, fatebimur omnino, nullum esse sermonem, nullam orationem, nullam prorsus doctrinæ genus, quod à stylo non accipiat commendationem. Ita quorum in scriptis styli maiestas elucescit, amplissimo gloriæ fructu in immortalitate recreantur: quorum vero styli facies ita languet destituta colore, ut expallescat, eorum scripta quoque perpetuo in situ jacent invisa atque despecta. Ita non satis est assidua lectione & auscultatione longa pulcherrimarum rerum, ac sapientiæ ipsius supellectilem comparuisse; non satis est, latissimos Rhetoricæ vampos Philosophorum fontibus irrigavisse: sed scriptionis ad ornatæ illuminatio, stylique maiestas nitorem adferre, dignitatem conciliare debet. Etenim quid præclaras Apellis aut Antiphili formas iuvat inspexisse, si penicillo manus instructa nullam imaginem valeat adumbrare? quid iuvat auri massas circumferre, si nullam in eo formam manus artificis elaborarit? Sic omnino styli necessitas est per magna, & utilis prorsus amplectenda.

A publico testimonio & commendatione.

Sola scientia sine elegantia styli parum prodest.

A simili.

Enim vero cum in tanta tot excellentissimorum Authorum multitudine tanta quoque styli diversitas reperiatur, ut eruditionis propemodum, ac multo minus sermonis affinitas nulla cognoscatur; quis Oratori stylum aliquem præscribet, & præcellentis alicuius similitudine formam eius orationi inducet? Ita sunt nonnulli, qui quadam ingenii ac sermonis ubertate flumina quædam orationis profundunt, & dum sibi

Accedit ad præsentem Consultationem.

Varia styli formam Authorib.

videntur opulenti, aliis redundant. Quidam sermonis avaritia duci videntur, & dum verborum affluentiam oderunt, Laconicis limitibus sermonem includunt, tantaque brevitate utuntur, ut absolverint citius, quam potuerint audiri. Sunt alii, qui indignantes pene se nostra ætate natos, qua lingua proavorum exolevit, Actium, Lucilium, Plautum, aliosque veteris ævi Patres è sepulchris excitant, cumq; iis duriores sermonis dapes, quam mella cum MARCO TVLLIO gustare malunt; itaque loquuntur, ut ab ævo Saturni venire, & à Carmenta Evandri matre videantur edocti. Sunt denique non pauci, quibus auræ novitas ut est grata, ita gaudent verbis uti novis, qui, ut opinor. *Ingeniorum Græciæ flatibus impelluntur, equique sunt magis ad pompam, quam fortes.* Nihil de illis dico. qui Apuleianum, aut Sidonianum dicendi genus sectantur: nec eos iam adduco, qui varie è Poeticis, Historicis, Oratoriisque vocibus orationem rancidam & antiquatam comminiscuntur. Scio multos esse, qui se solos adorent, & naturæ suæ duntaxat inclinatione librentur: sed alii sunt quoque, qui unum è numero suspiciant, & exosculentur; nec pauci, qui in eadem se mira plurium vestigia premant. Nos vero quid hic dicemus? Gravis est omnino difficultatis huius moles, & quæ Atlantum quorundam humeros requirat. Reformidanda propemodum arena, in qua Paulus Cortesius cum Angelo Politiano conflixit, Bembus cum Francisco Pico decertavit, Iulius Scaliger cum Erasmo Roterodamo digladiatus est: in qua Camerarius, Sambucus, Omphalius, Bartholomæus Riccius, Foxius Morsillus ita sudarunt, ut victoriam reportasse iudicari possint: in qua Fabius Quintilianus non pugnam imperavit, sed pro sua auctoritate jus dixit, illique velut Imperatori non pauci assurgunt.

Præteritio.

Difficultas præsentis consultationis.

Sed

Sed tamen ne magnitudine tantæ rei debilitari, non solum conatum, sed spem imbecilli videamur abiecisse, ingrediamur hanc arenam, EGREGII IVVENES, & ubi tot excelsa ingenia sudarunt, non dubitemus defatigari. Agite ergo, sumite libertatem illam dicendi, qua in hoc Rhetoricæ nostræ exitu specimen ingenii vestri edentes statuatis, an quisquam Oratori, & quis inter tot Authores sit imitandus; ut dum è Rhetorico pulvere viam ingredimur Eloquentiæ, iam in hac via ducem aliquem eligamus. *Adhortatio ad sententias dicendas.*

Tu vero, Clarissime vir, PVTEANE, si has angustias Scholæ nostræ hodierna die non reformidasti, & illa tua præsentia, ac vultus claritate conatus nostros animare voluisti, exhibe nobis favorem illum tuum, quo adiuti, parvulas ingenii nostri vires in tanta tot Authorum contentione exercere audeamus. Sed iam annuis, & ab illo vultu tuo animum sumentes ingredimur arenam. DIXI. *Apostrophe ad Cl V. Puteanum ut faveat.*

ORATIO II.

IACOBI EDELHER LOVANIENSIS.

Qui contendit, in stylo conformando non unum aliquem sed omnes ex æquo bonos authores imitandos esse.

CVm in omni consultatione deliberantium animos veritas, non vulgaris permovere debeat opinio, dabitur hæc mihi venia, *Exordium per excusationem.*

nia, ut dum ad gravissimam quæstæ rei difficultatem ingenii nostri censuram apporto, veritatis impulsus amore, non vulgari permotus opinione mentem meam exponam. Ita sentio, in stylo conformando non unum aliquem, sed omnes ex æquo bonos authores imitandos esse.

Propositio.

Nec in hac arena laborandum multum puto: vos considerate naturam, nunquid ab ea propensionem habet unusquisque, qua ad earum rerum ambitum, ad quas natura sit factus, impellatur? nunquid genium mens uniuscuiusque est sortita, ut instinctum eius non repellat, sed sequatur? Nunquid sua cuique est idea impressa, cuius celeribus motibus ad aliud voluntate feratur, ab alio vero abducatur? Perduellis eris, si naturam frangas ac violes, genioque resistas, itaque non unius certi vestigium premere, sed viam ingredi liberam Natura duce debemus. Audi Fabium, audi Ciceronem; Ad Oratores omnes, ad Historicos, ad Poetas etiam ducunt. Et cur ni ad omnes? Quasi vero benigna naturæ fœcunditas uni omnia, non sua cunctis præclara munera distribuisset. Nihil ipsa (ut cum Tullio dicam) in simplici genere omni ex parte perfectum atque beatum expoliuit, tanquam ceteris non sit habitura quod largiatur. Vnde tametsi Demosthenes, magnus ille & admirabilis totiu Græciæ Orator, palmam omnibus eripuisse iudicaretur, satisfacere tamen non potuit Ciceroni, qui cogitatione ac mente tota ad effingendum illum se referebat. Non potuit naturæ suæ habitum proprium dissimulare? non potuit, quin ab huius magni Magistri vestigiis ad naturæ vocantis cursum deflecteret. Tanta scilicet vis est atque maiestas impressæ animis ideæ, tanta naturæ potestas, ut abreptus ab illa, nequeas reluctari.

Confirmatio. Prima ratio confirmationis ab inclinatione Naturæ.

Ab exemplo & autoritate.

Demosthenes Ciceroni non satisfacit.

Epiphonema.

Animadvertitis quid contendam, non unum aliquem, sed omnes imitandos, sequendamq; naturam

Repetitio propositionis.

turam. Non unum aliquem? Ecquis esset, obsecro, eo donatus felicitate naturæ, ingeniique præclari, qui alteri similis esse per omnia posset, cum nec idem sibi homo similis esse per omnia possit? Ita Plato, ita Aristoteles, ita Peripatetici senserunt. Et tot sunt animorum in homine permotiones, ut idem genus argumenti sicut affirmant, quod quis oratione fuerit complexus, non eadem omnino verborum rerumque dispositione, stylo possit explicare. Videmus idipsum in cera, in quam tametsi signum idem imprimatur, proprium tamen quiddam apparet, ut aliud signum gravius, aliud altius, aliud vero lenius impressum videatur. *Secunda ratio.* *Ab Authoritate.* *A simili.*

Quanquam quid urgeo rationem istam, cum me firmissimæ authoritatis invitet umbra? Tua est, Clarissime Vir, Puteane, authoritas, quæ me ad se trahit, & sententiæ meæ patrocinium offert. Nunquid cum Promulsidis tuæ vina ac mella gustasset magnus ille Litterarum Princeps, & eruditionis oraculum, Iustus Lipsius, ad te rescripsit, stuporem propemodum esse, nos ad unius imitationem vocari quod nemo veterum aut priorum somniavit? Nihil est hoc imitari, si à te nihil inspiras; imo si omnia tua non facis: servire est, mendicare est. Nunquid idem admonuit, ut lacunas illas relinquens, quæ non nisi ab imbre implentur, à se arentes, tu inter vivos ac perennes fontes esses? *Apostrophe.* *A testimonio Iusti Lipsii.*

Audivisti magni magistri vocem, & nunc hodie vivi illi tui fontes, ô quam liquore dulci *Belgicæ iuventutis* animos perfundunt? quam è verbis tuis suave melle *Bona mens* nutritur? sed excitatum contineo affectum, & in illa tuæ authoritatis umbra securus recumbens, repeto mentem meam audacius: Non Vnum unum aliquem, sed plures, imo omnes imitandos Ora- *Conclusio.* *Repetitio Sententiæ.*

tori

tori Scriptores esse indolemque Naturæ sequendam. DIXI.

ORATIO III.
ARNOLDI de BEECK HAGENSIS.

Qui eandem sententiã amplectens, rationibus aliis confirmat illam.

Exordium per approbationem superioris sententiæ.

EGone à te discederem? Egone tuum istud judicium non ambabus ulnis amplecterer? Non ita me respiciat Apollo, & quicunque Bonæ Mentis præses. Si non illam tuæ sententiæ lucem intuear, abeam in tenebras, & qui non amem rationem, somnia dormiendo quæram. Non unum, ais, aliquem imitandum: istud volo. Pluribus insistendum suades: insisto. Naturam sequendam urges hæc mihi Dux una.

Propositio. *Confirmatio.*

Et quanquam tu multa rationis luce mentem tuam aperuisti, faculam tamen eiusdem rationis unam ostendam. Vetus ævum evoluamus, quis authorum in ea turba non te turbet; cum uniuscuiusque suam styli moderationem ac phrasim placere videas? Floridam vinctam, carne & nervis vestitam; jeiunam inflatam, siccam reperias. Fidem petis? ab exemplis hanc cape. Iulius Cæsar vehementi dictionis acumine & concitatione forenses causas impellebat. Petulans Cælius, ardens in accusationibus, sed tamen non inurbanus Calui an Calua fortassis oratio? imo sancta, gravis & expolita. Trachallus sublimis & apertus. Delectationi natus Vibius Crispus. Cornelius Celsus in brevitate celsus. Ita magna ingenio-

Ratio I. ab authoritate antiquorum Oratorum.

Probatio ab exemplis.

Amplificatio per enumerationem.

niorum fuit dissimilitudo? sed ab indole cuiusque dissimilis oratio, sed à propensione. Nunquam ergo intra septa claudemur, ut semitam teneamus, non in campos excurramus? placet famelico incarcerato cibus à custode datus, sed gratior esset nonnunquam ab alio? imo gratissimus, si non in carcere acceptus, sed propemodum ostiatim collectus. *A simili.*

Sed altius iam loquar, si me audiant qui non audiunt. An excitatæ gloriæ quædam incessit cupido? Cave, ne servus fias, & in vestigio duntaxat unius pedem tuum figas. Imitatio authoris unius, infelix est & abiecta servitus; excitandum est ad ingenii libertatem ingenium; sequenda voluntas quo rapit, non cogenda & dum ardent multæ faces, non ab una tæda mendicanda lux est. Dii boni! Conscientiam vel in ore habent, vel in calamo homines illi. Mira est ubique religio: nefas est verbum loqui, quod non dixerit author, quem adorant: capitale est vocem aliquam imprimere chartæ, quam non reperias in chartis authoris. Itaque fit, ut sterilis, manca, inanis, & profusa verborum volubilitas enascatur, quæ gratia, pondere rerum, & audientium careat admiratione. *Ratio II. à turpi.* *Irrisio acerba.*

Iam vero si ipse M. Tullius non unum sibi ad informandum orationis filum proposuit, sed vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis rara ingenii felicitate consecutus fuit, cur huius temporis Orator ad unius se conferret imitationem? *Ratio III. ab exemplo Ciceronis.*

Capite nunc ergo mentem meam Egregii Iuvenes. Ita dico, sequenda naturæ propensio est, & ad varios suo in genere probatos authores conformanda dictio est Oratoris. DIXI. *Conclusio. Repetitio. Sententiæ.*

ORA-

ORATIO IV.
IOANNIS OVDINI
DVGNIENSIS.

Qui unum aliquem; qui præstantissimus sit, imitandum affirmat Oratori.

Exordium per excusationem quod à sententiis dictis recedat. ANimadverto Bene nati Iuvenes, quis opinionum sit vestrarum scopus, à quo si sententia mea recedam, ita rogo, credite, nullius me vel dignitatem violasse, vel debitum cuiquam honorem detraxisse. Etenim fieri potest, ut *Accedit ad refutationē priorum sententiarum.* cum animi mei sensus dissentiant ab opinione vestra, vos præclare nihilominus iudicetis. Sed tamen illud inquiro, cum sui cuiq; sint impressi motus, ut dicitis, quorum vl mens humana rei alicu- *Melius est summum quam infimum oratorem imitari.* ius effingendæ studio potissimum flagrat; & cum pro suo quisque genio certam Styli formam eligere possit, cur Orator non eius sibi potius dictionē, quæ laudatissima est, quam infimi cuiusdam ieiunium, aridum squalidum, sine sanguine, sine carne, *Dementis est omnes imitari velle.* sine neruis stylum proponeret imitandum? Nam si naturam exprimere, quæ in unoquoque est, non possumus perfecte; integrum tamen erit sequi consilium, ac eam prudentiæ voluntatisq; rationem, quæ proficiscitur à natura. Iam vero si unum aliquem propter naturæ diversitatem efformare non valeamus, cuius erit dementiæ tandem, tanta laboris contentione, graui etiam valetudinis periculo authores omnes evoluere conati? Profecto angusti est animi, nulloque consilio præfidentis, cum

cum in aliquo genere præstantissimum consequi possit imitando, illud inertia turpi ac iudicii quadam egestate negligere contemnereque. Vanæ etiam prorsus est, superstitiosæ, & infelicis operæ, cum oratoris perfectissimi dicendo possis repræsentare dictionem, innitos summo labore decoquere scriptores, ut elocutionem duntaxat pares. Quapropter maneat illud iam ostensum, ingenii naturæque vim universam ad illius imitationem convertendam esse, qui optime omniũ in dicendo exempla virtutum expresserit. In quo cum sententiam meam in hac consultatione fixam esse velim, tum illud simul affirmare non reformido, prorsus imitationem unius ac certi authoris Oratori necessariam esse. An non Phidias Minervæ simulacrum adumbraturus, proposita pulchritudinis eximiæ idea, in eaque animi ratione defixus, ad illius similitudinem penicillum & manus dirigebat? An Apelles & Polycletus tam admirabilem venustatis gratiam suis imaginibus aspersissent, omniumq; in se oculos artis ipsius miraculo convertissent, nisi hic Ageladis, ille Pamphili lineamenta & monochromata fuisset secutus? An non Heracleotes ille Zeuxis, ut admirabilem Helenæ pulchritudinem efformaret, Crotoniatas virgines, magna corporis dignitate præditas, sibi proponi iussit? Ita omnis recte agendi ratio, ad propositum sibi præscriptum informatur. Quod ipsum animadvertit princeps orbis, terrarumque victor, populus Romanus, qui præstantissimorum hominum, quibus ætas illi affluebat, res præclare gestas triumphi laude ac statuis erectis ob id maxime illustrauit, ut exemplum iuventus, traducta velut in memoriam illustrium virorum imagine, quod in publicis priuatisque rebus imitaretur, haberet. Scilicet omnis laus actionis, omnis ratio vitæ imitatione continetur. Scilicet alacritatem illa magni-

II. Ratio ab inutili.

Propositio.

Confirmatio. Ratio ab exemplis per similitudinem

Zeuxis.

Populi Romani.

Sententia.

Ratio II à Necessario. gnitudinemque nobis adfert, ut excellentium hominum cogitatione conformati, ad honoris ambitum cupiditatemq; inflammemur. Et vero si in Barbariem ætatis vitio, & quasi abortientis naturæ iniuria deiecti sumus: si duntaxat à mutis libris senescentem Eloquentiæ laudem restituere & vindicare debemus: si quædam recti sermonis inopia & optimorum Rhetorum est egestas, nunquid omnino necessarium est, ut ad præstantissimum aliquem Oratorem refugiamus, cuius ope inopiæ succurramus, & à quo dignitatem ac splendorem recipiat gloriosa illa civitatum gubernatrix, otii socia; pacis æmula, ac bene constitutæ Reipublicæ alumna Eloquentia? Sed memor ero temporis nostri, & rationem indigitasse contentus, supersedeo: vos mentem meam accepistis. DIXI.

Eloquentia descriptio.

Conclusio.

ORATIO V.

LVDOVICI HVSSONII BASTONIENSIS.

Qui præstantissimum Oratorem Oratori imitandum esse, eumq; M. T. Ciceronem contendit.

Exordium à laudatione præcedentis oratoris. PRæclare tu quidem; & iam isti voluntati tuæ meam adiungo. Sed quis præstantissimus Orator, quem imitandum iudicas Oratori? Dubios animos relinquis, aut certe iam illud nomen ita notū arbitraris, ut universi MARCVM TVLLIVM designare sat possint. Ita prorsus sentio, iudicoque Humanissimi IVVENES,

Marcum Tullium, & Præstantissimum Oratorem esse, & Oratoribus omnibus imitandum Dii boni! quem virum aio? quin exclamo cum Silio Poeta: *Propositio. Solum Ciceronem imitandum.*

Regia progenies, & Tullo sanguis ab alto.
Indole pro quanta iuvenis, quantumque daturus. *Confirmatio.*
Ausoniæ populis ventura in sæcula civem?
Ille super Gangem super exauditus & Indos *Ratio est elogium Ciceronii à testimonio Solii.*
Implebit terras voce, & furialia bella
Fulmine compescet linguæ nec deinde relinquet.
Par decus eloquio cuiquam sperare nepotum.

Ille est, (ut Fabius Quintilianus ait) qui dono quodam providentiæ genitus est, in quo totas vires suas Eloquentia experiretur, clarus, suavis, iucundus, gravis: qui divina ingenii felicitate, quicquid in omnibus aliis admirabile, politum, ingeniosum, eximium reperitur, id suis in operibus totum effinxit. Ille est, in quo perfecta prorsus atque absoluta dicendi ratio elucescit: in quovis Demosthenis, copia Platonis, iucunditas Isocratis universa continetur. Subtilis est in probando, temperatus in delectando, vehemens in flectendo: gravis, copiosus, ornatus. *Quintilian. Laus à perfecta Eloquentia.*

Iam vero si miraculum quoddam est Naturæ MARCVS TVLLIVS, in quem Eloquentia vim suam transtulit universam, & qui omnes omnium virtutes est consecutus, ut de seipso testatur in Oratore; cur ad eius similitudinem contentione magna non se conformaret Orator? Desideratne quispiam certo aliquo in genere Orationis excellentiam adipisci? Nullum est dicendi genus aut doctrinæ tam abstrusum, tam reconditū, tam novum, cuius non aliqua sint in ipso vestigia non sane leviter expressa. Thesauri sunt omnino scientiarum eius libri: & ut amplius dicam, nullum inci- *In Cicerone omnis virtus Eloquentiæ.*

incidere thema potest, cuius non exemplum apud summum illum civilium controversiarum disceptatorem prudentissimum reperiatur. Cicero est, de quo loquor: & quantum hoc est nomen? Non

Conclusio. hominis est, sed Eloquentiæ nomen. Sed non ego par eius unquam laudi sum futurus, nisi quoque

Repetitio sententiæ. sim par ipsi: acproinde si recte Quintilianus profecisse satis illum putat, cui Cicero placebit, omnino existimo atque ita sentio, Humanissimi IVVENES, unicum Ciceronem maxime esse imitandum, cuius excellenti cogitatione conformatus unusquisque gloriæ viam ingrediatur, æmulationeque & similitudine excitatus, in laudis theatrum pedem attollat, & in hominum oculis habitare versarique discat. DIXI.

ORATIO VI.
MARTINI BERCKMANS LOVANIENSIS.

Qui solum CICERONEM *imitandum esse negat.*

Exordium à re ipsa seu propositione sententiæ. NON ego diu vocem premam: in luctam quasi vocor: & in quos? in eos scilicet qui Ciceronem non minus humeris suis sustentant, quam cœlum Atlas. Quid est? Si A-

Confirmatio. lexandrum admiror, nihil Hannibal erit? nihil Pyrrhus, nihil Mythridates? si in pulvere Troiano vicit Hectorem Achilles, nihil erat Hector?

Ratio 1. à dignitate aliorum. præclare sane, Magnus est Marcus Tullius. Testor invidiam ipsam testem. Sed solus est imitandus? Repugno, an enim spurius Cæsar? an nothus Quintilianus? an illegitimus Salustius? Nu-

Nunquam Hero bus illis vir dignus indignissimam calumniam inusserit. Educ agedum in lucem Ciceronianos istos, Tullianas istas simias: loquantur in cathedris, disputent in scholis, aut si placet, volumina scribant. Quid dabunt? fucum oculis, & lenocinium ceteris artibus inspergent. Verbo dicam: non pectus implent; sed linguam onerant: quam linguam; à qua dictio pene elinguis, manca, inanis, Pudeat certe ætatem in uno Authore ponere, ac ita vestigium unum premere, ut nullam viam absoluas, nedum saltum unum audeas tentare. Quid sunt homines illi? scire vultis, & ego dicam cum Horatio: Imitatores & nihil aliud quam Imitatores. Laudarem si assequi possent unquam: sed ille ad eloquentiæ fastigium conscendit, & scalam post se traxit.

Ratio II à fuco imitationis Ciceronianæ.

Ab indigno.

Ratio III. quod inimitabilis sit liceo.

Restat ut respiciamus tantum illum. Non ego respicere suadeam, sed scalas alias quærere. Vtinam hic adesset Politianus, vir elegans & eloquens, qui nobis rursum occineret, longe honestiorem Tauri faciem vel Leonis, quam simiæ videri, quæ tamen homini similior est. Idem vir doctus Ciceronianos istos nostros, psittacos, & picas appellaret: Imo peram humeris iniiceret, ut stylum quasi panem frustulatim mendicarent, nec ex die solum viverent, sed & in diem: quorum proinde sermo, male curatus, male pastus, non fermentatus; lingua vacillans, infirma. Superbiunt illi, & ceteros ita contemnunt: Non sapitis Ciceronem. Non licet hic mentiri: sed quid tum? neque enim ipsi sunt Cicerones: seipsos tamen, & hoc satis exprimunt. An sceptrum geret, qui Rex non est? Ridebitur, eiicietur. Concludo cum magno LIPSIO, iterum ad te Claris. Vir PVTEANE, non verba, sed pectus & vim mentis esse, quæ disertos facit Non ergo quisquam Oratores ad Ciceronem solum vocet: hunc si contriverint & concoxerint, ad aliorum cibos appetitum appor-

Compar.

Obiectio.

Conclusio.

Repetita sententia & à simili illustrata.

tent, vires denique suas universas periclitentur. Hoc indubitatum; non bene currere eum, qui pedem in alieno tantum vestigio ponit. Sciendum etiam, infelicis prorsus esse ingenii, nihil à se promere, semper imitari. DIXI.

ORATIO VII.

BALDVINI BOLLEN LEUWENSIS,

Qui asserit, stylum illum Oratoris præstantissimum esse, qui ad stylum Ciceronis propius accesserit.

Exordium ab oratione adversarii.

DIxisti equidem, & adversus MARCVM TVLLIVM, cæterorum Authorum mihi patrocinium suscepisse videris: sed ecce ut nunc tecum agam, in te pugnabo pro Marco Tullio, nec cæterorum tamen authoritatem vel verbo vulnerabo.

Propositio. *Refutatio ad 1. rationem.*

Quid in hanc igitur arenam apportas? Si sequendus Cicero solus, spurii iacebunt cæteri. Non ea est Ciceronis nostri maiestas, ut nullius patiatur in luce dignitatem. Imo vero propter rerum pulcherrimarum cognitionem, propter fœcundam exemplorum ubertatem, devotis animis erunt legendi, atterendi, perdiscendi. Non sunt spurii, sed legitimi quoque naturæ partus. Non sunt inutiles, sed balbutientis quoque linguæ lubricum liberali orationis flexu corrigunt.

Legendi ani, ad comparandam scientiam.

Non omnes pro stylo comparando agendi.

Sed ut studiose legendi sunt omnes, sic tamen non omnes in paranda elocutione sunt imitandi. Quæ enim per Deum immortalem, tanta bonitas naturæ, & studii vehementia, quis tam inoffensus cona-

conatus esse potest, qui exprimere, & imitari posset omnes, cum adæquare nunquam aut vix unum possimus? An non omnes imitamur, cum Ciceronem unum imitamur, qui perfectionẽ omnium in se convertit universam? & ut absurde ridiculum est, cum habeas domi hortum, qui florum omnium, herbarum, fructuum diffluat ubertate, omnia interim regionum loca peragrare, ut inde, quod domi possides, asportes: ita insania propemodum est, frustra in omnib. Authoribus inquirere, quod unius lectione Ciceronis possis adipisci. *Qui Ciceronem legit, omnes legit.* *Similitudo.*

Sed fucum dant, inquis, Ciceroniani & lenocinium ceteris artibus inspergunt. O Marce Tulli, qui disciplinas omnes vel tradidisti vel illustrasti traditas à Græcis, illud audies? Audies equidem, sed non feres; non ferent Alumni tui, qui in publico orbis universi consensu protestantur, nullam omnino scientiam esse, quæ venerationem ab Eloquentia non desumat. Et nunquid Eloquentiæ Cicero parens? possidet ille gloriam, famamque sempiternam perfectione quadam eruditionis rara, nec est tamen inimitabilis, qui se ipsum summa nobis facilitate proposuit imitandum; & quanquam inimitabilis omnino foret, magnæ tamen esse gloriæ debet, gloriam ejus adumbrare & æmulari. Iacent igitur rationes illæ tuæ: & si à me rationem aliam exquiris, fateare necessum est mecum, in omni arte, laude præcipua dignissimum illum esse, qui ad illius magistrum artis propius accedit. Quod cum omnino sit ita, cur in oratoria facultate non lauro dignum triumphali iudicaremus illum, qui triumphantem in orbis luce Ciceronem candidatæ dictionis impetu assequi contendit? Non amplius urgeo, & hac una ratione, quod dixi, convinco. Audiant utinam, qui Oratoris nomen eximium amant, quod si decus inter astra luna refert, quia luce sua, quam participat à Sole, propius ad Solem *Ad II. rationem.* *Exclamatio.* *Ad III. rationem.* *Insultat adversario.* *Confirmatio.* *Ratio à communi iudicio* *Conclusio.*

accedit: ita, qui à Cicerone mutuabitur orationem, quia sese ad eius erigat imitationem, ut in oratione, ita sequetur Ciceronem in honore. DIXI.

Simile.

ORATIO VIII.
DIONYSII van den BERGE THENENSIS.

Qui unum aliquem imitandum, & cum Ciceronem esse declarat.

Exordium ab eventu præter opinionem seu à varietate sententiarũ.

NOn ego contentionem istam expectaveram, Egregii IVVENES, sed omnino fore Putabam, ut animi consensu principem aliquem in eloquentia sequendum esse decerneretis: sed venit in discrimen ...s omnis, ut video, nec eadem omnes subsellia tenuistis, dum aliqui vel neminẽ, vel omnes imitandos esse censuerunt; alii vero Ciceronem unum proponendum Oratori iudicarunt. Quid ego inter has vestras opiniones? Nolite expectare decretum; non dabo: sed dicam tamen aliquid, & illud inprimis approbabo, quod iam aliqui nescio quam efficaci probatione animo meo impresserunt, omnino aliquem Oratori imitandum esse.

Propositio.

Conciliatio cæterorum

Confirmationis prima pars unum esse imitandum.

Non est animus noster cuiusquam animum exacerbare, sed tamen si à quorundam parte recedam, ignoscendum Orationi putent, quia compellor. Omnino Egregii IVVENES certo Authori est insistendum Nunquid Authoris imitatio semina quædam in animo relinquit, quæ per se ipsa postmodum coalescant? nunquid omnis in hac ingenii libertate doctrina ex antecedenti cognitione paratur? Philosophorum est illa veritas, sed est quoque naturæ, quam experientia manifestat

Ratio ab effectu.

Experientia inplantis.

festat in plantis, quæ nunquam sine semine consurgunt. Considerare, si lubet, eos qui sine imitatione sui ingenii præsidi s nituntur, quam nihil roboris & virium in scribendo præ se ferunt? Modo sordidi & inculti, modo splendidi & florentes apparent? & dum ex omnibus aliquid rapere sit nec ssum fit, ut ex toto genere unum in agrum inimicissima inter se semina spargant, sit inquam, ut tam varia ciborum genera crudo prorsus & obruto stomacho male coquant Recte Paulus Cortesius hominum istorum orationem Hebræorum sibi domum videri dixit, in qua pendeant oppignorata diversissimorum hominum bona, quæ si referat unusquisque, vacua maneat domus & inanis.

Qui non imitantur nihil possunt & sibi sunt dissimiles.

Ab authoritate.

Simile.

Sed à sensu populari non recedam. Nunquid illi, qui peregrini sunt expertes sermonis, male possunt sine duce regiones alienas peragrare? Nunquid infantes aniculi non nisi in curriculo, aut nutrice præeunte inambulant? Prorsus est necessum ut ducamur, cum ire non valemus, aut viam ignoramus. Prorsus, dico, necessum est, ut Ciceronis velut manum teneamus, qui ad Eloquentiæ fastigium properamus Quid dico Ciceronis? Vnum dixeram imitandum; elapsum est hoc verbum mihi, sed non est tamen revocandum. Etenim, credite mihi, Egregii IVVENES, ille est Cicero noster, cuius Oratione tanquam lactis nutrimento educati sunt omnes eruditi. Ille est, quem ex omnium doctorum acie Principem omnes abducunt, in quem omnium studia conferuntur. O nutriamur eius melle! inebriemur imo potius eius liquore! Ille est, cuius non simiæ esse debemus, ut deformitates imitemur, sed filii, filii, inquam, qui Ciceronis, & parentis Ciceronis vultum, & incessum, vocem ac formam repræsentemus Amplectantur suum pectus alii solo suo spiritu inflatum: ego certe assecla & simia

Alia ratio à simili.

Simulatio & transitio ad secundam partem.

II Pars confirmationis esse unum Ciceronem imitandum.

Repetitio.

Optatio.

Obiectio, soluta.

Conclusio. Repetitio. Sententia. Ciceronis cum Cortesio esse malim, quam filius, & alumnus aliorum. Videtis quid contendam; si à paucis recedam, consentio cum multis. Ita credamus omnes, gloriosius esse Ciceronem imitari, quam in via multorum aberrare. DIXI.

ORATIO IX.

CAROLI de MARESCHAL NAMURCENSIS,

Qui Clarissimo viro ERYCIO PUTEANO *Quæstionis propositæ Decisionem defert.*

Exordium ab officio. AVdivisti Vir Clarissime, PUTEANE, opiniones nostras in ardua difficultate; vidisti conatus in arena nobili. Quid dicam, aut quid agam? Numerabone partes, & subsellia mutare iubebo? Non est illud muneris mei, cum de nostra Rhetorica capit: non est imo nostrum *Submittit iudicia.* decernere hac in re quicquam, ubi vocem nobis tuam audire concessum. Agedum ergo iudicia nostra tibi submittimus, ut iudices: conatus præsentamus, ut probes: voluntatem ostendimus, ut animes. Tuum est, Vir Magne, quem Belgium *Laudat ab officio& professione.* Eloquentiæ præsidem admiratur & colit Professorem suum & interpretem Magni PRINCIPES honorant, Magistrum Iuventutis auscultat: tuum est, inquam, authoritate tua difficultatem hanc nostram aperire, & in hac conatus egregii contentione, in hac de Eloquentia ac styli disputatione ius dicere, ponereq; nobis legem.

Exclamatio & Votum. O fortunata Rhetorica nostra! ô nos potius fortunati Rhetores, si in hac iam nobis umbra detur publicam illam tuam vocem audire, qua tot alumni BONÆ MENTIS PALÆSTRA recreatur

& e-

& eruditur? sed erit, erit aliquando tempus, cum in illa BONÆ MENTIS adyta tuo favore producemur, & triumphalem illum tuæ Famæ currum candidati lauretique Clientes eum applausu prosequemur. Nunc tantum fave conatibus nostris; imo quia jam favisti, & clarissimum decus tuum Rhetorica nostra conclusit, ecce quem possumus referimus animum, & tibi MAGNO RHETORI Rhetores affectum, stylumque consecramus. DIXI. *Postulat favorem seq. & reliquos consecrat.*

DECISIO CONTROVERSIÆ.

ORATIUNCULAS *hasce Ampliss. & Claris. Vir* D. ERYCIUS PUTEANUS *ipse audivit, & quia sententiam rogatus, eam in eodem loco deprompsit, quæ quia extemporalis fuit, haberi, quemadmodum facundissime dicta est, non potuit Summa vero hac fuit: primam scribentis ruditatẽ Ciceronis unius imitatione expugnandam: deinceps plures, imo omnes cultioris aui Scriptores voluendos esse, ut oratio perfectionem suam maiestatisq; pondus accipiat. Idq; illustravit variis rationibus, inter quas duæ similitudines, ab apibus & puero lactante. Quemadmodum enim infans uno nutritur lacte; puer deinde vario cibo alitur, donec in virum adolescat: sic primo unius Ciceronianæ Suadæ lac, velut optimæ nutricis imbibendum; deinde alios aliosque melioris notæ Authores tanquam robustiores cibos, esse adhibendos. Permisit autem hanc varietatem, quia non omnes homines eiusdem ingenii sint, & sic nec ad unius formam componi debeant.* &c.

CONSVLTATIO,

Vtrum huius temporis hæretici armis ad fidem suscipiendam cogi possint?

ORATIO I.

DISSVASORIA.

MARTINI BERCKMANS LOVANIENSIS.

Hæreticos huius temporis armis ad fidem suscipiendam cogi nec posse nec debere.

Exordium per insinuationem à Laudatione eorum qui veritatem ubique profitentur.

TAntus olim veritatis amor hominum animos justissimos quodam inflammavit ardore, B. AVDITORES, ut singulari digni laude judicarentur, & inter cæteros virtute sua decori conspicerentur, qui trepidanti commotaque multitudine ita stantem & imperterritum animum servabant, ut eos à veritatis confessione nec tempus aut locus ullus avocaret, nec mentis perturbatio deterreret: verum, quemadmodum & aere serenato & eodem nubibus impedito sol, ille lustrator orbis, luce sua perfundit Vniversum: ita illi periculis omnibus majores, & in prosperitate nequaquam simulari, quovis tempore veritatem profiterentur. Etenim si omnipotens moderator orbis ita vultum humanum efformavit, ut apertus ac nudus nullaque larua

Similitud.

Ratio.

larua celatus esset, si, inquam, rationem hominis oratione munivit, & in eius ore sermonem animi indicem ac interpretem effinxit, nunquam homo simulatione fucare vultum, aut vultu simulato animum mentiri debet. Ita prorsus cum ipso veritatis amore, veritatis dicendæ libertas mortalibus omnibus innata videtur. Vnde (neque enim aperire reformidabo, quod libere profiteri contendo) cum orbis Christiani Reges ac Imperatores in luce palam arma gestare, summaque vi bellorum hæreticos ad fidem hanc nostram impellere recordarer, quadamque iudicii censura examinandum arbitrarer, subiit primo quidem turbatum animum non exigua formido, & temeritatis propemodum impudentis esse, Principum tantorum arma conatusque iudicare multoque magis condemnare, existimabam? recreavit tamen animum lux quædam veritatis oborta, quæ rationem ostendens potentius illum expugnavit, quam in oculis posita Regum arma perterruerunt. Et hanc ego rationem hodierna die B. AVDITORES, statui vobis repræsentare: ut ab hac, velut è face lucem veritatem accipiatis cuius cum amantissimi semper esse velitis, mihi quoque libertatem istam favore vestro concedetis, ut veritatem, quam exosculari ratio me cogit, manifestare non erubescam apud vos: simul illud deprecor à vobis, ut non prius temeritatis mihi notam exulcerato quodam animo inuratis, quam me provinciam hanc ita deposuisse iudicetis, ut à suggestu non eiectus, sed sponte discedam. Ita enim vestrum illum favorem attestor, quod si non ostendero, Reipubl. Christianæ dignitatem omnino postulare, ut ad fidem nullis armis hæretici compellantur mutabo mentem & aliorum quorumcunque censura opinionem hanc nostram rescindam. Credite tantum veritatis me partes, non reprehensionis aut quæ-

Applicatio ad propositum.

Propositio.

Conciliatio Auditorum

Primum argumentum ab indigno. telæ suscepisse, Ecclesiam unicam cœli filiam esse, sine macula decoram, divina luce perfusam, & in Sione sedentem; cuius non oculos crudelitas, non vultum truculentia, non manus furor attollat, sed in oris maiestate rideat benignitas, & in toto corpore modestia quædam elucescat, notius est universis, quam ut à me lucem aliquam orationis exspectare queat. *Antecedens.* *Probatio & amplificatio ex contrariis* Illa scilicet calamitates & persecutiones velut hæreditatem suam habet; illa in patientiæ pulvere trophæum erigit, & in martyrum sanguine triumphat; illa laurum non pugnando, sed ferendo reportat. Et obsecro, quis Ecclesiam agnoscat, si cruentis accincta gladiis, si crucibus armata, patibulis onusta, cædes & incendia spirans, ita procedat, ut per sanguinem cadaverumque lucem duntaxat incedat? Non est, non est ille benignissimæ parentis vultus, quem hortor exacerbat: non est illa lenitatis aura, quam furoris crudelitatisque tempestas im muta. *Consequens.* tat. Et adhuc Principes ac Reges nostri, potentes illi Ecclesiæ filii cruentis manibus sanguinem quærere aliorum, non indignissimum arbitrarentur? *Probatio cõsequentis.* Quasi vero cæcus ille furor testis esse fidei posset, & religionis immaculatæ signum esset manus suas multo sanguine maculare. Quasi vero non amor potius & charitas Principum animos commendare deberent. *Optatio.* Atque utinam ita quandoque cælum intueri cogitarent, ut excitati ardore iusto cæli Regem ac Monarcham imitarentur! non strepitum armorum, non splendentem gladiorum aciem ostentarent, sed ut Deus blandissimæ vocis sonum, & rationis lumen adferrent. *Ab authoritate divina.* Recordamini parum si lubet, quomodo Paulum furentem audacia, ferrum Christianis illis novis minitantem, cunctorum exitium anhelantem omnipotentis benignitas Dei suam ad fidem ac amorem concitarit. Nunquid caligine cæca cælum obduxit nunquid fulminante manu inculatus est

è cœ-

è cœlo flammam? nunquid ipsum tonitru concussit, aut evibratis in eum armis sanguinem ejus hausit? Nolite id opinari. Auditores; serena luce vocem ab aere demisit, *Saule, Saule, quid me persequeris?* En fulgur Omnipotentis, lux est serena; fulmen eius, charitatis ardor; tonitru, vox blanda: non arma molitur, quia sanguinem anhelat, quia amore salutis inflammatur: Et idem ille fuit clementissimus orbis universi creator, qui cum in omnes terras ablegaret, quos religionis columnas & præcones elegerat, non armis illos, sed verbis voluit munitos: non inferre vim, sed ostendere virtutem. Quos certe si ut amare Principes nostri, ita quoque debent imitari, cur tot arma, tot bella movent ut ad fidem hæreticos impellant? An fortassis non divinæ gratiæ donum quoddam singulare fides erit, sed horribilis armorum effectus? An fortassis non hanc Deus gratis animis infundit, sed inter arma strepitusque crescit? Non ita: à Deo fides est & auscultatione Verbi divini nascitur in nobis, dum illud velut ardens flamma quædam ita animos hominum affectu cælesti plenos accendit, ut è terris in cælos attollantur. Quid est enim aliud fides ista, quem lumen, quo mentes hominum illustrantur? quam calor, hominum corda succendens? quam Magnes nos ad Deum attrahens, cum eoq; conjungens; Iam vero si id fieri non raro videamus, ut potentissimo verbo suo Deus hominum animis fidem inserere non possit, quisquamne seminaturum hanc sese putabit, si aures strepitu armorum obtundat? Adhuc tamen supersedebo, & in Principum nostrorum subsellia migrabo, si exemplo tueri possint, quem exercent severissimam authoritatem. Producant ergo sapientes: nunquid illi clangentibus tubis gladiisque districtis agunt, ut opinionem doctrinamque suam persuadere possint? rationibus, non ensibus altercantur.

Exemplum D. Pauli conversi.

Alia authoritas divina.

Consequens.

Secundum Argumentum à causa fidei.

Antecedens.

Exornatio per varias similitudines.

A maiori ad minus.

Transitio.

Tertium argumentum ab exemplo.

cantur. Producant Iudæos, quoniam illis scientiæ veræ lux olim affulsit: nunquid illi Nationes cæteras impulerunt armis, ut religionem suam amplecterentur? Nec audivimus unquam nec legimus: cur id obsecro? quia fides ab armis, religio à tumultu libera esse debet. Quid ergo dicent Principes Christiani, nisi hoc ipsum, iure duntaxat suo, nullo maiorum exemplo, nulla authoritate sæculorum, id arbitrari se iustum, quod iniustissimum omnis ætas repudiavit? Quanquam valeat authoritas illorum: nunquid tamen per arma, per sanguinem, per incendia, per tot clades, per urbium eversiones, domorum direptiones, provinciarum vastationes destruent fidem potius quam inducent? Vbi erit tandem fides, si gravissimis deleti cladibus iaceant homines? Vbi religio manebit, si incolis exhaustæ regiones solitudinem in se deflere videantur? Vbi Deus recipietur, si manentes sanguine fluvii, albescentes ossibus agri, sepultæ cineribus suis & ruinis urbes nihil aliud quam scelus furoremque tacitæ clament? Vellem id permissum foret mihi, ut à Principibus Christianis intelligere possem, quo tandem animo armis induantur, cum ad cogendos hæreticos insurgunt. Etenim si vi amici fidem apportant, cur violentiam ostendunt? sin vero ut inimici accedunt, cur tantum salutis alienæ desiderium præ se ferunt? Atque etiamsi ad permovendos hominum animos efficax sit & potens per se ratio, cum explicata sermone lucet, nunquid frustra, nec dicam iniuste gladius adhibetur? Nec est quod rationes non auditas unquam in lucem educam experientia testimonium addere causæ possit. Quemadmodum enim illi, qui in tenebris aliquem & obscuro loco deducunt, non in caput coniiciunt ipsi lucernã, sed præferre laborant; ita qui fidei lucem adferre contendunt, non armis uti, sed prælucere debent.

Consequens. *Transitio per concessionẽ.* *Quartum argumentum ab inutili.* *Assumptio. Repetitio.* *Dilemma.* *Vis Rationis.* *A simili.*

Præ-

Prælucere dico, non armis uti. Qui enim fieri obsecro, ut armis cogantur, qui nec arma, nec imperia curant? Distringe gladios & intenta mortem, nullus hæreticos mortis timor invadit, & superiores satis ipsis animos gerunt. Ostende leges & Principum mandata; itridens, & sine Principe legibusque libertatem amant. Commove regnum universum Regumque vires, Provinciarum moles opponent & fœdus armatum. Credite mihi, non una clades aut fulmen unum Gigantes illos expugnabit; labore opus est & sudore, quem anni non pauci, sed plures; non vires aliquæ modicæ, sed ingens potentia sustentent. Et sicut percuti sed frustra potest aer, ita vexari sed frustra possunt Hæretici. Iam vero ut quod esse potuisset orationis initium, sit exitus ac terminus ejusdem, quantum est illud, quod hominum ita libera sit voluntas, ut nullis armis impelli possit? Audi quisquis voles Theodosium Imperatorem, qui prudenter ac vere contestatus fuit, non terrenorum Regum sceptris hominum animos subesse non imperiis aut sonitu tympanorum, sed doctrina fidem tradi. Consule Lactantium gravissimum prudentissimumque doctorem, an non tantæ sunt hominum animi libertatis, ut eos nequaquam cogere quis possit, ut illud non credant quod credere volunt, aut existiment credibile, quod incredibile judicant? Et adhuc quisquam esset, qui levissimam rem arbitraretur hæreticos armis impellere, quod non difficile tantum, sed propemodum impossibile hominum ipsorum natura testatur? Cogitent ergo potius Principes nostri, non decere mitissimam matrem Ecclesiam purpuratas sanguine manus ostentare Deo, non obliviscantur à Deo fidem esse, non ab armis: & si nullo exemplo sua bella tueri possint, satis arbitrentur à bellis abstinere, nec amplius exstirpare conentur armis,

Quintum argumentum à difficili.

Antecedens probatur à conditione hæreticorum.

Exornatio à simili.

Sextum argumentum ab impossibili.

Antecedens probatur authoritate Theodosii Imperatoris.

Ab authoritate Lactantii.

Consequens.

Peroratio. Repetitio. Confirmationis simplex & aperta.

quod aliquando mutato tempore fides requiret. Illud etiam non parum perpendant, durum esse contra mortis ac legum contemptores movere bellum; imo vero frustra bellum intentari, ubi voluntas invicta resistit. Quæ cum ita sint, verissima, utar solita dicendi libertate, & audebo dicere nunquam hæreticos ad fidem armis cogi, aut posse, aut debere. Illud tantum à vobis peto Benevoli AVDITORES, ut hanc in me dicendi libertatem, non fastum aliquem aut arrogantiam putetis: Testor enim Deum Opt. Max. me nec superbiæ gloriam aliquam hac ratione quæsivisse, nec hæreticorum favorem collegisse. Veritatem hanc esse quam dixi videbam; & hanc provinciam assumens idcirco dicendi libertate sum usus. DIXI.

Explicatio sententiæ.

Excusatio Oratoris.

ORATIO II.

SVASORIA,

DIONYSII van den BERGE THENENSIS.

Hæreticos huius temporis ad fidem suscipiendam cogi posse & debere.

Exordium per insinuationem à reprehensione adversarii.

MIrum est ac propemodum obstupescendum, B. AVDITORES, ita homines nonnullos in hac luce versari divinumque mentis suæ, ut arbitrantur, subtilitatem admirari & amplecti, ut quantumvis orbem universum, ac in eo tot hominum eruditissimorum cœtus videant à sententia sua discrepare, nihilominus usque adeo cerebrum suum fortassis helleboro repur-

purgatum, sequantur, ut se solos Socrates quosdam sapientissimos aut Apollines admirentur; cæteros vero tanquam noctis quosdam & obliuionis alumnos, tenebris ignorantiaq; nutriri arbitrentur. Ac tum profectò gradus quosdam hæc insolentia sibi sumit, cum illam rerum omnium Reginam Eloquentiam adiunctam habet, quia tum ipsi hominum animos perturbare, forum & Curias implere, clamoribus omnia permiscere consueuerunt. Quod tamen ferendum adhuc foret, nisi eorum curiositas vana potius quam sapientia, eousque se efferret, ut Ecclesiam uniuersam, quæ errare nunquam potest, in errore grauissimo versari proclamaret. Scilicet tu solus ita vives, ut sapientissimus habearis? tot Antistites ita Ecclesiam moderabuntur, ut stultissimi reiiciantur? Scilicet tu hodie hac ætate tua tantam prudentiam collegisti, ut ad mentis tuæ iudicium homines omnes inflectas? tot Principes tot iam sæculis in gubernaculis positi Regnorum nondum erunt sequendi? Sed huic ergo sapientiæ tuæ vanæ obuiam ibo hodierna die: ac ne te victoriam aliquam hoc in congressu persuasis auditorum animis reportasse fortassis opineris, respondebo rationibus istis tuis, ac tum demum ita totam hanc arenam instituam, ut argumentorum pondere facile convincam iure merito Principes Christianos ad fidem suscipiendam vim inferre hæreticis illis, quorum hodie patrocinium suscepisse videris. Erigite vestros animos, & ad hanc veritatis disputationem mentes vestras excitate, Benevoli AVDITORES, dabo operam, ut omnem quæstionis huius errorem in luce palam veritas evincat, & longioris temporis importunum aliquando fastidium brevitas tollat orationis. Ac inprimis illud à te requiro, quandoquidem certare præsumis, quisquamne unquam ita demen-

Accedit ad propositum.

Apostrophe invectiva in adversariū.

Propositio.

proponens futuram orationis cōtrariā refutationem,

Postulatio attentionis.

Refutatio.

Duo supponit: primum. peinent a sua vexatus, & errore perturbatus iniquo fuit, ut hæreticos ad fidem reducere conari aut iniustum, aut indignum esse iudicaret? Hærendum est in hoc gradu tibi; sed rursum illud inquiro, nunquid Principes & Reges, quorum fidei potestatique subditorum commissa salus & *Secundum.* fortuna est, subditos suos voluntati subiicere suæ, & ad imperium revocare cogereq; possunt? Iam ad scopulum te novam adegi, ut ad nostrum *Ad primum argumentũ Responsio.* te littus transire sit necessum. Quanquam iacta sint ista orationis nostræ fundamenta; vide nunc quam iniusta querela proclames, indignum esse lacessere bellis hæreticos, ut ad fidem revertantur *Ratio: Hæreticorum provinciæ prius Christianorum fuerunt.* Nunquid Ecclesiæ Principũq; nostrorum imperiis ita subiecti vivunt hæretici, ut quanquam iugum detrectent, provincias tamen invadant & occupent alienas? Circumspice, & hanc nostram Europam cogitatione perlustra. Germaniam ex parte magna hæreticorum dominatus habet; at hæc Aquilæ Cæsareæ prius dominium agnoscebat. Illi toto orbe divisi Britani religionis & fide nunc ab ea rursum per hæresim separati. Hol- *Indictio.* landiam Frisiam Zelandiam, Hispanorum fasces sub Ecclesiæ sacro imperio continebant; at nunc nascentes indiés hæreses in Ecclesiæ perniciem armant. Nullam ipsi aut in mari insulam, aut in terris regionem adulterina potestate frænant, *Probatio & exornatio similî.* quam legitima Christianorum purpura Regum non occuparit. Ita prorsus si deturbare possessionem iniustum leges ac iura permittunt, æquissimo iure manus armant in hæreticos nostri Reges, ut aut rursum subiiciant illos, aut suas illis terras eripiendo cultoribus fidei nostræ permittant. Ita si rebellantem sibi servum iure suo paterfamilias punire potest, animadvertere possunt *Obiectio cũ Responsione.* Leges in illos, quos suo ab imperio discessisse compererunt. Sed mitissimam matrem Ecclesiam exclamas. Non ego hic unquam repugnabo,

bo, sed tamen meminisse te vellem, hanc matrum lenitatem esse, ut si verbis filios aberrantes non possint, dura tandem animadversione reducant. Mitissima mater Ecclesia doctrinam suam hæreticis exponit, illi reiiciunt; blanda voce velut adulando rursum invitat, aspernantur invitantem; obtestatur & urget, preces irrident, conatus illudunt. Quid ergo restat? Profecto ut quemadmodum horti cultor cum diu rigavit arborem, ferrum addit & putat illam, mox etiam, si fructu careat, rescindit: ita quos ad sanitatem reducere mentis non potest, & in perniciem crescere videt aliorum, exstirpet. Neque tantopere fuit opus, ut oratione phalerata vocem Omnipotentis, qua Gentium Doctoris sauciavit affectum, adferres, magna illa benignitas fuit Omnipotentis: sed hanc non ille semper ostendit, & in iustissimas nonnunquam iras assurgit. Sensit illas Pharao, sensit Antiochus, sensit Iulianus Apostata. Quanquam quid hic est, quod admireris? Non evibravit, fulmen Deus, sed Paulum tamen excæcavit, prostravit, medullitus sauciavit ut à vulnere, sed amabili, respirans suspiraret: *Domine quid me vis facere?* Sed amplius urges & ictum novum intentas. A Deo fidem esse, & per auscultationem divini verbi nasci illam in nobis affirmas. Imo vero tecum affirmo, Principes quoque nostri tecum affirmant, nec armis promulgant illam, sed concionatorum voce diserta persuadent. Persuadent? Vtinam quidem, sed erro; non admittunt, non audiunt, reiiciunt hæretici. An vero hic Principibus obmutescendum & hærendum putas? Certe si agricolæ ferrum adhibent ut terram ad suscipiendum semen cogant, quia illa spem illorũ eludit, nisi cogant; cur hæreticos non armis Principes urgerent, cum pravis erroribus corroborati & obstinatis indurati animis fidei semen nõ admittunt? Tu

Amplificatio, à repugnantibus.

Ad exemplum conversi Pauli responsio,

Exempla iræ divinæ.

Ad 2. argumentum responsio per concessionem.

Correctio.

Similitudo.

Exagitatio adversarii per Apostrophen.

Tu ipſe tantæ rei coniecturam ab exemplo tuo ſume, ſi ſubditos haberes, quorum depravata coditio talis, ut imperium tuum ac voluntatem omnem recuſarent, tibi everſionem machinarentur, in exitium ſponte ſua præcipites abirent; an fortaſſis imperaſſe ſatis haberes? an non etiam vim eam adhiberes, qua obſtinatos rurſum ſubmitteres, & à ſua calamitate deterreres? Iudæi nunquam arma pro fide ſumpſerunt, ais. Cur obſecro ſumpſiſſent, qui nationes exteras imperio ſuo nunquam ſubiecerunt? Ademit illis tempus ſuum jus ad arma, Principibus noſtris tempus noſtrum concedit. Quid obſtabit ergo? An quia fidem introducere nefas eſt per ea, quæ fidem evertunt. Concedo tamen illud, non nefas eſſe illos extirpare, qui non modo non prodeſſe, ſed nocere contendunt. Si ab hæreticis emolumentum exſpectas, ecquod illud? Si detrimentum inquiras, ecquod non erit? odium in nos maximum, invidia pernitioſiſſima, contagio peſtifera, direptionem favorum, incendia urbium, cædes bonorum omnium. Quanquam me circumveniſti, ut arbitraris, & ancipitem gladium oſtentans effugium ſuſtuliſti. Quid eſt? Nec amicos Principes noſtros nec inimicos hæreticorum audebo dicere? quocunque me vertam, in aciem tuæ rationis incurram: quid agam? Eva ſi tamen, tolle iſtas inſidias tuas in luce palam: illud dico, & occultis dolis tuis veritatem apertam oppono. Amici ſunt hæreticorum Principes noſtri, & eorum hinc ſalutem anhelant. Domini ſunt Hæreticorum Principes noſtri, & eos hinc cogere contendunt armis. Nunquid ancipitem dilemmatis ictum eluſi? illum vero de lucerna jocum tuum, cur ni ioco quoque repellam ſed in veritate nec luſum feram: nec riſum: illud accipe, lucernam non præferre, cum debeas, in obſcuro, inhumanum eſt,

Ad tertium argumentum reſponſio.

Ad quartum argumentum reſponſio.

Conceſſio.

Tranſitio. allegorica.

Ad dilemma reſp.

Diſſimulatio

Irridet illud ſimile.

eſt;in caput abiicere, cum deducas, prorſus eſt iniuſtum & crudele. Agedum vero, ſi præferam nec ſequi cupias,nunquid reſpues humanitatem? Si extinguere lucernam, cum deduco, contendas, nunquid iuſtitiam extingues? Et adhuc cogere non liceret? Fruſtra, inquis; nam nec legem timent, nec mortem. Non legem? cogantur ergo: non mortem? non erit ergo perire durum illis. Nec eſt ſatis tamen; ſed ſi humanitatis ita ſenſum exuerunt, ut quæ accidere ſolent acerbiſſima non reformident, vincant potius Principes noſtri, quam vincantur, nec malitiæ cedendum unquam eſſe proponant. Reſpirare iam poſſem; ſed liberam hominum voluntatem eſſe, quæ cogi non poſſit, proclamaſti, & velut propugnaculum dictionis tuæ firmiſſimum extrema in oratione conſtituiſti. Vide tamen quomodo non reformidem. Libera ſit hominum voluntas, nec infitior: quid deinde? An idcirco ſceptra Reges abiicient, quia liberæ voluntatis hominum imperitare debent? an idcirco doctrina relinquetur omnis, quia libri ſunt illi quos doctrina requirit Auditores? Liberine ſunt hæretici? ne libertas perniciem illis ferat, vi cogantur. Liberos homines cogere dicis impoſſibile? cum ad alias res quaſvis impellantur, non eſt hac in re deſperandum. Iam ergo reſpiraui. AVDITORES, onere magno ſum liberatus, lætorq; vehementer, quod ut opinor effecerim, ne orationis adverſæ fucata veritas aut oculos, aut animos veſtros fefellerit. Reſtat nunc vero, ut ea producam, quæ Eccleſiæ Principumque in cogendis ad fidem hæreticis clariſſime poteſtatem oſtendant. Dignum eſt attentione veſtra argumentum, Benevoli AVDITORES, & quanquam me de vobis dubitare ſit nefas, tamen ita fauore veſtro delector, ut illum mihi ſæpius poſtulare ſit iucundum. Ecce quam rem vobis apertam propono, ſi alia nul-

Retorquet in adverſariū.

Ad 5. argumentum reſponſio.

Tranſitio.

Ad 6. argumentum reſponſio.

Conceſſio.

Varia conſequentia.

Retorquet argumentū.

Tranſitio à refutatione ad confirmationem.

Propoſitio.

Renovatio attentionis.

Confirmatio.

2. argumentum à necessario. *Probatio & amplificatio per enumerationem variorum remediorum*

nulla possint ratione nisi fulmine quodam armorum Christiani Principes hæreticos ad fidem nostram revocare nunquid armandæ sunt manus & huic consulendum necessitati? Vere est Ecclesia benigna mater, nec in filios nisi contempta unquam animadvertit. Recesserant ab Ecclesia primum hæretici: quid illa? nondum glaudium ostendit, sed terruit excommunicando. Irridebant excommunicationem: quid illa? nondum exulcerata bellum movit, sed duntaxat mulctam irrogavit. Nulla mulcta deterrebat eos: quid illa? nondum sanguinem aut mortem postulavit, sed obstinatos in exilium ablegavit. En benignitatem? En matris affectum! sed exilium errorem corroborabat, & obstinatos exacerbabat in matrem: quid illa? Nolebat equidem, sed equitas requirebat: tandem ergo gladium eduxit, bella movit cogere tentavit, sed ita tentavit tamen, ut simul cum armis concionatorum voce sui affectum præsentaret; nondum vero matris affectū agnoverunt. Et si hæreticos excommunicare potest Ecclesia, cur ad mortem adigere non posset? Puniuntur iure falsarii, puniuntur iure fœmina, quæ marito fidem non servat, cur non hæretici punirentur, qui Falsarii sunt verbi divini, nec fidem Deo servant? Neque est tamen quod in hoc Circo pugnam omnem concludam. Pro me certant universa Ecclesiæ concilia, quæ cogendos severitate quadam hæreticos esse decreverunt. Omnes pro me leges & Imperatorum mandata pugnant. Testis est Constantinus I. Imperator, qui Arium cum sociis in exilium ablegavit, supplicio Donatistas affecit, Testis est Michael itidem Imperator, qui capitalem in hæreticos pœnam decrevit. Testes sunt Theodosius, Valentinus, Martianus, alii plurimi, qui in hæreticos de mulctis, de exilio, de bonorum publicationibus, de supplicio mortis extremo leges sanciverunt.

A maiori ad minus Secundum argumentum à simili. *Tertium argumentum ab authoritate.* *1. Humana.* *Repetitio.* *Traductio.*

Quan-

Quanquam quid mortalium authoritatem urgeo cum pro me sit omnipotentis aperta voluntas? Qui superbierit, (inquit Deus in scriptura) nolens obedire Sacerdotis imperio, ex sententia iudicis moriatur. Dictumne tantum, an non etiam factum fuit? Imo vero Iosias, Helias, Iehu quot quot alii fuere duces Israelitarum, summa semperseveritate legem istam vindicaverunt. Quid quod Apostoli sua arma habuere? Elymas cæcitate percutitur à Paulo: Saphyra & Ananias occiduntur à Petro; Simon magus præcipitatur ab utroque. Quid quod Christus ipse negotiatores flagris eieci è templo? quod hæreticos toties lupos appellat, ut ostendat ignibus & ferro repellendos? Sed iam illud prætereamus quod in Ecclesia tumultus excitent, & miserorum animas hæretici contrucident. Non dicamus quod supplicium illis inflictum cæteros ab insania simili deterret, taceamus quoque prodesse potius illis occidi, quam diutius communem hunc spiritum ducendo, maiorem sibi comparare damnationem. Et si iustissimæ sunt istæ causæ, quæ hominem unumquemque durissima morte tollant, cur Principes Christiani aut vacuas manus ostentarent, aut è manibus arma sinerent elabi? Illud dico, extinguenda est scintilla, priusquam incendium producat; resecandum est putridum à corpore membrum, priusquam in cœtera contagio serpat. illud, inquam, dico, quod si arma Principes Christiani deponant actum est, peractum est, exulabit fides, peribit religio, templa matronarum stupris, sanctorum cadaverum incendiis, virorum cædibus profanabuntur, pueri pro libertate servitium, pro legibus Christianis superstitionem hæreticam addiscent, hæretici sine suo sanguine omnem Christianum sanguinem effundent. Et hæc omnia nondum animos Principum excitarent? non ira iustissima eos inflammarent? non

2. Divina. Transitio.

Probatio & amplificatio ab exemplis.

Quartum argumẽtum à causis. Præteritio. Antecedent. Consequent.

Quintum argum. à simili.

Sextum arg. à consequentib.

Probatio & amplificatio per enumerationem.

Peroratio. non ad ultionem tandem aliquam illorum corda ferrent? Vides quo tandem in errore verseris? *Optatio.* Atque utinam D. Augustini imitareris, qui cum tuam illam opinionem asseruisset aliquando, sanioris compos mentis retractavit eandem! Vtinam iam agnosceres & fateri mecum velles, cum *Brevis repetitio confirmationis.* ratio dictet istud, suadiat omnis authoritas, iustissima causa convincat, iure optimo Hæreticos ad fidem hanc nostram cogi posse. Fateor, nunquã *Excusatio.* bella inter Christianos probavi, probo tamen & iustissima puto, qua suscipiuntur pro Christianis: & si mihi non sit nefas animi mei desiderium aperire, vellem hic animus Principibus nostris inesset *Optatio. Apostrophe ad Deum per obtestationem.* ut tot ereptas Christo provincias recuperare, toties effusum Catholicorum sanguinem ulcisci peroptarent. Sed tu Deus Ter. Opt. Max. qui Principum in manu tua corda geris, da animum illum & infunde voluntatem; cumque bellorum sis Deus idem in hæreticos Principum arma secunda. DIXI.

DISSERTATIO DE NOBILITATE.

ORATIO I.

Generosi D. ALBERTI DVNIN MODLISZOVVRSKIEE SKRZIN Equitis Poloni.

Nobilitatem veram sine eruditione esse non posse.

Exordium à diversis. NAtalium splendorem cum amplitudine nominis, stirpis ac generis vetustatem cum

eum familiæ claritate non pauci sunt, qui extollunt, plurimi qui tanquam adventitium fortunæ partum irrident. Qua in re si tanquam arbiter in dissentiente concessu iudicium hic meum, quod qua exiguum sit, ingenii imbecillitas & huius ætatis infantia declarat, proferre debeam, non ab aliis certe calculum mutuabor, aut novæ opinionis ostentatione sapere voluisse videbor, sed in prudentissimam sapientissimi Regis Antigoni sententiam abibo, qui scripta ad Zenonem Philosophum epistola, longe se ab eo & dignitate & perfecta felicitate præcelli fatetur. Vnde si tanti Regis tantum extitit de Regia fortuna judicium, nemo est, qui iam nobilitatem veram ullam esse sine eruditione debeat arbitrari. Quod cum ita sit, sapienter Macedonum Rex Philippus nato filio Alexandro illo Magno, lætandum sibi potissimum est arbitratus, quod Aristotelis Principis Philosophorum ætate natus esset à quo Regius Adolescens informaretur. Etenim quid laudem esse possunt generis amplitudo, familiæ splendor, & vetustas, nominis claritas, si nullum ab eruditione lumen accedat? aurea, ut ille ait, mancipia, inanes obsoniorum fumi, Lampyrides non nisi noctu, locisque obscuris conspicuæ, statuæ plumbo intus refertæ, extrinsecus heroicam præ se formam ostentantes. Et quemadmodum Ægyptiorum templa forinsecus splendidissima, intus hircum aut felem, aut simiam concludebant, ita Nobiles imperiti aspectum splendore movent, carent interim cerebro: dumque fumos & pulveres maiorum industria suscitatos duntaxat attollunt, vero ipsi splendore destituuntur. Quare cum nec mundum ipsum, mundum agnosceremus, si sole careret; nec hominem, hominem esse fateremur, quem anima non informaret: ita nec vera nobilitas existimanda, quam eruditio non exornat.

de nobilitate opinionibus.

Excusatio. Oratoris ab oratore.

Sententia in qua Propositio, Confirmatio.

Testimonium Philippi Regis.

Ratio ab adiunctis.

Similitudines per allegoriam.

Alia similitudo.

Verum alias

Pro-

Repetitio. *Sententia.* *Disiunctio.* *Conclusio inqua repetitur sententia.*

Profecto non satis est sesquipedali ventre tumere; turpis enim est non instructa disciplinis anima: non satis est, inquam, purpura, aut gemmis ornari: fœda enim sub formosis illis pellibus sæpenumero monstra latent. Et omnino si dum veritatem investigo non est veritas occultanda, ita dicamus & credamus, sine eruditione nobilitatem sine scientiarum lumine, stirpis nullam esse claritatem DIXI.

ORATIO II.

CAROLI MONZÆI LEODIENSIS.

Virtutis nobilitatem sanguinis nobilitate potiorem esse.

Exordium à sententia Iuvenalis.

VEre Satyricus:

Tota licet veteris exornent undiq; cera Atria. Nobilitas sola est atq; unica virtus.

Etenim si teste Marco Tullio (quem non minus sapientiæ quam eloquentiæ parentem omnis ætas semper est venerata) nihil aliud est nobilitas, quam cognita virtus, quis in eo quem veterascentem videat ad gloriam, generis antiquitatem desideret? quis, inquam, est, qui non in communi sapientum concessu exclamet, nobilitatem solam atque unicam esse virtutem? Quod cum ita sit, sileant jam illi, & jactabundam arrogantiam comprimant, qui sanguinis fundamento nituntur, & lubricis familiarum gradibus ad gloriæ fastigium contendunt. Audiant potius Sapientes, aut si eorum vocem exaudire nequeant, in

Ratio à definitione Nobilitatis.

Sententia & propositio.

Confirmatio.

in omnium cogitatione aſſenſuque verſer, amare quidem parentes, illuſtrare non poſſunt: quin imo, infinitam ſuæ lucis eclipſim ſæpenumero in filiis pati coguntur. Ita viliſſimarũ rerum eſtteſtamenti ſolemnitas, non nobilitatis: & obſcuriſſimi clariſſimorũ ſæpe virorum hæredes exſurgunt, niſi virtus adlaboret. Nunquid enim avorum merita plerumq; degenerantium ſunt notæ nepotum? ac cum de proprio ſumens laudem ab illo non exſpectas, tua te ipſum claritate illuſtras? Iam vero quid dicam eandem omnium eſſe naſcendi conditionem? Dixerit ſane illud Plato, ſed veriſſime, neminem Regem non ex ſervis oriundum, neminem ſervum non ex Regibus. Profecto qui Stoico ſupercilio, & fronte caperata nobilitatem adſpiciunt, iam illam ad Adami rufum, ad Evæ colum reducere debebunt. Non etiam vel produxerim, vel urſerim illud, ſeneſcere non modo familias, ſed urbes: quin imo mundus ipſe, niſi fallimur, vergit ad extremum. Age ergo quiſquis voles, nunquid ſanguinis pereuntis gloriam præſtare putabis, ac non potius cum ſcientiæ dignitate virtutis æternitatem? O quam præclare & vere Solon Athenienſis conditor Reipublicæ, pulchrius multo parari, quam creari nobilem affirmavit! O quam eleganter Poeta:

Ratio confirmationis.

A conditione parentum.

A conditione naſcendi.


Ab interitu familiarum.

A Teſtimonio.

Virtute decet non ſanguine niti!

Atque ut nos etiam concludamus: ſi verus Nobilis non naſcitur, ſed fit, ſi claritas non à parente præcipua eſt, ſed à vita, jam certe hac imbecillis noſtri judicii opinione veram de nobilitate opinionem videor attigiſſe, DIXI.

Concluſio in qua repetitur ſententia.



ORATIO III.

JOANNIS MERCATORIS FLORIMONTANI.

Nobiles adolescentes publicis in Academiis instituendos esse.

Exordium à communi omnium consensu in formanda studiis nobilitate Diversitas in modo.

NObilium adolescentum animos ad virtutem, scientiamque informandos esse, ubi primum sese erigit ad lucem ætas, gressumque molitur, constans omnium sapientum opinio persuadet. Nonnulli sunt tamen, qui nobilis adolescentis institutionem privatis parietibus concludunt, quorum humanitas patientiaque si aliquem ingenio nostro libertatem concedit, & si apud vos, quorum favor alacritatem dicendi iam excitavit, ambitionis & arrogantiæ crimen honesta conatus ingenii excusatione effugere possim, omnino in apertam Academiarum lucem nobiles educendos esse sustinebo.

Sententia seu propositio.

Confirmatio.

Atque ut animadvertatis quam omnino laborandum non sit, cum addenda est lux soli, & in ipsa veritatis arena luctandum, si latebras virtus odit, & in theatro gaudet apparere, si nobilitas inimica est obscuritati, & à luce maior animus hauritur; cur non in Academiarum lucem prodiret nobilis adolescens, ut dum imbibit cum scientia virtutem, iam incipiat obscuritatem evitare.

Ratio confirmationis à Natura & conditione virtutis.

Et si ab Academiis hauriunt Curiæ prudentiam, accipiunt tribunalia iustitiam, doctrinam Ecclesiæ requirunt, utique non latere, sed in hoc publico Academiarum theatro, ita docet Nobilitas educari, ut Remp-

Vtilitas Academiarum.

publicam inde magnum ornamentum accedat. Profecto non excrescunt sub tecto plantæ sed in horto, ubi communi rore irrigantur, communi calore foventur. Non in umbra miles, sed in pulvere fit. Imperator. Non in spelunca Leo, sed in campo cognoscitur. Et quis ignorat robustum semper corpus saniores illos habere, qui in communi aura solis beneficium accipiunt, debiliores esse vero, qui lumen eius aliquod conclusi tantum respirant. Cognoverunt id ipsum Spartani, & suorum puerorum lusus non à parentibus, sed à natu maiorib. spectari voluerunt. Cognoverunt & Indi, qui infantes publico in concilio spectandos, ut publice instituerentur, exhibebant. Atq; ut, ubi pauca sufficiunt, universa dixisse non videar, & ut ex hoc labore, quem in luce veritatis clarissima suscepi, non re ipsa, sed exercitio invitatus, orationem abducam omnino, si iudicium meum iudicio vestro confirmetis, nobiles Adolescentes, in Academiis publicis instituendos esse & dico, & credo, ubi æmulatio est virtutis, & industriæ excicatrix, nulla vero aut mollis educatio, aut indulgentia corrumpens.

Illustratio per similitudines.

Ab exemplo Spartanorũ, Indorum.

Conclusio.

Sententia repetita.

DIXI.

* *
*

ORATIO IV.
PETRI PANGAERT
LOVANIENSIS.

Nobili adolescenti in Rep. versaturo non sufficere dignitatis authoritatem, sed insuper eruditionem requiri.

Exordium à natura generosi nobilis.

QVem excitat generosæ mentis ardor, non in umbra vulgares inter cœtus lucem admirari cæterorum, sed in ipsa luce versari atque in eo theatro concupiscit apparere, unde in aliorum oculos suspiciendus incurrat. Ponamus ergo generosum nobilem in hac luce, atque in medio Reipub. theatro iura legesque populis daturum, nunquid illi dignitatis authoritas sufficiet, an insuper ad dignitatem eruditio requiretur? hoc est quod inquirimus in hoc consessu, & si pattiamini, AVDITORES, pro modulo ita aggredior, ut hanc vobis Platonis vocem remittam, *Bene agi cum ea Rep. quam aut rexerint Philosophi, aut in qua Reges fuerint philosophati. Quem plura aut meliora scire oportet, quam eum, cuius doctrina omnibus subditis profutura sit?* Vegetii vox est *Quis melius quam literatus imperat?* Romana vox est. Et si multis gregibus (cum Seneca loquor) aut maxima corpora aut vehementissima præsunt; non armenta degener taurus præcedit, sed qui magnitudine ac toris cæteros omnes vincit. Elephantorum quoque gregem excelsissimus ducit: cur non eruditionis lau-

Sententia & propositio.

Vegetii.

Illustratio per similitudinem.

laude præstaret, qui ad imperii clavum nobilis admovetur: Parum esset si excellentissimum orbē circumageret Sol in cœlo; iubar adsit oportet, ut mundus illustretur. Parum esset si altis defixa radicibus arbor patulos in aere ramos effunderet; floreat oportet, ut fructum ferat. Non officii dignitas, sed eruditio consilium subministrat; non leges statuit, non iura conservat nobilitas, illustriumque sanguis auorum sed eruditio moderatur æquitatem, & sanctissimum iuris cultum subditis proponit. Vixerunt Caracalla & Licinus eruditionis osores, sed & ipsi odiosi: vetuit nobiles pueros erudiri Michael Balbus, & eos hoc tantum Latine loqui voluit; *qui nescit simulare, nescit imperare*; sed ita vixerunt ut male rexerint. Suspiciendus certe potius Magnus Alexander, sub cuius dormientis cervice Ilias Homeri. Suspiciendus Salomon & sequendus, qui regnaturus, cum generis claritate sublimis esset, sapientiam à Deo postulavit. Quod cum ita dicam, ut dicentem nova authoritate corroboret vox divina: *Nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, apprehendite disciplinam*, supersedebo, & quod tenuitate iudicii apud vos AVDITORES, deduxi, ita vobis cogitandum relinquo, ut tamen vel unicum Salomonem iudicem vobis imitandum. DIXI.

Repetitio.

Continuantur similitudines.

Ab exemplis Principum idiotarum.

Ab exemplis Principum doctorum.

Conclusio.

* * *

ORATIO V.
GVILIELMI van HÆCHT
LOVANIENSIS,

Virum doctum ratione eruditionis suæ nobilem esse.

Exordium ab opinione vulgi. FVmosas fortassis imagines, & spirantes in ære aut cera vultus admiraremur, si non ad hominum eruditorum, sed ad inconstantem levissimamque vulgi opinionem abiremus. Quid enim aliud vulgares homines ac imperita multitudo solet admirari, quam in tabularum & insignium parenti campo vel arma, vel feras? Ita non ab eruditione aut virtute nobilitatem, sed ab armis aut belluis, non ab excellentia mentis humanæ, sed à pictura deducunt? itaque stulto prorsus iudicio virtutem contemnunt. Sed *Conciliatio Auditoris.* ego quandoquidem ab hac nostra imbecillitate vires aliquas exspectatis, & iam animadverto non notare defectum, sed conatum excusare parati e- *Propositio.* stis, vulgarium hominum istorum errorem cla- *Confirmatio.* rissimo veritatis lumine discutiam. Ac inprimis illud à veritate ipsa mutuabor, cui reluctandum nunquam esse iudicabitis, eam virtutem personas claras reddere, & splendidis titulis insignes, quæ *Ratio ab effectu virtutis* ad communem utilitatem relata, desidiæque inimica sese totam ad hominum cœtus colendos cōservandosq; diffundit: ut omnino nobilitas eius ordinis dignitas existat, in quo maximæ virtutes vitæ communi salutares. Quod cum ita sit, & in omnium utilitatem diffusa eruditio salutarib. cultorem imbuat disciplinis, nō est hic ambigendum, *Sententia.* an hominem eruditum nobilē esse pronuntiemus. Neq; enim hic repeto, quod amplificare possem.

Antigonum Macedoniæ regem dignitate & perfecta fœlicitate sibi Zenonem prætulisse: audienda vero vox illa Sigismundi Imperatoris, qui cum à Principibus non nullis reprehenderetur, quod novos homines ob eruditionem & doctrinam magnos ad honores promoveret: *Ego*, inquit, *illos observa, quos alii ex cellere voluit natura.* Si non nobilis fuisset Plato, ille sapientiæ filius, non eum Dionysius Syracusanus vittata navi, & quadrigis albis venientem excepisset. Si nobilis non fuisset Possidonius, non illum invisens Magnus Pompeius, Romanam aquilam, & militiæ vexilla fasces que deposuisset: quod cum fecit, palam est attestatus, scientiis minora imperia, & viris eruditis inferiores esse Imperatores. Iam vero si nascendi conditionem omnibus æqualem natura dedit, siqu e excellens, non nascitur, jure dignitas attribuenda est illis, qui naturæ conditionem ita extollunt, & exornant, ut positi supra homines esse videantur; quique sublimitate doctrinæ vulgares cœtus ita reliquerunt, ut iis rebus tranquilli fruantur, ad quas aspirare cæteri vix audent. Et certe si Magnus Alexander Diogenes esse voluit, si non fuisset Alexander, mirum est quantam in paupere homine, sed erudito nobilitatis excellentiam apprehenderit. Ita si non pictæ tabulæ, ferisque & armis exornata insignia, sed arguit personæ dignitas nobilitatem; si non illam vel stemmata donant vel palatia, sed virtus animi, & excellentia doctrinæ; dicamus & libere pronuntiemus, virum omnem eruditum, & nobilem & illustrem esse: quod cum dico, jam illud apud vos obtinuisse videor AVDITORES, ut qui ad veram nobilitatem aspiratis, non minori alacritate ad excelsum doctrinæ culmen contendatis: quod ut omnino de vobis spero, ita vobis opto.

DIXI.

Ab authoritate Antigoni.

Exempla Doctorum nobilium, quibus honores exhibuerunt Principes.

A conditione paru nativitatis.

Authoritas Alexandri M.

Contentio.

Conclusio & sententia.

ORATIO VI.

PETRI IMPENS LOVANIENSIS.

Doctrinæ titulum potius quam Nobilitatis præferendum esse.

Exordium à declaratione arrogantiæ quorundam nobilium.

Titulorum jactantia non paucos in arrogantiam illam effert, B. A. ut omnem omnino dignitatem suam magno aliquo nomine concludant: & si claritatem aliquam stirpis possideant, dominationis titulum attollunt; si nomen inter eruditos habeant, sapientis ambiunt appellationem: utut sit; nihil ego de jure titulorum inquiram, sed dum illud apud vos ita dicere audeo, ut sapientiæ studiosum nequaquam me profiteri erubescam, hoc quoque non reformidabo in hac disceptatione proferre, doctrinæ titulum nobilitatis titulo præferendum esse.

Propositio & sententia.

Confirmatio.

Etenim si præ se ferre potissimum illud quisque debet, non quod alienum, sed proprium ipsius, cur non potius nobilis adolescens eruditionis à se partæ titulum extollet, quam stirpis suæ nomen mutuata gloria prædicabit?

Ratio Confirmationis.

Illustratio.

Obscura nocte & inter tenebras facem suam luna depromit, quia non sua sed aliena luce resplendet: at vero non claro die tantum sol fulget, sed ipsum diem lumine lustrat & facit.

Simile.

Et certe si alienis ornamentis superbum irridemus, admiramur vero quem suus ornatus commendat; neq; illum tantopere suspiciemus, quem non nisi aliena dignitas attollit.

Compar. utriusq; nobilitatis.

Agedũ qui familiæ, nobilitatisq; titulũ proponit, nunquid stirpis suæ duntaxat notitiã adfert; ut nec parentẽ nec maiores ignoremus? At qui doctrinæ titulũ nõ invidiosa arrogã-

tia

tia iactat, seipsum cognoscendum proponit, & in hoc vere nobilis est, quod non aliena luce splendescat. Vtrum obsecro Regis aut sapientis nomen maiorem Salomoni laudem adfert? Regem illum orbis agnoscit, sed sapientem colit & admiratur. Non familiæ nomen habent Scipiones, sed virtutis; & hinc Asiaticus ille, hic Africanus. Taceo sexcentos alios, qui posteaquam sibi nomen virtute pepererunt; familiarum suarum obliti videntur, & in proprio honore ambitiosi. Magna laus illa quidem si quem nobilem appellemus etiam Baronem, etiam Comitem; sed nescio an non illa maior, si doctum & eruditum esse dicamus. Sed cum illud iam sit in confessione sapientium omnium, quid attinet plura dicendo perdere sermonem? illud potius, ne dicamus tantum, agam' ut si in luce propria versari desideremus, ad eruditionem excurramus, & hinc laurum ac nomen arripientes, eruditos nos potius, quam nobiles prædicemus DIXI.

Exemplum Salomonis.

Præteritio.

Conclusio & sententia.

ORATIO VII.
PETRI DONIA FRISII,

Nobili maxime eloquentiam convenire.

NOlim existimare vos, AVDITORES, ea mente & consilio me eruditionem cum nobilitate, doctrinam cum claritate & dignitate requirere, ut ab eadem cæteras scientias repellam, qui in ea summam eloquentiam desiderem. Nam cum scientiarum cæterarum decus & ornamentum sit eloquentia, hanc in adole-

Exordium per amotionem suspicionis.

 scente

ſcente nobili dum requiro, ſorores eius cæteras non repello: hanc inquam, dum extollo, cæteras eadem laudis ſublimitate in gloriam aliquam perduco. Sed tamen permittite ut quod à veritate conceſſum eſt orationi noſtræ, veſtris animis nequaquam reluctantibus dicam, & promulgem eloquentiam & nobilitati maxime convenire, & eius præcipuum eſſe ornamentum. Quod quanquam tacito illo aſſenſu veſtro ſatis eſſe manifeſtum videatur, rationis tamen auxilium veſtram illam ad benevolentiam adducam. Atque utinam loqui pro me ratio ipſa poſſet; cognoſceretis clariſſimo eius radio perculſi eam eſſe generoſam nobilium indolem & naturam, ut attollere ſupra vulgus ſeſe velint, & inde illuſtres putare, quia eminent. Quid eſt vero quod cæterorum in admiratione conſtituere nobilem excellentius poſſit, quam quæ Reges ipſos & imperatores admirandos facit Eloquentia? Et ſi illud iam omnem veritatis aſſenſum evicit, in eo nobiles cæteris hominibus antecellere oportere, in quo homines ipſi cæteris animantibus ſunt præſtantiores, quis hanc excellentiam in Eloquentia non poſitam animadvertit? Profecto non hoc caput & erectus ille vultus, non excelſa proceri corporis maieſtas, non tenerrimus ille membrorum ſplendor, ſed oratio, ſed ſermo, ſed inquam, præclara illa vis mentis & oris, quam eloquentiam appellamus, hominem terræ dominum cæteris animantibus præſtantiorem reddit, & in ea imperium ipſi concedit. Quanquam & illud videamus, in quo videri volunt, & ab omnibus velut in theatro conſpici viri nobiles, & adoleſcentes. Quid illud vero eſt niſi bellum, cuius cum innatum habeant ardorem, in eo quoque apparere generoſiores, ſuperare fortiores, triumphare excellentiores deſiderant. Et quomodo tandem tam altæ mentis vota conſequentur, ſi Eloquen-

Conciliatio. Auditoris. *Sententia & propoſitio.* *Confirmatio.* *Ratio à conditione nobilium.* *Sententia.* *Vis eloquentiæ.*

quentia non adsit, quæ loquente Euripide omnia conficit, quæ etiam hostile ferrum neutiquam efficere valet? Et hanc non illi potius, quam gladios, quam arma cætera, quæ hostilis frangit impetus, compararent? Veruntamen taceam hic ego, & vocem uno ore efferant laudatissimi Veteres, qui eloquentiam rerum dominam esse dixerunt. Et hac destituti dominari se posse nobiles unquam confident? Audiant potius nobilissimum Poetam, credant etiam hanc esse virtutem unam, quæ furentem comprimat populum, quæ Reipub. conservet incolumitatem, quæ administrantibus authoritatem addat, Quantum enim est illud:

Transitio. Authoritas veterum.

Eloquentiæ effectus.

Ac veluti magno in populo cũ sæpe coorta est
Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus;
Iamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere silent, arrectisq; auribus adstant.
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Authoritas Virgilii.

Sed de Pyrrhe tacitus nunquam præteribo, cujus in hac causa vocem cur aliter quam rationem ipsam amplectar? Tu enim acceptum Eloquentiæ tulisti, quidquid in Græcia otiantibus armis superasti. Te quoque Magne Alexander cur hic non implorem, ubi tui nominis authoritas, & magnitudo meæ orationis est veritas corroborata. Tu enim cum cæteris omnibus maior esses, Hercule te inferiorem judicasti, quia Eloquentia te superabat: qua in voce tua ac præclarissimo dictionis nostræ testimonio, sicut lubens supersedeo, ita eandem à nobilibus audiri libenter exopto. Sed ego, de vobis nunquam diffidam, AUDITORES, qui cum Nobilem scientiis omnibus ornatum esse debere credatis, jam illud etiam serenatis animis, & placidiori vultu judicare

Authoritas Pyrrhi per apostrophe. Alexandri Magni.

Conclusio cum sententia.

mihi videmini. Eloquentiam tamen præcipuum nobilium esse ornamentum. DIXI.

CAROLI de MARESCHAL NAMURCENSIS,

COHORTATIO

AD RHETORES ET POETAS PORCENSES.

Exordium à tempore veris.

OMnia nunc florent, nunc est nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet,
Et modo formatis operitur frondibus arbor,
Prodit & in summum seminis herba solum,
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit & in pratis, luxuriatq; pecus.
Nunc blandi soles, ignotaq; prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe figit opus.
Nunc patitur cultus ager, & renovatur aratro
Hac anni novitas iure vocanda venit.

Excitatio ad studium.

Quid ergo Rhetor? nondum
Cœtusq; vulgares, & udam
Spernis humum fugiente penna?
Quid ergo Poeta? Nondum
Avia Pieridum peragras loca nullius ante
Trita pede?
O egregii Iuvenes, ô
Sublimes animæ, pulchrumq; in nomen ituræ.
Iam tandem.

Æthe-

Æthereum sensum, atq; aurai simplicis ignẽ
Haurite Iam tandem vobis
——*Pieria tenero sub pectore cura*
- *Discendiq; vices & amor.*
Invitat aura, alliciunt Musæ, sordescens impellit otium. & *Occasione temporu & aura.*
Iam sylue, iamque antra loqui, iam vivere fontes,
Iam sacer horror aquis, adytisq; effunditur Echo
Clarior, & fausta spirant præsagia rupes.
Præsagia? prorsus messis cuiusdam opimæ, & optati fructus præsagia! *A fructu spectato.*
———*neque enim, ceu nescia falcis*
Sylva comam tollit, fructumque exspirat in auras.
Quin potius exclamem, Ad arma Rhetores, Ad arma Poetæ: Hoc est enim tempus, cum *A tempore quo ad arma milites redeunt.*
Rediere viris animiq; minaq;:
eum,
Dispositi in turmas rursus legemq; Severi
Ordinis, ut cuique ante locus, ductorq; monentur
Instaurare vias: tellus iam pulvere primo
Crescit, & armorum transmittunt fulgura sylua.
Quis obex generositati? quis alacritatem continebit murus? an asperitas frigoris? *Amplificatio à remotione impedimentorum*
Quid? quod hyems adoperta gelu iam deniq; cessit,
Et pereunt victa sole tepente nives.
Procedamus ergo: *Inprimis frigoris.*
Neque iam stabulis gaudet pecus, aut arator (igni.
Nec prata canis albicant pruinis.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire lauro.

At flore, terra quem ferunt soluta: (Lucis,
Nunc & in Ausoniis Phœbo decet immolare
Seu corde poscat, sive malit igne.

A tempore æstatis. Optatum studii tempus adest, Æstiva recreamur aura, & spes operis resurgit, quando

Arboribus redeunt dentosa frigore frondes
Vividaq; in gravido palmite gēma tumet.
Quaeq; diu latuit, nunc qua se tollat in auras
Fertilis occultas invenit herba vias.

Ab omnium rerum fœcunditate. Parturiunt omnia, & fœcundo semine jam fructus edunt.

Nunc fœcundus ager, pecoris nunc hora creandi.

Et nos hoc tempore torperemus? O non Iuvenes, Agnosce Rhetor honorem: Agnosce Poeta decus non desunt exempla laboris, si consideremus animantia. Quid avis?

Ab exemplo avium, Formicarum. *Nunc avis in ramo tecta laremq; parat*

Quid formica?

Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit, quodcunque potest, atque addit aceruo.
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri
Qua simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, & illis utitur ante
Quæsitis patiens.

Apum. Quid apes?

——*Agmine facto.*

Igna-

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentq; thymo fragrantia mella.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
Mane ruunt portis; nusquam mora. Obiectio.

Verum inquient Endymiones. sic est:
Labor improbus omnia vincit. &
Dii laboribus omnia vendunt:

sed vincit etiam somnus oculos, & aliquando dormiendum; imo summo reparantur vires. Nec ego naturam oppugno, sed Responsio cũ concessione aliqua.

Venator cum membra thoro defessa reponit,
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.
Iudicibus lites, aurigis somnia currus.
Vanaq; nocturnis meta cavetur equis.

Itaque.

Cui nil dulcius est bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena.

ita dormiunt, ut somniando laborem urgeant. Studiosi dormientes somniant laborẽ

Sic vitæ pars nulla perit, quodcunq; recedit
Noctibus, accedit studiis, animusq; vicissim
Aut curam imponit libris, aut otia Musis.
Et dubitamus adhuc serere atque impendere curam?

Ad hoc (inquit Marius) *& ex parente meo, & ex aliis sanctis viris didici, viris laborem cõvenire, omnibusque bonis oportere plus gloriæ quam divitiarum esse.* Viros labor decet.

Hac scilicet itur ad astra, cum conatus est omnium talis,

Qualis apes æstate nova per florea rura Similitudo.
Exercet sub sole labor, liquentia mella.

Si

Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

Ab authoritate. Ne illi falsi sunt (inquit Romanus quidam) qui res diversissimas pariter exspectant, ignavia voluptatem ac præmia virtutis. Nemo ignavia Immortalis effectus est, nec quisquam patrum liberis optavit ut æterni forent, magis ut honorati clarique vitam exigerent. *Omnia laborant.* Quid si dicam nihil esse quod non laboret?

Terra omni tempore.
Vere sinum tellus aperit floresq; ministrat
Tempore solis ager messes fert pinguis opimas,
Fœcundos Autumne lacus de uitibus imples,
Vis hyemis glacie currentes alligat undas.

Quis nescit

Sol & Luna.
Errantem lunam solisq; labores,
Vnde hominum genus & pecudes, unde imber & ignes?

Iam vero

Ipsa virtus, in arduo habitat & labore stipatur.
Angustum collem, tenuis quo semita ducit,
Ipsa colit virtus, magno stipata labore,
Sic voluere Dei. Sed summa in vertice mõtis
Planities ignota iacet, tutiq; receptus
Semper ubi fessæ poterunt requiescere mẽtes.

Audite ergo Condiscipuli, audite:

O Fortunati quorum iam mœnia surgunt.

Gloriosum est & iucundum laborare. Stipatur labore virtus supra collem, sed in summo vertice fessæ mentes requiescunt, ubi Musarum nutrix gloria animos exosculatur, & blanda voluptate demulcet. Vere

Tu sola animos mentemq; peruris gloria.

Vere, cum tuo melle animus est inebriatus, simul est labor diversus.

Et non sentitur sedulitate labor.

Tum laborum meminisse. Iucundi sunt acti labores, Suauis est præteritorum memoria. Imo

Quod fuit durum pati, meminisse dulce est.

Re-

Revocate animos, mœstumq; timorem
Mittite, forsã & hæc olim meminisse iuuabit.

Et si

Æstas non semper fuerit, componite nidos.

Ita fiet, quisquis sis tandem ut

Si paulũ paulo addideris, pergasq; frequenter
Hoc facere, exsurget magnus tibi forsan acervus.

Non est ab incepto desistendum, aut resistendum. *Incitatione desistant.* Olim Orpheus

Restitit, Euridicenq; suam iam luce sub ipsa
Immemor, heu victusq; animi respexit, ibi omnis
Effusus labor, atq; immitis rupta tyranni.
Fœdera.

Ita qui subsistunt in cursu Studiorum, & in umbra desidiæ reclinant latus, gloriæ voluptatem, & præteritum laborem amittunt. Qui vero generoso spiritu culmen virtutis & fastigium scientiarum attingunt,

Si fractus illabatur orbis,
Impauidos ferient ruinæ.

Vellem adesset hic Apollo, & implens Rhetoricam hanc suo numine, vos aut cythara sua, aut voce dignaretur! uteretur, ita confido, hac voce Catonis: *Prosopopæia Apollinis.*

O quibus una salus placuit mea castra secutis
Indomita cervice pati, componite mentes
Ad magnum virtutis opus, summosq; labores.
Vaditis in campos virides, præruptaq; Pindi
Culmina, qua doctæ saliunt è fontibus undæ.
Durum iter ad laudes; veniant, atque invia tentent.
Si quibus in magno positũ est clarescere voto.

Hi

Hi mihi sunt Comites, quos ipsa molestia ducet,
Discrimenq; novũ, studium, labor, ardor, arena
Dulcia virtuti, crescit sapientia duris,
Latius est quoties magno sibi constat honestum,

Sit illa vox Apollinis audita vobis: sed ego vos

Alloquor, ô Iuvenes,
Mea quos spatiis propioribus atas
Attigit.

Peroratio in qua adhortatio per apostrophen.

Ego, inquam, te Rhetor, dux tuus & miles tecum in arena nobili compello.

Aggredere & digno rursum te redde labori,
Nec tibi sufficiat transmisse gloria lucis.
Praclarum curare decus, quis terminum unquam.
Prascripsit? nullas recipit prudentia metas
Crescite virtutes fœcundaq; floreat atas
Ingeniis patuit campus, certusq; metas
Stat favo, ornatur propriis industria donis,
Concinuit felix Helicon, fluxitq; Aganippe
Largior, & docti riserunt floribus amnes.

Correctio cum obiectione.

Sed aberro, currentibus addere calcar dum laboro, ita enim vos tacita cogitatione loquentes ausculto:

Nulla quies placet in nullo sunt otia fructu'
Sed populum turbamq; petunt,

Prosopopœia. Auditorum

Iam redeat linguaq; decus regnumq; loquẽdi,
Ingenii redeant vires.

Exclamatio.

O cogitatio generosa! ô excitati vigor animi! Vere

Pauci quos aquus amavit
Iuppiter, aut ardens euexit ad athera virtus.

Correctio. Obiectio.

Et quidni vos isti pauci? Iam omnino non aberro, Et si currentibus addere calcar non possim, possum tamen incitare currentes, Sed inquietis. cur

Cur incitas, & non ad cursum te nobiscum accingis? Ecce supersedeo verbis & socium in arena me iungo vobis, dux, miles & idem, paratus ero. Si postulat officium meum ut præcedam, excusare interim imbecillitatem, conabor tamen; & si turpis est cum oriatur honor, vigilantia & labore stipabo honorem. Ita votum meum audite, Condiscipuli Rhetores, & quem Scholæ vestræ patimini Ducem, socium laboris habete. Ita vos quoq; Poetæ Rhetorum labori laborem iungite, ut iunctis viribus ad nobilem eruditionis metam properantes, ætatem nostram in fructu gloriæ coronemus.

Offert se socium laboris

Adhortatur ad laborem.

DIXI.

DISSERTATIO.

Quęnam liberalium Artium in Rep. Principatum debeat obtinere.

ORATIO I.

Hanc in Rep. liberalium Artium Principem esse debere.

LAMBERTI VERREYCKEN BRVXELLENSIS.

Prima fores Sophiæ recluso limine pando.
Scribere quæ puerum rite loquiq; volo.

QVod si aliquando perturbatis naturæ legibus & huius amplissimæ rerum omnium universitatis ordine confuso, cælestis illius machinæ stellas omnes ac planetas, quibus

Exordium à simili ductio à sole.

bus lumen suum ac splendorem lucidissima Mundi lampas sol impertitur, cum sole tamen in arenam descendere, proque principatu certare videremus; nemo opinor ita omnem æquitatem odisset, quin vehementer certaminis indignitate commotus, voto voce, calculo victoriam illi palmamque tribuendam esse censeret, à quo omnes cœlorum ignes fulgorem suum mutuari videmus. Iam vero contentionis indignitatem in clarissima illustris huius Academiæ luce licet intueri, dum nescio qua dicam generositate liberales artes impulsæ, suæque fortassis immemores ingenuitatis, de Principatu cum Grammatica certare contendunt, quæ non tantum lucidissima pulcherrimarum Artium fax effulget, sed omnes omnino suo è complexu educit, nutrit ac sustentat. Sed ego qui Grammatice non invitus ac perlubens partes suscepi, quoniam vester ille favor calculum polliceri videtur, ita agam, ut quem debeo Grammaticæ scientiarum omnium parenti affectum ostendam, ac tantam eius in Reipubl. dignitatem utilitatemque demonstrem, ut ad pedes eius ceteræ artes palmam deponant, sceptrum concedant. Et ecce huic scientias omnes atque artes appello, quid est tandem quod sine ea certo sciri percipique possit: quid est quod ex omni studiorum genere proferatur, quod non huic uni totum acceptum referatur? Illa est benigna mater qui rudes puerorum animos ad humanitatem informat, quæ os tenerum ac balbum figurat, quæ mores instituit, quæ nisi tanquam nutrix cæteris opem suam contulerit, aut omnino non percipientur, aut squalidæ, ieiunæ, incultæ, omni denique lepore & elegantia spoliatæ languebant. Illa est quæ nisi cæteris scientiis fideliter fundamenta iecerit, quidquid superstruxeris, corruet, necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis secretorum comes; & quæ vel sola plus operis habet quem osten-

Accommodatio ad propositum.

Propositio.

Confirmatio. Primum argumentũ à necessitate.

Similiter desinens.

Probatio & amplificatio ab effectibus.

ostentationis. Et vero nisi illa Rhetoris in ore verba formet latina, pura, selecta, quid aliud quam inanes proiiciet Ampullas; & tumultu quodam non animos vincet, sed terrebit? quid cæteræ tandem artes eloquentur, aut quomodo fructum suum Reipub. communicabunt, nisi prius in huius parentis sinu vocem hauriant & confirment? Nimirum cæteris artibus lumen quoddam Grammatica prælucet, ut cæcæ non aberrent. Nimirum in scientiarum ædificio, præclaraque substructione fundamentum est Grammatica, ne corruant de repente. Nimirum cæterarum condimentum est disciplinarum Grammatica, ut cum hoc sapore displicere non possint. Sed ego quam parum dico, qui quæ summa sunt non attingo? Versentur in Reipub. subselliis quandoquidem in his principatum ambimus. Quis hic non litterarum cognitionem requirat? At vero hanc Grammatica subministrat. Quis scribendi rationem non exposcat? At Grammatica illam omnem exponit. Quis linguam excultam non desideret? At Grammatica illam excolit. Atque ut in eius amplitudine magnitudinem eius cognoscatis, Poetas Grammatica producit, omnis ætatis historias illustrat, veterum monumenta dispundit. Vnde arbitror factum esse aliquando, ut clarissimi præstantissimique viri Crates. Mallotes, Lælius Præconius, Aurelius Opilius, Orbilius, Pubillus, alii plurimi in principe orbis urbe Grammaticam summa cum laude profiterentur. Quantum, & Verreum Flaccum Grammaticum tantum, sed tamen tanquam alterum Imperatorem egregiam statuam in foro meruisse? Quantum est Iulium Cæsarem dictatorem sui temporis Grammaticos civitate donavisse? Quantum est Severum & Antoninum à publicis muneribus immunes ac liberos Grammaticos esse voluisse? Extollat Rhetorica Ciceronem suum, de Rhetore Consulem.

Necessaria cæteris artib.

Allegoria.

Necessaria omnibus in rep. versantibus.

Subiectio.

2 argumentum ab amplitudine & dignitate.

Veteres Grãmatici.

Honores Grammaticis decreti.

Interrogatio cum repetitione.

Nun-

Nunquid Frontonem Grammaticum Antoninus Imperator qui Philosophus appellabatur, Consulem creavit? Nunquid eandem dignitatem Gratianus Imperator Ausonio Grammatico est elargitus? Nolo ego temporum nostrorum meminisse, quibus gloriosissimæ quæq; Resp. vel Antistites vel Principes, Grammaticos extulerunt. Illud dico tantum, quod si Grammatici principatum in Repub. tenuerunt, ab eo Grammaticam nunquam esse removendam. Regnet illa sine qua ceteræ prorsus esse non possunt; imperet illa quæ scientiarum omnium est mater, dominetur illa, quæ ut omnia sint, omnia eruit è tenebris, & ut omnia fulgeant, suo fulgore cuncta illustrat: Nimirum

Conclusio.

Grammatice reliquis elementa viamq; ministrat.
Artibus, & solido cunctas fundamine fulcit.

DIXI.

ORATIO II.

Pro Rhetorica.

Hanc artium reginam in Repub. esse.

NICOLAI MOVRMAN

IASPERIENSIS.

Si quid dicendum est dico, bene verba colorans
Qualibet eloquio sit bona causa meo.

Exordium à necessitate Rheto-

LÆtor non parum, ô Clarissimi Viri, honorandi AVDITORES, ita me hodie pro nobilissima Rhetoricæ facultate in hac artium con-

concertantium arena versari ut principatum cæteras artes ambire sic animadvertam, ut sine Rhetoricæ supellectile, divina cœlestique voce ne quidem petere vel audiant, vel possint; hærerent imo mutæ, & in hoc Circo gloriosissimo concitatam jam ambitionem desererent, nisi ad eloquentiæ nostræ adminicula tacito nostro consensu confugerent. Et esset quæ Rhetoricæ Principi suæ palmam auferre desideraret? Sed lætor adhuc amplius & gaudiis insolentibus incedo, illum hodie diem illuxisse, quo suas opes amplissimas ac præstantissimas explicare Rhetorica possit, & à petendo principatu, cæteras artes sola voce deterrere. Te enim, quem Grammatica suum Oratorem elegit, iam rogo, ne tuas voces Rhetoricæ fluminibus oppone: plus in Rep. viri quam pueri possunt. Vos vero cæterarum Artium Nobilissimi Patroni, quorum è vultu atque oculis iam ardor quidam erumpit, videre quam periculosum certaminis aleam moveatis; turpe non est suo in gradu atque ordine servire, at eo adspirare, quo attingere nunquam possitis probrosum est & infame. Non qui cœlos numerant aut stellas, qui altitudines aut profunditates metiuntur, qui Sophismatum argutias contortis enthymematum jaculis vibrant. Resp. prudenter administrant. Non in Curiis sedent Legum conditores, aut tribunalia Iudiciorum quæsitores implent, qui calculos numerando movent, aut linguam cantillando exercent. Hic sapiens pectus cogitationes profundissimas subministret; hic exercitata dicendo lingua Rhetoricæ gratiis roribusque perfusa legum vim & iudiciorum authoritatem propugnat. Vultis igitur Rhetoricæ utilitatem in Rep. certando producam? O mihi quis se campus orationis expandet? retinere dicentem, abripiat enim, & torrente me suo Rhetorica suas in utilitates effundet. Qui sunt obsecro, qui in Repub. seden-

rica quam alia artes fatentur.

Propositio.

sedentes orbem hunc nostrum suam tanquam urbem tenent, administrant, conservant Credo Pontifices & Antistites, Reges & Principes. Magistratus, Iudices, belli duces, patroni. Iam vero quibus aut viribus aut armis Ecclesiarum Antistites religionem pietatem, concordiam, omnem denique virtutem hominum animis imprimunt ac persuadent? Non hic tubarum clangores audiuntur, sed eloquentiæ vox potens, qua qui armati, hominum animis imperitant, infulas in Ecclesiis & cathedris merentur. Nimirum qui concionum sacrarum impetu obstinatos hæreticorum animos expugnant, piorum vero hominum mentes eloquentiæ suavitate deliniunt, vitia proscribendo, virtutem excitando, hi sunt tandem quos in Ecclesia suffragiis universorum dignitates coronant. Tantum nominabo, sed vos in memoriam revocate fulmina fluminaque eloquentiæ, Ambrosios, Lactantios, Chrysostomos, Hieronymos, Augustinos, Cyprianos, quis eorum in administranda Rep. Christiana gloriam se speret adæquaturum, qui eorum eloquentiam non possideat? Versor in re notissima, sed utique verissima; & horum temporum perturbata conditio hanc vocem extorquet. Hodie hodie eloquentes Ecclesia requirit, ut dum omnia furor hæreticorum permiscet, fulgurent fulminentque Catholici, vincant animos eorum & seditiones componant. Venio ad Principes & Reges, quorum cum sit belli pacisque tempora administrare,

Probatio ab enumeratione commodorum.

Necessaria Antistitibus eloquentia.

Agnominatio.

Probatio ab exemplis.

——duo sunt quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli & sapientia pacis.

Illa pacis sapientia eloquentia est, quam dum Herculi Gallico Alexander invidit, necessariam Monarchis esse ostendit. Non est profecto satis diademate sceptroque terrere. Vero verius Seneca: qui ingenia sanare, & fidem in rebus humanis

Necessaria principibus eloquentia.

nis retinere volunt, ſerio loquantur, & magnis viribus agant. Præclariſſimum firmiſſimumque eſt linguæ purpuræque præſidium. Tranſeo ad Senatores ac magiſtratus, qui ſi in Curiis ac Regum conſiliis non mentem duntaxat explicare, ſed populos flectere, mulcere, ſuam in ſententiam pertrahere debent, quam non illi facundiam requirunt? Veriſſimum eſt vetus illud verbum, lupum quidem auribus haud teneri poſſe, populum autem inde maxime duci oportere. Et nunquid olim Quintiliano teſte quanto quiſque plus dicendo poterat, tanto plus apud Principes gratiæ, plus authoritatis apud Patres, plus notitiæ, ac nominis apud plebem parabat? Super ſedeo infinitis exemplis, turpiſſimum vero eſſe dico uno verbo (placet) atque uno capitis nutu in aliorum ſententiam tranſire; dedecoroſum etiam balbutiendo aut Regi aut Reipub. conſilium ſuggerere. Aſſidet Themidi Minerva, ut in Republica cum juſtitia ſedeat eloquentia. Quis nunc in foro legum authoritatem Iudex defendet, aut in exteris regionibus regum voluntatem legatus aperiet, qui eloquentia Rhetoricaque deſtituatur? Atque ſi conditores urbium elegantia oratoria & illico facundiæ diſpalatos homines ad civitatem politicamque vivendi rationem pellexerunt, ſi legum Conditores eloquentiæ fulcris adminiculati, leges ſaluberrimas condiderunt, quomodo ſine Rhetorica ſervabuntur urbes, aut iura cuſtodientur? Dicamus & de Imperatoribus ducibusque belli, quomodo illi regere conſiliis & moderari res magnas ſine voce docta & Oratoris vi unquam poterunt? ſiquidem Imperatoris vehementi concione erecti, excitatique in procinctu milites ardua quæque & formidoloſa deſpiciunt, & propoſitam in laudem victoriamque acriter decertando conſpirant. Non ſic auribus percepti tubarum clangores animos ad pugnam acuunt

Neceſſaria magiſtratibus.

Authoritas Quintiliani.

Neceſſaria belli ducibus.


Compar.

aut irritant, quemadmodum hortatrix ad virtutem & gloriam oratio intrepitas expeditæ aciei mentes ad opposita pericula erigit stabilitque. Illastrages generose solatur, vulneribus medicinam addit, vires reparat, virtutem infundit. Idcirco Franciscus primus Rex Galliarum & bellis exercitatissimus, nunquam prœlium commisit, quin ante perorarit, mucronibus acumen, gladiis aciem, neruis, corporibus animisque vitam addendo, unde ardorem milites à concione gladiis elatis significabant. Idcirco Cæsar territos Germanorum aspectu Romanos, trepidantes ac desperantes sola voce victores effecit. Quid est igitur quod in Repub. restet nec Rhetoricæ præsidium requirat? O vere Repub. Reginam eloquentiam! Et vestra non Regina esset & artes ingenuæ? Illi stipendiariæ floretis, vocem ab illa cultumque recipientes; illi vitam vestram debetis, per quam in lucem abitis; sine illa latitandum vobis esset in scholarum Cathedris, sine illa hærendum esset vobis in pulvere vestro. O si auratum vultum ejus hoc in certamine intueri liceret! Sed non hodie illum expando, & si utilitate principatum mereri licet, vicit Rhetorica omnium utilitatem; & quæ olim Athenis, Romæ, in omni denique gloriosa Republica regnavit, regnum suum hodie per vos Clarissimi AUDITORES, retinere concupiscit: judicate & retinere. Nimirum

Conclusio.

Rhetorice vario delectat splendida cultu,
Ornatumq; adhibet dictis, vivosq; colores:

DIXI.



ORA-

ORATIO III.
Pro Dialectica.
Eam cæteris artibus præstare.
IOANNIS à TVRRI
LVXEMBVRGENSIS.

A falso verum, à curvo distermino rectum:
Discenti dubiæ duxq; comesq; viæ.

SI quis est, qui à me Dialecticæ Patrono diffusam, phaleratam, lenociniis ac fuco pictam orationem exspectet, is multum se falli sciat. Neque enim oratione, sed ratione certare Dialectica cupit; nec verborum ornamenta iactare, sed argumentum momenta ponderare, Quod cum dico, iam mihi tecum, ô Grammatica, nihil est, quæ vocum mater, vocabulorum stateram tenes ac iudicas. Nihil tecum, ô Rhetorica, quæ loquax & verbosa plus dicis, quam facis; plus ostentas, quam præstas; & dum orationem sequeris, sæpe rationem excludis. Nihil mihi vobiscum est, Nobilissimæ Artes cæteræ, sed vobis multum est mecum, quæ ut nihil vestris in rebus ac materiis sine ratione assequimini, ita sine Dialectica nihil potestis. Quid? nondum ceditis? nondum receditis? Si vinci gloriosius, quam arenam detrectare putatis, descendo in arenam, & Dialecticæ principatum ratione evinco. Atque imprimis illud à vobis omnibus quæro, nunquid nihil in homine præstantius est ratione, quæ hausta de cælo divinæ particula auræ hominem sola hominem facit, à belluis distinguit, ornat, illustrat? Bene est, annuitis, & iam mihi tacita mente ita loqui videntur omnes.

Exordium ab expectatione auditoriũ & Dialecticæ conditione. Deprimit cæteras artes

Propositio.

Confirmatio.

1. Argumentum à natura Dialecticæ

Obliqua prosopopæia. Igitur Ars illa quæ directrix ac formatrix est rationis, cæteris quoque præstat & antecellit. Et nunquid idcirco Ars Artium, scientia scientiarum appellatur? Nunquid tota circa intellectum ita occupatur, ut illum tanquam magistra regat *2. Argumẽtum à materia.* & instruat? Quid obsecro, sine hac facies? Si ad scientias alias contendis, hæc ianua est; si recludere veritatem exoptas, hæc clavis est. Dicat De- *Subiectio.* mocritus demersam in puteo, cui fundus non sit, *Repetitio.* veritatem esse; hæc eruit. Dicat Anaxagoras ean- *Similitudo.* dem tenebrarum caligine circumseptam esse; hæc in lucem producit. Atque quemadmodum sol perspicax ille mundi oculus serenato vultu mundum illustrat, ac recreat universum, ita per Dialecticam cæteræ artes illustrantur, fulgent ac splendescunt.

Est Pharus ardens, & periclitantibus in rerum cognitione collucens. Est Dux illa, quæ monstrando terram ostendit, quæ ad portum dirigen- *Transitio.* do perducit. Quanquam ne titulis tantum qui- *Ad 3. argumentum ab utili.* busdam videar gloriari, penderemus utilitatem. An non sine hac una cæteræ artes nudæ incultæque iacerent? an non per hanc unam illustres fiunt, & in luce quodammodo volitare videntur? An non scientiarum omnium basis est & fundamentum? Vtiles sunt artes aliæ ac scientiæ: imo, nec inficior, utilissimæ. Quid? an non istam à Dialectica hauriunt utilitatem, quæ sine ea, veri- *Repetitio.* tatis intueri solem non possent? Hæc est, quæ indagine quadam inveniendi Locos circumdat, & captam veritatem adducit. Nec est quæ iudicandi rationem tradit, ut omnino sine ea aberres. *Subiectio.* Definiendum est aliquid? Huc accurras oportet. Dividendum est aliquid? Discere hinc modum oportet. Ratiocinandum est? Hæc tibi Enthymemata contorquet, Syllogismos instruit, Dilemmata opponit. O me impudentem! parva confector, maiora relinquo. Quid ages ô Christiane? quo-

quomodo tandem hæreticorum inimica tela retundes, si hac arte non sis instructus? Nihil vis illa Theologorum possit, nisi armis Dialecticorum posset. Nihil authoritas obtinere legum, nisi Dialecticorum potestas accederet. Verum enimvero frustra verba urgeo, ubi unica ratione victoriam licet obtinere Repeto & finio, vos Dialecticæ Artium reginæ palmam porrigite. Nimirum. *Conclusio.*

De themate omnigeno Dialectica disputat, & qua
Quærendum in dubiis sit verum, indagine monstrat.

DIXI.

ORATIO IV.

Pro Astrologia.

Hanc cæteris artibus antecellere.

IOANNIS CVLENS WESEMALENSIS.

Aurea sublimis contemplans ætheris astra,
Sidereos motus mente viseq; noto.

INdignum est prorsus, honorandi AVDITORES, me Astrologiæ Oratorem in hoc Artium certamine divinæ illius artis, & cælestis disciplinæ partes ac causam hodierna die in conspectu vestro gravissimo defendere ac tueri debere. Etenim non Astrologia terras, sed altissimum cælorum culmen attingit; non hæc in terris abiecta languet, sed in superum illum mundum ascendens, cœlestium orbium globos & fulgentissimas stellatæ machinæ faces contemplatur. *Exordium ab indignitate præsentis certaminis.* *Conditio Astrologiæ.*

Ergone cœlum terræ, cælestis Harmonia Musis, Lux solis exiguis cæterarum artium facibus cedet? Sed quoniam veteri Regem homines non solent, nisi multorum corona stipatam, sceptro ac diademate adornatam maiestatem eius intueantur, discant hodie nobilissimæ artes cæteræ quantum cæteris sua maiestate Astrologia antecellat: quæ ut ardua est & cæterarum artium excellentissima, ita non in terris terrena tractat, sed in cælis cœlestibus occupationibus detinetur. Et vero quid præclarius esse potest in hominum vita, quam ea disciplina, quæ in orbe illo cœlesti, relicta sub lunarium corporum mole, quasi triumphat, & eos cognoscit orbes qui rerum omnium causæ, res omnes suo quodam influxu ac splendore producunt? Hæc est quæ altissimas alterius orbis & cœlorum regiones perambulat, ac DEO ter Opt. Max. quasi vicina, per se cultores suos divinos & immortales constituere videtur, ad terras redeamus, habitet Astrologia cum cæteris artibus in hominum quotidiano cultu, an non in terris existens, divina tamen & cæterarum Artium Princeps esse videtur? Etenim Theologiam ad veram & sinceram Dei ter Opt. Max. cognitionem per cœlorum contemplationem deducit: Philosophiam per cœlorum motum ac numeros ad veram ipsius sapientiæ finem promovet. Nec ipse Philosophiæ parens Aristoteles aliter quam per constantem & invariabilem cæli motum Deum æternum & immortalem investigavit. Medicinam in authoritate constituit, ut prudenter Galenus monuisse mihi videatur, ne se quispiam medicorum manibus Astrologiam ignorantium committat. Quid dicam de Poetis & historicis, quos intelligere in Academiis nisi Astrologus nemo potest? Quis privatam debite rem administrare, quis publicam cum utilitate honorifice gerere potest, qui siderum ratio-

Propositio.

Argumentũ à rebus & materia.

2. Argumẽtum ab utilitate Astrologia in scientiis.

Enumeratio utilitatum.

rationem ignoret? quantæ utilitatis sit ars nautica, cuius auxilio maria perambulamus, & disiunctas orbis partes coniungimus, frustra in omnium notitia fortassis requiram, sed tamen quomodo illa tantam utilitatem Reip. conferret, si non Astrologiam ducem haberet? Militari porro disciplina quidquamne utilius civitatibus & imperiis esse potest? At illam infirmam quis nescit, nisi Astrologiæ cognitione fulciatur. Ita aliquando Sulpitius Gallus Tribunus militum explicata Lunæ obscuritatis causa adversus Persem Macedoniæ Regem consternatum exercitum erexit. Ita Rex Ferdinandus prædicta Barbaris solis obscuritate, quam æternam futuram illi putabant, commeatum à Barbaris extorsit. Sed non prosit Astrologia, nihil ad cæteras scientias conducat, verum ita amabilis, ita delectabilis, ut non immerito sapientissimus olim, & sapientiæ ipsius filius divinus Plato Astrologiæ unius causa oculos nobis esse concessos affirmarit. Et certe nisi summa huius disciplinæ jucunditates esset; non tot Reges & Imperatores maximi ea potissimum fuissent delectati: non hanc coluissent Iulius Cæsar, Adrianus Imperator, Alphonsus Rex Hispaniæ, Carolus Quintus, Maximilianus Secundus, Philippus Secundus Hispaniarum & Indiarum Monarcha. Non alii plurimi fuissent, qui duodecim, qui 46. qui plures etiam annos considerandarum stellarum causa sub dio transegissent. Sed ne nimium videar urgere ubi meritum per se satis evincit; non dicamus primam omnium & antiquissimam artem esse astrologiam, quam Adamus, Noe, Abrahamus coluerunt, quam Ægyptii Babylonii, Assyrii, Æthiopes tenuerunt. Taceamus, teste Iosepho, idcirco veteres illos vitam tam longam duxisse, ut Astronomicis tam diu rebus vacarent. Quid vero? Artium omnium primã, Auditores honorandi, vestro calculo ne postremã

Probatio ab exemplis.

Permissio.

Transitio.

4. Argumentum ab antiquitate per præteritionem.

Conclusio.

efficitote, & quam divinam esse intellexistis, rebuspubl. tamen utilissimam Principem omnium esse iudicatote. Nimirum:

Cœlorum varios motus scrutatur, & orbes
Astrologus, penetratq; polos atque astra
pererrat. DIXI.

ORATIO V.

Pro Geometria.

Huic debitum inter artes Principatum esse.

WALTERI HOVEDENI HYBERNI.

Mensuras rerum spatiis dimetior æquis,
Quo cœlo distet terra locusq; loco.

Exordium à facto Platonis. QVod si olim, AVDITORES, humanissimi, divinus ille Plato vehementer admodum Eudoxo & Architæ succensuerit, quod ab arcanis Philosophiæ adytis Geometriam separassent; ita iure quoque merito indignari possem, cum eam artem hodie, quæ plebeios aspernata *Accommodatio.* homines cum Regibus in thronis sedet, à ceteris artibus in arenam provocari animadvertam; ut eas (si diis placet) quæ vere se illi submittere deberet excellentia & utilitate superiores agnoscat. At ne Geometriam inter humiles popula- *Propositio.* rium parietes habitare, & à vulgaribus & plebeiis coli existimetis, illam vobis ex sublimibus prin- *Optatio.* cipum sedibus, imo ex ipsis regum palatiis pro- *Argumen* ducam. Vtinam vero Demetrius ille Antigoni filius in hoc Artium concertantium apparatu adesset,

esset, qui Helepolim, (ut alias taceam) belli machinam ariete robustiorem, quam auxilio, & beneficio artis huius adinvenit, in medium proferret, qua Rhodum atque alias præterea non paucas urbes expugnavit: neque ille rex tantus sibi dedecori duxit unquam regias manus Geometricis rebus & instrumentis amovere. Vndenam quæso, Epeus Boerius equum belli machinam primus excogitasset, nisi Geometria modum suppeditasset? Hæc est, cuius ope contra Sextum Pompilium nova harpagonum genera Agrippa machinatus est. Hæc est, per quam oppugnationes fœliciter procedunt, per quam expugnationes peraguntur, per quam victoriæ obtinentur. Hæc est, quæ bellica tormenta, machinasque militares adinvenit, quæ campos disponendis arietibus metitur ac præparat, murorum ac turrium altitudines, fluminum profunditates, camporum latitudines cognoscit, & in victoriam convertit. Testis est Syracusanus ille Archimedes, cuius machinis fortitudo Marcelli tam diu cessit, cuius arti hoc est Geometriæ par esse Romanus exercitus vix potuit aliquando. Testes non veteres illi tantum, sed ii quoque, quos quadam excellentia Ingeniosos appellamus, quinque dum Principum favorem possident, cunctorum excitant admirationem, illisque atque eorum arti ea debemus accepta, quæ in armis admirabilia stupemus. Veruntamen pacis quoque tempora Geometria iuvat & exornat. Nunquid sine illa neque templa, neque domus, neque arces ædificari possunt? Nũquid illam statuaria necessariam & pictoria requirunt? Plura non dico. Geometria igitur, quoniam etiam artes omnes nullam ea in probationibus certiorem esse fatentur, regnet in terra, quam mensurat, & principatum consequatur, quæ meretur. Nimirum

tum ab exemplo & utilitate.

Repetitio.

Enumeratio utilitatum.

Disiunctio.

Probatio ab exemplo Archimedis.

Argumentũ à necessariis.

Conclusio.

Terrarum spatia, & metas Geometria ponit
Distinguitq; plagas, montes ac flumina lustrat. DIXI.

ORATIO VI.

Pro Arithmetica.

Hanc in Repub. artium omnium utilissimam esse.

PETRI PARIZOTI

LVXEMBVRGENSIS.

Par impar numeris vestigo rite subactis,
Me pete, concinne si numerare cupis.

Exordium à remotione ambitionis. FAcessat ambitio, & insolentis procul hinc fastus superbiæ recedat: neque enim, quanquam arenam non detrectet Arithmetica, ambitionis eo fastu intumescit, ut principatum superba quærat. & scientiarum Imperatrix cæteris artibus ius dicat ac honores dispenset. Satis est, inquit illa, si prosim. Nimius est vero ac non ferendus fortasse fastus, à quo fructus nullus unquam exspectatur. Miratur autem ac vehementer etiam obstupescit, eam hodie cæterarum artium in hoc certamine ambitionem apparere, ut non iucunditatis, sed superbiæ certamen esse videatur. Quis est qui non animadvertat, ac non etiam contortis humeris aspernetur? *Propositio.* Adestis spectatores, Iudices sedetis, Ornatissimi Auditores, videte non pulverem arenæ, sed certantium utilitatem; ac serio tandem principatum illi deferre, quæ superbiam cæteris relinquit, summam vero Reip. utilitatem impertitur. Scilicet puerorum Gramma-

matica nutrix Rempubl. administrabit ? Syllabas in ea junget, voces conficiet, orationes colligabit, & imperabit ? Scilicet Reipub. Theatrum Rhetorica occupabit, quam Areopagitæ severissime proscriptam eiecerunt; Romani nimium crudelem in Gracchis experti sunt ? Non est artis garrulæ curias implere, & profunda sapientis animi consilia moderari. Scilicet Dialectica fallaciarum Magistra, cæterarum tantum instrumentum scientiarum ac ancilla, jus in cæteras obtinebit ? Et Remp. tanquam Atlas cœlum, sustinebit ? Vetabunt dii superi. Non ibo jam per omnes, nec omnium ambitionem numerabo : per me licet, regnet in cœlis Astrologia quos regit, & dum in terris ignara versatur, terrarum palmam terrenis artibus relinquat. An non Arithmeticam in Rep. Geometria præcedet, quæ dum terras tantummodo mensurat, nullas omnino procurat ? quam illa mihi esset ac jaceret, si Arithmeticæ destituta subsidio relinqueretur, An Musicæ tandem & in subselliis Reip. palmam deferemus ? Nimirum ut hominibus imperitent aves, à quibus homines Musicam didicerunt ; nimirum ut levissimam artem honoremus, & plenam periculorum, si diis placet, Reginam foveamus. Videtis quis hanc ventus ambitionem propellat, quo se fastus non ferendus effundat, ut ex dominentur in Rebusp. artes, quæ Respub. si non perdunt, certe deturpant ac diffamant. Sed fortassis de Arithmetica quid dicturus sim exspectatis : nolite ambitionem exspectare; non ambitiosa est Arithmetica, non fucum obiicit; non fastum ostentat, illud tantum dico, & pro ipsa dico: Tolle Arithmeticam, confusio erit in orbe, nullius in Rebuspublicis ordo, ubique perturbatio. Intueamur curias & in iis eos considere mus, qui Rerump. ordines constituunt ac regunt: quoties illi dividere, quoties divisis addere ;

Depressio cæterarum artium.

Ironia.

Repetitio.

Permissio.

Confirmatio.

Argumentum ab utili & consequentibus.

Necessaria magistratibus.

Gradatio. quoties addita detrahere necessum habent? Con-
Necessaria Quæstoribus sideremus in iisdem Quæstores quorum est vecti-
galia Regum, Rerumque publicarum exercere,
colligere, conservare, in usum ac necessitatem e-
ducere, distribuere. Quoties illi numeris nume-
ros addere, numeris numeros detrahere, illos per-
Necessaria belli ducibus. miscere, hos variare debent? Quanquam & extra
Rempub: mediis in campis Imperatores ac belli
duces constituamus: quam non illi Arithmeti-
cam requirunt, ut ordines ac turmas instituant,
aciem disponant, paribus viribus onera dispen-
sent, locorum intervalla ac temporum momenta
Necessaria mercatoribus. iusto numero ponderent? Rursum in Rep. mer-
catorum officinas intremus quonam se vertent illi
in tanta tot rerum variarum ac pecuniarum ratio-
ne, si Arithmeticam ignorent? Nunquid illi & di-
gitos suos & calculos consecrant? Sapere nimi-
um fortasse viderer, si Arithmeticam cœlo acce-
ptam proferrem, atque ipsam divinam maiestatem
terno personarum numero comprehensam, spiri-
tuumque ordines novenario distinctos esse præ-
Præteritio. dicarem. Lateant altissima illa, dum nihil am-
bimus: Lateant ea secreta, quæ Arithmeticis sæpe
numeris continentur, dum palam certamen ini-
mus. Scitis omnes eos ab omnibus pueros ap-
pellari, qui numeros ignorent. Non obscurum
est vobis, quantum sæpe iucunditatem intellectui
Arithmetica subministret Sed multo magis quan-
ta exercitatione illum acuat & expandat. Hæc
Conclusio. iactitent ambitiosi, hæc efferant superbi: satis est
Arithmeticæ de Repub. bene mereri, cuius meri-
tum cum vobis audientibus produxerim, hono-
randi Auditores, de tota re merito vobis iudicium
relinquo. Nimirum

*Tradit Arithmetice numeros, sparsimq; va-
gantes*
Colligit, & certa in summas ratione coercet:

DIXI.

ORA-

ORATIO VII.

Pro Musica.

Hanc utilitate iucunditateque cæteras artes superare.

LUDOVICI de RENESSE VLTRAIECTENSIS.

Carminibus nervos aptans, & carmina nervis,
Dulcibus exhilaro pectora mœsta modis.

VTinam, Honorandi AVDITORES, ipsa apud vos pro se Musica loqui posset, vosq; eius præclarum, vel potius divinum spiritum humanis auribus haurire possetis, nequaquam dubito quin sicut olim insignis ipsius alumnus Orpheus, bestias agrestes ac feras eius beneficio pertraxit: ita non modo vos, qui omni humanitate exculti atque expoliti hoc in certamine spectatores sedetis, verum etiam certantes in hac arena nobilissimas artes ad principatum sibi deferendum inflammaret. Veruntamen quoniam id assequi per naturam est nefas, ut præsentem hic Musicam intueamur; dabis mihi ô Musica sanctissima atque optima hanc veniam, ut tuas in hac arena partes grata & egregia voluntate defendam, illudq; verbis impetrare contendam, quod tuo tu ipsa cantu hominibus, & artibus non inuitis extorqueres. Ingredior igitur arenam: concedite Nobilissimarum Artium Oratores, ut pro Musica vobiscum sine invidia contendam. Vultisne igitur ut Regina Artium Ars sit illa & inter cæteras

Exordium ab optatione & simili.

Propositio per apostrophen ad Musicam.

Confirmatio.

Argumentum ab utili-

 prin-

principatum obtineat, à qua in Repub. utilitas maior redundat? Sit ista Lex pugnæ, sit scopus arenæ. Atque cum in Repub. status æterni fundamentum sit religio, præcipuum vero pacis ornamentum, honesta corporum animorumque relaxatio, hic Musicam utilitate disciplinis omnibus præstantiorem esse contendo, quæ religionem promovet ac fovet, recreationem animorum sola in Repub. producit atque conservat. Etenim quis hic nobiscum hodie communem hanc auram respirans, qui non homines ad sanctissimum quoddam gaudium commoveri animadvertat, dum suavissimos Musicæ sonos auribus hauriunt arrectis, & excipiunt attentis? quot sunt qui plerumque dum Musicæ suavitatem vacuis animis amplectuntur, non in pios quosdam gemitus ac lachrymas resolvuntur? Ita per Musicam ardentior pietas surgit, ita per dulcissimam harmoniæ illius modulationem, jam tum homines fœlicitatis æternæ suavitatem sibi quandam persentire videntur. Illa est suavitas amabilis, quæ clarissimum Ecclesiæ jubar Augustinum medullitus aliquando ita sauciavit, ut jucundissimi memor vulneris, postmodum exclamaret: O quantum flevi in canticis tuis, audiendo hymnos & psalmos, & quam interne vocibus dulciter cantantis Ecclesiæ tuæ permovebat! Illa est suavitas, quæ Beatissimum Ambrosium Ecclesiæ Doctorem eximium, & veram Christianæ pietati ambrosiam, ita vicit, ut in templis ac Sanctorum delubris deesse Musicam non pateretur. Iam vero cum vita hominum non tantum honesta esse debeat, sed & jucunda, quid est quod illum vitæ jucunditatem apportat? Musica. Quid est quod animi habitum recte ad honestatem informat? Musica. Quid est quod mentes rapit, raptas constringit, constrictas alligat, alligatas retinet? Musica. Hæc est illa quæ graves & acerbos casus, quæ turbulen-

Effectus Musicæ. *Interrogatio.* *Autoritas Augustini.* *Argumentum à iucundo.* *Complexio.* *Gradatio.*

lentas vitæ tempestates serenat, hæc est illa quæ tristitia fortunæ vulnera mollioribus & delicatioribus sanat cantilenis, hæc est illa quæ Senatoribus à curia defessis, nec illis tantum sed & civibus omnibus, negotiorum mole antea depressis mentem erigit, vires reparat, animam relaxat, vere dicam:

Musica turbatos animos ægrumq; dolorem
Sola levat, merito divumq; hominumque voluptas,
Qua sine nil iucundum animis nec amabile quicquam:
Ad cuius numerum superi vertuntur & orbes,
Et cælo radians ignes quibus emicat ingens
Signifer, & leges præscriptaq; tempora servat.

Quanquam liceat, AVDITORES, Musicæ cantum si non vocem audire, quid ais aut quid facis Musica?

Vinco, flecto, rego, cantu, dulcedine, plectro
Dira, cruenta, feros, tartara, mõstra, viros
Languentes relevo, morituros excito mœstos
Erigo pallentes munio, vinco Deos.

Vicisti ô Musica, cum tuus Orpheus suam Euridicem ab inferis recepit; flexisti, cum immanes ille feras, Barbaros inquam homines, cantu suo ad Civilem societatem pertraxit; Rexisti, cum Alexandrum Magnum cantante Timotheo suo nunc ab armis ad mensas, nunc à mensis ad arma revocasti. Languentem relevabas Achillem, cum ab armis ad lyram reverteretur: & excitas omnes, cum per te animum sumant omnes; erigis universos, cum per te mœrorem pellant universi. Munis, cum tepidos & abiectos audacia corroboras;

Apostrophe
Enumeratio effectuum,
Similiter desinens.

boras? vincis, cum non homines cantu tantum, sed & Deum capis. Nimirum

Musica multiplici mentes modulamine mulcet,
Cui præbent operam vox, fistula, tibia, chorda.

Conclusio interrupta cantu. Enimuero pudet verbis pro Musica dicere, audite, audite:

Factus est concentus aliquis Musicus.

GVILIELMI IMPENS

LOVANIENSIS.

Oratio suasoria.

Viro docto privatum potius, quam publicum vitæ genus esse amplectendum.

Exordium à diversa vivendi ratione. QVam multæ sint ac diversæ hominum omnium in hoc orbe mortali vitæ instituendæ rationes, non ignoratis, ornatissimi humanissimique Auditores, siquidem quocunque intueri atque oculorum aciem circumferre in hac rerum universitate vobis tandem libebit alios semper atque alios videre status est necessum. Sunt enim ho- *Aliqui populares.* mines nonnulli, qui nescio quib humanioru officiorũ retibus popularem auram venantur, aut si ma- *Allegoria.* vultis plebeiorum hominũ favori, levitatis cuiusdã vento velificantur: alii viliorem turmam dedi- *Aliqui ambitiosi.* gnantes animum ac pedem simul ad subsellia Rerumpublicarum attollunt, & in fortunæ dignioris amplexu vitam omnem impendunt. Nec pauci sunt quos cum sublimis aularum apex invi- *Aliqui aulici.* tavit, cæterorum turbas hominum fastu quodam derelinquunt, ac se Principis alicuius totos obse-

quio

quio mancipant ? plurimi vero aut natura sua ferventes, aut inusitatæ gloria virtutis excitati bella sequi atque inter arma vivere laborareque concupiscunt. Denique quorundam animis ea opinio insedit, ut privatam vitæ rationem inire, intraque parietes suos latitare quodammodo, nec aliis sibi vivere duntaxat velint & exoptent. In quibus omnibus ac singulis, tametsi variis diversissimisque vitæ statibus cum plurimæ difficultates, maximaque pericula reperiantur, animadverto quam arduam hodie ac non idoneam ætati meæ provinciam sim ingressus, qui de eo vitæ genere, & ex hoc loco, & apud vos disserere sum ausus, quod eligere amplectique debeat vir aliqua eruditione sua doctrinaque cæteris antecellens. Vndenam igitur dictioni auxilium requiram, aut ætati patrocinium comparabo ? si me respiciam, deterret infantia, & impositum humeris onus detrectat; si vero vos aspiciam, AVDITORES, recreor ac reficior non parum, iamque spes ætatis infirmitatem attollit. Audebo aliquid, atque ita omnem huius dictionis arenam instituam, ut excellentem doctrina virum primum ab Aulis abducam, deinde ab excelsis Rerumpubl. subselliis faciam abhorrere, ac multo amplius à bello: Quæritis autem quam ad vitam illum reducam ? Privatam cogitate, nihil dico tamen, nec vestrum illum assensum nisi ratio convincat requiro. Et ecce palatia principum atque aulas ingredior, in quibus quid obsecro tandem esse putatis, quod tot in se oculos ac corda convertit ? Equidem ita existimo nihil aliud aulam esse, quam pulchram turpitudinem, libertatem minime liberam, servitutem speciosam, ergastulum depictum & ornatum. Nam si libertatis iucundissimæ beneficio fruuntur, & animi sui tranquillitate veluti reges quidam vivunt ac regnant, quos nulla ambitio vexat impotenter, nulla invidia stimu-

Aliqui bellicosi.

Aliqui privatam vitam amant.

Accedit ad hanc orationem.

Conciliatio auditorum à persona Oratoris.

A persona auditorum.

Constitutio & partitio Orationis.

Propositio.

Transitio.

Confirmationis pars prima de vita Aulica.

Quid sit Aula.

Allegoria.

Repetitio.

Disiunctio à maiori ad minus. Compar. Ab adiunctis Aulicorum. Distributio. Ab occupationibus Aulicorum. Testimonium Arist. per Apostrophen.

stimulat acerve, nulla libido inflammat ardenter? quæ tandem eorum in animis libertas erit, qui ambitionis jugum trahunt, invidiæ laqueis irretiuntur, libidinis immersi luto vix respirant? Scilicet ii sunt ac perpetui comites aulicorum, anxietas qua torquentur, inquietudo, qua pereunt? dissimulatio, qua non sunt semper iidem, scilicet eæ sunt ac molestissimæ aulicorum occupationes, in excelso quæ posita sunt ambire, aliorum fortunis ac felicitati invidere, voluptates deperire, & voluptatibus nunquam satis satiari. Vnde tu profecto sapientum omnium, Aristoteles, magister, familiarem tuum & amicum Callisthenem monebas, nunquam aut raro regem Alexandrum alloqueretur, cuius in manu esset mortis ac vitæ potestas. Nihil possim, nulla sit nostrarum auctoritas rationum; habitet in aula vir eruditus: securus tandem vivet? Fraus sublimi regnat in aula. Pius erit, ac in Deum religiosus?

Permissio à periculoso. Subiectio. Testimonium Lucani. Testimonium Alciati.

——— exeat aula
Qui vult esse pius Virtus & summa potestas,
Non coëunt.

Liber erit, ac sui forsan iuris? audi Alciatum:

Vana Palatinos quos educat aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

Similitudo. Alia dua. Applicatio. Iterum alia.

Mores conformabit & ingenium? imo quemadmodum appetitum, & robur amittunt febricitantes, ita mentem ac bonos mores perdunt, qui principum aulas sequuntur. Nunquid Luna quo propior est Soli, minus lucescit? est apud Indos herba quædam sed odoris excellentis minutis referta serpentibus, quorum ictu protinus est unicuique moriendum. Et nunquid ita Principum quorundam Aulæ, quod alliciat, habent, sed lethale, nisi caveas, venenum occultant? Est apud eosdem spinas quædam, cuius succus oculis inspersas cœcitatem inducit. Et nunquid pulvis au-

licus

licus oculis inspersus homines excæcat? Verum si in speculis homines vultum suum melius intuentur & agnoscunt; vivis in speculis vitam aulicam contemplemur. Fuit aulicus Seianus & paris propemodum cum Tiberio Imperatore authoritatis. Quid deinde? Mane triumphali in curiam pompa à Senatu deductus, ita vespere laniatus ac discerptus fuit, ut quod tractare posset in eo carnifex non reperiret. Vixit in aula & in deliciis Iustiniani Imperatoris Belizarius, quis exitus deinde? post triumphum de Gothis & Vandalis bonis omnibus exutus, erutis oculis in eam vitæ miseriam est adactus, ut hac voce stipem colligere mendicatim cogeretur: Date panem Belizario, quem virtus extulit, invidia depressit. Egit aliquando cum Nerone Seneca, atque ita egit ut Imperatoris præceptor imperatoria liberalitate divitiis Romanos omnes superaret; sed quas postea cum sanguine venis apertis emitteret universas. Quid memorem Papinianum iuris asylum & clarissimum prudentiæ civilis iubar? ille quoque vidit aulam, in aula vixit & cum defendere parricidam Imperatorem Caracallam eloquentia sua non vellet, mortuus est, quid dico? contrucidatus est in aula, quamobrem prudentissime Poeta:

Traductio ad exemplã. 1. Seiani.

2. Belizarii.

Papiniani. Præteritio.

Vive tibi, quantumq; potes, prælustria vita,
Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.

Testimoniũ. Ovidii,

Tempus est ut ab aulis palatiisque regnum in Senatorum curias forumque Reipub. migremus, ut hic quoq; (si Diis placet) serenitatem aliquam & animi tranquillitatem (hanc enim vir erudi tus expetit) investigemus. Quid? ipso in limine curiarum pereo, & dum Reip. forum intueor, oratione repressa deficio! Perturbant me non parum ac pedem retro ferre propemodum cogunt præstantissimi olim Rerumpublicarum admini-stra-

Transitio. 2. Pars confirmationis de vita in Rep.

Dissimulatio.

Ab exemplo Ciceronis, & Demosthenis Subiectio. stratores Romani Imperii miraculum Cicero, universæque lumen Græciæ Demosthenes. Quid ille? administrandæ Reip. conditiones deplorare sæpenumero solebat. Quid hic vero? si duæ inquit, mihi viæ proponerentur, quarum una ad Rempub. altera ad interitum duceret, illam relinquerem, hanc amplexarer Et in Rep. viveret vir eruditus, quam interitu ipso, ac morte deteriorem quisquam unquam iudicarit? *Testimonium Antisthenis. Repetitio. Heracliti.* Hoc erat quod Antisthenes manifestare desideravit cum ad Rempub. non aliter quam ad ignem eundum esse respondit. Hoc erat cur Heraclitus Remp. ut deploratam contemneret eiq; dare leges cum rogaretur recusaret. Secessit tum enim in templum Dianæ, ibique puerorum lusibus, qui talos versabant, sese adiecit. Circumstabat & admirabatur illum populus. Perdite, inquit, an non præstat hoc agere, quam vobiscum Rempub. administrare? *Transitio Ab effectib. & miseriis Reip. administratorum.* Enimvero non ista audiant, qui non credunt, cognoscant vero & oculis suis atque animis repræsentent ea præmia laborum, quæ à Republica reportarunt, qui non immorari in ea tantum, sed immori quodammodo voluerunt. Et quæ obsecro sunt illi? exilium. Tantumne? addamus & mortem. *Subiectio.* Exilium à Repub. parum esset. Mortem à Repub nihil ultra est, & extremum à Repub. supplicium. *Apostrophe ad virum sapientem.* Agedum vir erudite contemplare Rempub. circumspice Senatorum subsellia, & animum infer in Rempub. elige tibi locum, ut exilio postea commutes eundem: indue dignitatem, ut cum vita mox exuas eandem. *Repetitio.* Si sedere & occupare subsellia concupiscis, surgendum est & abeundum in exilium; si rogare cæteros & administrare desideras, moriendum est. *Disiunctio Iterum exemplum Ciceronis. Disiunctio.* Non credis & orationi meæ iocum inspergis? Recordemur, si siccis oculis tamen possimus, Marci Tullii Principis Oratorum, nunquid qui à civitate flammam averterat, servitutis iugum à cervicibus

cibus excusserat, libertatem plene oppressam erexerat, tandem iugulum securi supposuit secandum? Concipiamus animo Themistoclem, magnum illum Græciæ totius propugnatorem, qui non semel è faucibus hostium patriam liberavit.; quo pretio vero, ac qua tandem mercede? exilio. Addamus hinc eadem cogitatione Scipionem, quem cum nomino, Romanorum omnium ævo suo fortissimum excellentissimumque produco; qui non satis habuit suo quasi corpore Romanum Imperium protegere, nisi illud quoque in Africam fulmine quodam armorum transportaret. Sed ô miseram virtutem! in Africam transportavit imperium, ut postea ab ingrata Repub. eiectus, seipsum in exilium transportaret. Meminisse tui, ô Demosthenes, non possum; & tamen cum mens ac consilium, imo os ipsum Atheniensium esses, vertere solum debuisti. Vobis horum omnium cogitationem, AVDITORES, relinquo iudicare an in Republ. sedere vir possit eruditus, ego interim orationem ad vitam privatam deflectam, quoniam eo me vestra in audiendo benevolentia iamdudum invitat, & ego non invitus accedo.

Similiter desinens. *Themistoc.* *Subiectio.* *Scipionis.* *Exclamatio.* *Demosthenis per Apostrophen Communicatio cum transitione.* *Renovatio attentionis.*

Hæc est Auditores optimi, vita illa, in qua libertas illa, quam ingenium requirit, illa tranquillitas, in qua floret doctrina; illa securitas, sine qua Musæ nihil possunt. Hæc est vita illa qua fælicitas est quædam; illa fælicitas quæ omnem possidet opulentiam; quæ virtutem est ac scientiarum. In hac vita tanquam in portu tranquillissimo, respirans olim mortalium omnium sapientissimus Socrates, Reipub. fluctus ac procellas irridebat. In hac tanquam sub lauro quiescens Philosophorum Deus Plato; fulmina Principum ab excelsis arcibus non pertimescebat. In hac tanquam in ipso pacis conclavi securè vixit Aristoteles, & ingenio immortali sapientiam

3. Pars confirmationis de vita privata. *Ab adiunctis vitæ privatæ.* *Repetitio.* *Gradatio.* *Ab exemplo Socratis.* *Platonis.* *Aristotel.*

Traductio. tiam sibi immortalem desponsavit. Ad hanc tanquam ad asylum, quos non numero, innumeri alii confugerunt; ut quiescentes peregrinarentur, *Annominatio.* peregrinantes non moverentur; ut ingenio negotiantes omnia emerent labore, ementes nihil *Gradatio.* perderent aut conferrent. *Interrogatio.* Et in hanc non ab aulis sapiens oculos centorqueret? & in hanc non à rebus publicis sapiens pedem inferret? hic potens virtute sua popularis auræ mendicos irridebit; *Contentio.* hic sibi rex factus & imperator aularum mancipia contemnet. Nulla hac fucata servitus, sed regnum. Nulla libertas insidiosa, sed status securus; nulla voluptas acerba, sed suavissimum vitæ condimentum contemplatio.

Peroratio. *Transitio.* *Allegorica.* Quid amplius dicam? Viri, si assensum præbetis AVDITORES, decurri provinciam, si me estis assecuti; onus humeris, quanquam imparibus impositum, ad metam detuli, si animis vestris accepistis.

Dubitatio. cum dissimulatione *Exclamatio* *Præteritio de vita militari* Quid? necdum excipis? adhuc assensum retinetis? adhuc ulterius cogitatione contenditis? quid est? nihil de bello fortasse dixi. Et in hoc vivere posse sapientem existimatis? ô me imprudentem! exciderat enim; ita me nimia vestra benevolentia pæne fecit obliviosum. Non ista vestros animos opinio peruasit, ut cum Matre ac Bellona habitare posse putetis sapientem; & me iam pudor quidam occuparat, ut vererer ne imprudens vobis viderer, qui in re clarissima perderem sermonem. *Contentio.* *Disiunctio* *Similiter desinens.* Non enim virum eruditum galea decet, non dexteram sapientis hasta, sed calamus exornat, non clangor recreat tubarum, sed dulcis reficit cantus Musarum. *Brevis repetitio confirmationis.* Vilescat igitur aula sapienti, sordeat eruditis Respubl. bellum doctis omnibus displiceat, privatam vitam, quisquis est doctus, amet, iterum dico, & iam antea sæpius. DIXI.

LAM-

LAMBERTI VERREYCKEN BRUXELLENSIS,

Oratio ſuaſoria.

Pro more Bacchanalium in Reſpublicis Chriſtianis retinendo.

LÆtemur, Auditores, frontem exporrigamus, ingenio ac genio geſtientes indulgeamus, Adſunt ter optati dies illi, quos Minervæ curioſioris homines Geniales nuncupant, ergo nec ingrata voce Bacchanalia vobiſcum appello. Illi dies Bacchanalium illuxerunt, quibus cum peccare libertas non poſſit, inſolenti ſeſe ſplendent apparatu menſæ, omnia tumultu grato permiſcentur, gula triumphat, venter exultat, culinæ laborant, penuaria vacuantur, cœnacula replentur, domus frequentantur, plateæ reſonant, urbes confunduntur. Quid amplius? pueri, juvenes, viri, ſenes, virgines, matronæ, domini, ſervique feſtos dies agunt, ac deducunt; Scholæ tacent, vel odioſæ cogunt; nihil cum libris, ſed cum cibis; nihil cum intellectu, ſed cum potu negotiandum, & dum venter hoc tempore totius anni fructum examinat, diebus iſtis æſtatis meſſes, & autumni fructus in hanc uſque metam delati, velut gratiſſimum naturæ vectigal intra ventrem reconduntur; imo ab horum humore dierum pinguique menſarum cultu novi veris flores exſurgunt. Non hic mihi capite demiſſo ſuperciliiſque contractis ſedeant Theologi; nimis eſt anguſta hominum iſtorum conſcientia; faceſſant hinc Catones, non vero vultus iſtos ſeveros, tetricamque cenſuram; fugiant & cito fugiant

Exordium à tempore præſenti.

Amplificatio à circumſtantiis & effectibus.

Amplificatio à remo-

tione impedimentorum giant gravitatis ementitæ Philosophi, non istam hodie gravitatem, nisi istos toruos humeros ac pectus fumo laudis inflatum olebit oratio mea. Bacchanalia sunt, & pro Bacchanalium retinendo more, quem nescio cuius homines sanctitatis

Reii it Rhetorum leges. exterminare contendunt, in arenam descendo. Et tu Rhetor, quid mihi leges istas tuas opponis, & meæ formæ limitesque præscribis orationi? sim fluxus, naturam enim sequor: sim solutus, etenim pro libertate retinenda surrexi; nec ego inanis exordii studiosus, vestram unquam benevolentiam Auditores emendicabo: novi vestrum ingenium, novi prudentiam; ut qui tenebras, carceres, ingenium non ametis; ametis vero vitæ licentiam, libertatem omnino liberam, volu-

Propositio. ptatem suavissimam & effusissimam. Advertite igitur, & quæ esse retinenda contendo oculis,

Confirmationis 1. *Argumentum ab instituto.* auribus, animis retinere. Atque illam inprimis Maiorum nostrorum prudentiam sapientiamque divinam propono, qui hoc tempore dies quosdam sepositos esse voluerunt, ad cutem farciendam, corpus fulciendum, locum excitandum. Quorum

Maiorum Antecedens Ratio instituti. dierum si mihi ab eorum mente rationem fas sit adferre, æquissimum profecto fuit, ut ad focum languidi sedentes, aliquos curandæ cuti dies liberaliter indulgerent. Nimis est severa vita, bonum instar languidorum ad focum pœnas eorum mente contemplari, qui in purgatorio flammis

Repetitio. expiantur. Nimis est otiosa quies, vel in horto, vel in lecto, ubi vel odor excitat, vel calor afflat,

Consequens Probatio ab authoritate. de Cœli suavitate cogitare. Quod si ergo de hac vitæ severitate remittendum est aliquando, nec ad istam justitiæ normam actiones hominum omni tempore sunt revocandæ; cur ni traditum à maioribus morem, nequaquam degeneres po-

2. Arg. à consuetudine. steri servaremus? Ne quis trium annorum consuetudinem violaret capite quondam sancivere runt Athenienses. Omnes semper ætatum omnium

nium nationes, consuetudinem, tanquam alteram naturam tenuerunt; ipsæ leges ac iura tamersi Cæsarum auctoritatem ostendant consuetudini cedunt ac parent. Et nos Bacchanalium consuetudinem, qua nihil antiquius repudiaremus? Et nos ita degeneres viveremus, ut quem à parentibus filii, parentes ab avis, avi à proavis, proavi ab atavis morem acceperunt, deserere, contemnere, exterminare desideraremus? Dicant senes, loquantur viri, vocem aliquam apportent adolescentes, usquamne quisquam vivit, ac ulla unquam ætate vixit, qui de Bacchanalibus non à senioribus intellexerit? Profecto non res ista cum pueris agenda, quos in oblivionem facile succedens ætas inducit, vivunt in orbe viri, & antiquarum consuetudinum tenaces; quas si unquam elabi, imo conculcari permitterent, quæ non tandem perturbatio res universas occuparet? Quanquam vero ita mundus fato iniquo vexaretur, ut omnia passim interirent, retinenda tamen esset Bacchanalium consuetudo, in quibus ea conviviorum est libertas, ut non labris supremis, sed lateribus firmissimis, vinum hauriatur & exhauriatur, ut homines lauti epulentur in delitiis, ebrii cyathissent in conviviis, hilares jocentur in facetiis, lascivi debacchentur in insolentiis. O dulcis insipientia! O amabilis insania! hoc est quod prudenter inculcat Poeta:

Gradatio.

Distributio.

Transitio.

3. Argumentum ab utili & effectibus.

Exclamatio.

Testimonium

Dum licet, in rebus iucundis vive beatus.

Iam vero si nihil hominibus jucundius esse potest libertate, si liberos nos natura procreavit, si armis quærimus, & effuso sanguine defendimus libertatem: quid est quod hæc tempora tantopere repudiemus, quæ sunt humanæ tempora libertatis? Tunc grassari generositatis est; conviviorum plaustra evomere, eloquentiæ; inebriare sese, & ingurgitare, magnæ omnino potentiæ. Tunc nullas plenissimus venter leges audit, nullum

4. Argumentum à temporis libertate.

Repetitio.

Compar.

Effectus libertatis.

Similiter desinens. lum corpora ſupplicium reformidant, nullos animus timores apprehendit. Quidquid cupis voluiſſe licet; quidquid optas, aſſequi eſt permiſſum: Verbo dicam, omnia tunc poteſt ebrioſus.

Repetitio. Comparatio conditionis ebrioſi cum conditione ſobrii. Age vero quænam leges ſupplicium ſobriis intentant? Si ſobrius alienam contumelia famam inſecteris, ſupplicio coerceberis, nihil ebrius timebit; ſi ſobrius verſaris in popinis, parata eſt infamia, ſi ebrius, adſunt qui te felicem admirentur; ſi ſobrius verberibus alium afficias, certa crux eſt, ſi ebrius, ſperata ſemper impunitas. Ita tunc reges vivunt ſe volitant ebrii, ſobrii vero tunc ſervi contemnuntur.

5. Argum. a jucundo. Probatio ab effectibus. Quod ſi nondum hæc libertas horum temporum animos inflammet ſubeat illos ac permoveat tandem illa voluptas, quam jucundiſſimam Bacchanalia ſecum ferunt. Obſecro quid jucundius eſſe poteſt, quam curis omnibus carere; curas eluunt Bacchanalia cutem

Subiectio. laxare cibis ventremque diſtendere? laxant & diſtendunt Bacchanalia Vino immadere, imo uno ſe totos ſubmergere? ſubmergunt Bacchanalia. Nondum aſſequi voluptatem hanc tantam poteſtis? menſas horum temporum introſpicite,

Demonſtratio. Hypotipoſis. ac ſimul ridete. Ventris ingenium qui non admiretur? Inſatiabilis tum gula elemento cuivis exitium minatur; quidquid in mari rete ſervatur, quidquid in ſilvis indago obſidet, quidquid in campis canes perſequuntur; quidquid avium

Amplificatio per enumerationem. volitat, quidquid ferarum diſcurrit, immenſis tunc apparet. Quid deinde? oculi per ſingula epularum ſpectacula divagantur, & qua gula tutius menſam impugnet, fercula invadat, ventrem opimis cœnarum ſpoliis ſaginet, explorat. Interim guſtus in delitiarum delectu oberrat, nares odoriferis aromatum exhalationibus replentur, venter tanquam ampliſſimum ſepulcrum carnium ac piſcium exuvias recondit.

Certamen conviviale Nunquid amplius in conviviis ſane magna pars libertatis eſt acce-

accedit inter pocula gloriæ certamen. Scyphi vallatim ad pugnam disponuntur, aliquando in orbem circumaguntur, & circuli coronam efformant. Longo halitu vitra protrahere, cyathum ex cyatho haurire, trifaucis oris hiatu linguam protendere, sorbere simul & flare, ad unguem exhaurire, versi cyathi umbilicum exosculari, quantæ tandem voluptatis hæ solemnes Bacchanalium sunt cæremoniæ, hi ritus præclarissimi: hos inclyti potatores obseruant, strenui Helluones defendunt. Sed nondum attigi iucunditatem illam, quæ voluptatibus omnibus antecellit. Quæ est illa vero? quam vinolentus & ebriosus solus experitur. Reditne domum? omnes lacerat, tundit, prosternit, interim dominus salutatur, humanissime excipitur, omnes illi lenitate verborum adulantur. Conciditne crapula oppressus? statim in Cathedra tanquam in solio regio collocatur, ubi fœde porcino more ructat, canino turpiter vomit, hircino teterrimum pædorem exhalat. Circumstant omnes, & operam suam singuli navant. Hic os illi tergit, hic illi sordes abstergit, hic scopas tenet, ille patellam; hic caput sustentat, ille dorsum levi verbere impellit. Omnes animose, clamant: sic sanitas procuratur, sic stomachus purgatur, sic ad mensam rursus aptatur. O quanta illa & quam amabilis libertas? hac unica oblectabatur Heliogabalus, & eadem reges omnes superauit, hanc summum bonũ Novellius Tricongius habebat, hanc Promachus Deorum nectari & ambrosiæ præferebat, huic quotquot sunt potatores inclyti animum ac corpus sacrant. Non mihi iam occinant scrupulosi, instat S. Quadragesimæ tempus. Quid? nunquid per Bacchanalia melius ad ieiunium corpora præparantur? nunquid acerbius ac molestius ieiunium videtur cum ingurgitatio præcessit? Muniunt se milites armis, cum ad pugnam contendunt, & cur non se cibis Christiani

6. Argumẽtum à voluptate ebriosi & consequẽtibus.

Demonstratio qua res oculis subiicitur.

Distributio.

Repetitio.

Probatio ab exemplis.

Traductio.

Obiectio.

Responsio.

farcirent, cum ieiunium aggrediuntur? Sed non onerant bruta naturam, obrues tu homo? Audi quidquid hic susurras, nunquid qui omnium rerum dominus est homo, res inter inops erit? non se aliquando ingurgitabit, cuius in usum Deus omnia creavit? iterum aiunt, non ferendum est, faciebus larvas inducere. O te hominem imprudentem? nunquid prudentiæ cuiusdam est larvis uti, ut cum nonnulla liberius fiant, nulla interim naturæ turpitudinis nota inuratur? Videtis Auditores, quod obstet, nihil; intelligitis quid invitet; maiorum institutum, consuetudo recepta, utilitas maxima, voluptas suavissima. Quid ergo? maiores imitemur, consuetudinem retineamus, genio indulgeamus. Nec verbis hic est opus. Igitur. DIXI.

Alia obiectio. Responsio. Tertia obiectio. Responsio. Iteratio. Repetitio. Confirmatio.

NICOLAI MOVRMAN

IASPERIENSIS,

Oratio Dissuasoria.

Bacchanalium morem in rebuspubl. Christianis retinendum non esse.

Exordium abruptum & patheticũ

DA vocem iuste dolor; succurre dolorĩ indignatio, impelle indignationem iracundia. Itane ergo Orgiophantæ fœdissimi, ventris inertis mancipia, idololatræ facti sunt Christiani? Itane Christianorum venter est Deus, & ipsi bellui facti deteriores, liberi hominis naturam violant, & rationis præstantiam communi cũ brutis commercio confundit? Itane iam ignorant quod Deus.

Os

Os homini ſublime dedit, cælumq́; videre
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Bruta vero ad paſta abiecit, ventrique obedientia finxit? ubinam pro Deum immortalem! vivimus? ubi lux noſtra? ubi nominis dignitas Chriſtiani? O frugalitas quo receſſiſti? ô continentia quo tandem in exilium abiiſti, ô modeſtia, cur hoc tempore tam turpi licentia te lugant Chriſtiani? uſque adeone homines eſſe nos piget, vt monſtroſas inducere formas ſit iucundum? uſque adeone Chriſtianos eſſe nos tædet, ut vitæ turpitudine religioſum nomen mentiamur, & pro Chriſto Bacchum, pro cœlo ventrem colamus? Date veniam Auditores, & hanc voci noſtræ concedite libertatem, ut quo poſſum affectu quo ſpiritu, ac voce valeo deteſtandum hunc Bacchanalium morem perſequar, etiam ſi poſſum exterminem. Non faceſſere hinc ullos volo, ſedeant ac iudicent quicunque Chriſtiani, imo vero qui homines ſunt, qui frontem habent, qui nondum omnem rationem amiſerunt.

A ſine & dignitate Chriſtiani.

Exclamatio.

Præparatio.

Agedum ergo, te hominem quiſque es appello, ſi naturam bruta animantia ſequuntur, nunquid indigniſſimum eſt, te neſcio quo furentis animi impetu, & degeneris conſuetudinis imperio contra Naturam pugnare? Nunquid eſt inhoneſtiſſimum, illa modum ſervare, te paſſim ſine ſexus diſcrimine adulterina quadam licentia in luxum omnem ac petulantiam diſſolvi? Intuere conditionem illorum, ac teipſum poſtea contemplare. Si ſatura ſint & deſiderium natura ſedarit, appone pabulum, abhorrent, abhorrent? immo diſſipant, reiiciunt, calcant, ac in mortem ferro flagriſque citius cogentur quam obruant naturam, quia ſcilicet in animantibus illis natura prudens non ad deſiderium, ſed famem, non ad oppreſſionem, ſed ad virum reſtaurationem ſu-

Confirmatio.
1. Argumentum à brutis quæ naturam nõ excedunt.

Articulus.

Contentio.

ſumendum eſſe pabulum decernit. Quid tu homo? In te naturam voluntas obruit; & cum cibo deſiderium fames ſedaſti, ſitis ardorem potu reſtinxiſti, ultro, ultro ſarcinatus & velut eructans menſam requiris. Illa pabulum ſatura repudiant, tu plenus aviditate maiori cuncta voras, illa mortem malunt, quam negante neceſſitate nutrimentum, tu obruta iam pene natura provolas ad cibum; illa neceſſitate metiuntur appetitum, tu oculis ventrem homo metitis. Quid oculis dico? non illi comprehendere ſatis multa poſſunt, quibus ventrem ſarcire & abluere fauces poſſis ardentiſſimas. Videtis quam non temporum, ſed hominum iniquitatem oſtendam, ſed tamen ſi his illa temporibus impune regnat, adhucne Bacchanalia retinenda Chriſtiani proclamabunt? Quid ita? nunquid forſan Ingurgitatio liberabit à morte, & ſalutem Bacchanalia continebunt? O te imprudentem, quiſquis putas! Nunquid non audebit te mors occupare, quia cibo potuq; redūdas? O te cæcum hominem, ſi in mentem hoc admittas? Affluebat delitiis omnibus Chryſaorius, quid illud: irritamenta mortis fuerunt. Menſa utebatur lauta & opipara; quid illa? invitatio mortis fuit; ingurgitaverunt ſe & oppletu ructabat; cur hoc vero? ut magnorum ſpirituum furore corriperetur, & aſtantiū aſpectu territus inducias uſque mane peteret, nec obtineret. O miſeram, immo ô depravatam perditorum hominum conditionem! Et adhuc Bacchanalia placere poſſunt? ut nimirum morborum ſeries quædam ab illis nectatur, ut homines vaſis ac doliis ſuum munus eripiunt; ut pleno ventre, pleno quaſi alueo flumen ſuperinducant, ac tandem ſubmergantur. Sed hoc non intelligunt Chriſtiani; Bacchanalia iudicium amiſerunt. Non ſentiunt Chriſtiani; Bacchanalia ſenſum hebetarunt, non pudet Chriſtianos pudorem ac verecundiam Baccha-

Comparatio ex diſsimili.

Correctio.

2. Argum. ab inutili.

Ab exemplo

Enumeratio incommodorum.

Exempla diſsimilia per apoſtrophen.

chanalia sustulerunt. Ergo Christianis sapientiores Ethnici vixerunt? ubi estis Curii, Fabricii, Coruncani qui læta vestris manibus olera ad mensam apportabitis? Vbi vos Quintii & Serrani qui lautiorem nunquam cibum gustavistis? ubi tu es Censorie Cato qui tenuissimo ac plebeio semper apparatu mensam tuam adornasti? Non istis moventur. Non moventur? Quid si audiant Valentinianum Imperatorem cum legationi Quadorum responderet, voce impetu sanguinis amissa, sensum integrum exspirasse, non movebuntur? Quid si intelligant Septimium Severum Imperatorem, cum incoctæ carnis cruditatem pateretur, occidisse, non movebuntur. Quid si recordentur Audebundum Anglorum regem crapuli repente suffocatum, non movebuntur? Quid si animis repræsentem Saxonem Childericum cum se cibis ad ambas usque aures ingurgitasset, in lecto animam efflavisse, non movebuntur? Hi sunt ingurgitationis effectus, opprimere miseros sine mente, vino sepultos sepelire, suaviter accedere, sed crudeliter occidere. Verum ne ego hic severus Cato Censoriam frontem induam, & temporis obliviscar, Bacchanalia sunt, insanire licet. Quid ajo? Ergone modestiam pulchrum est aliquando calcare? Quod tempus obsecro aut continentiam jure repudiat, aut infamiam sine injuria permittit: scilicet hoc est tempus, quo jejunium olim Christus suscepit, & tu Christiane te in jurgitando laborabis? quo Christus famebat, tu plenus ructabis? quo Christus ad profundendam sanguinem properabat, tu comessationibus intempestivis diffluens? Quid si adesset? non abest tamen. Quid si videret? videt tamen qua voce Christianos corriperet, nunquid hac? Non possum Auditores exprimere. Quoniam igitur affectū damnaret? nunquid hoc? Non possum iterum nimiā patientiā oratione declarare. Quod possum

Exempla gulosorum punitorum.

Conversio.

Effectus ingurgitationis.

Obiectio.

Malefacere nunquam licet.

Reticentia & affectus.

tamen omni voce atque animo dico, ita diceret ; *Prosopopœia.* Quid facitis ô populi, cur damnatus nuper venerim ut à scelere vos avocarem, ultro in scelus flagitiaque furentes ruitis ? ecce ad jejunia & famem me paro ; vos ad pocula & ingurgitationes ; festino pro salute vestra ad crucem, vos ad mensam pro vestra pernicie curritis : corpus meum sanguine pro vobis exhaurio, vos corpora vestra potu repletis : fameo, vos saturi, plenique estis : sitio, vos vina saginati ructatis : vigilo orando, vos potando, cur mihi non inter vos est locus ? Non erro, sic enim diceret.

Descriptio ebriosi.

Non sermonem unquam retexam ; cogitate cætera quæ memorare pudor vetat, unum ebriosum tantum aspicite undique potu diffluentem, titubantem, cadentem. Ire nequit, loqui non potest, in quo jacet locum ignorat, non à mortuo nisi dolore distinguitur : & tamen qui rationem amisit non est homo : qui circumstanti naribus occlusis fœtorem exclusit, ipse in sordibus suis volutatur ructans & vomens. O flagitiosam fœditatem ! O pudendam conditionem ? & idcirco Bacchanalia retinebuntur, ut fœteas ac vomas ? Et idcirco Bacchanalia celebrabuntur, ut tuam naturam obruas & fœtore cuncta repleas ?

Peroratio cum rejectione præcedentis orationis.

Ecce quam non severus sum temporum æstimator : celebrentur convivia, quando petis ? cum est opus, ac honestum. Sint animi relaxationes ; quo tempore, quocunque, quo temperantia modestiaque possunt adesse. Liberalior etiam ero ; tueamur, maiorum consuetudinem, sed non expellamus virtutem ; libertatem amemus, sed turpissimam servire vitiis servitutem existimemus. Quid vero de voluptate dicam ? Indignum est prorsus participem rationis hominem non mente sua, sed ventre delectari ; illam negligere, hunc cibum farcire, potuque ingurgitare. Larvas ad prudentiam revocasti, ego interpretor ignorantiam ; & nunquid hominis labes

& pec-

& peccata larvæ tegent? Dicat Cicero, & audiamus, non ut edam viuo, sed ut vivam edo. Loquatur Ecclesiastes, & credamus in multis esse ferculas infirmitatem fateamur nos ac simul supersedeamus, in continentia modestiaq; virtutis omnem dignitatisq; gloriam residere. DIXI.

CONSVLTATIO.

An Imperator sui belli Dux vir litteratus esse debeat.

ORATIO I.

Dissuasoria.

GEORGII FELICIS NIEVVAROVVSKI POLONI.

Mirabuntur non pauci fortassis, cur hodie, cum in publicam illustris Academiæ lucem, non ad famam ambitiose lacessendam, sed amorem suscepto honesto exercitio promerendum, prodeam, eoque in loco suggestum conscendam, ubi non strepitus tympanorum, non lituorum, aut tubarum clangor audiatur, sed modulatæ Musarum voces, & sapientiæ Antistitum authoritas informanda non ad pugnam sed doctrinam iuuentute occupetur, de Imperatore ac belli duce disserere præsumam, atque eum quodam armorum fulgore splendentem in scholasticam arenam deducere, quem melius fatalis aliquis pugnæ campus exspectaret? Quid enim differat is de Imperatore, & orationis finibus, armorum arenam, pugnæque campum circumscribat, qui

Exordium per praeoccupationem.

Ratio cur ad dicendū surrexerit. qui non arma, sed calamos tractat; non ad aciem accinctus hostilem patitur aspectum, sed in Academia illustri ac tranquilla, in publico scholarum pulvere sapientiam perquirit, & ad voces doctorum excitatur? Quod si tandem considerent homines illi, quos hic stupor fortassis invadet, iudicio, decretoque sapientis illius Antiquitatis non Apollinem tantum Cythara sua ornatum, nō Musas inermes scholis sapientiæque Ludis præsidere, verum etiam galeatam Minervam, cuius cum manum unam liber impleat, alteram armet hasta; animadvertent, non alienum ab alumno sapientiæ fore de armis Imperatoreque in scholis disputare, cum hoc aliud profecto non sit quam illam Minervæ hastam explicare. Et vero quis existimet hoc tempore Adolescentes omnes illos, qui sapientiæ studiis operantur, vel ad Remp. tantum, vel ad Ecclesiam, non etiam ad bellum destinari? Non ego igitur hodierna die scholarum iura, aut leges infringam, sed alteram Minervæ manum, quoniam ita sapientum decreta volunt, venerabor, si de Imperatore, quemadmodum iam apud vos aggredior, Humanissimi Auditores, ea dictionis audacia peroraro (celare animum, quem ratio propellit, non possum) ut eum nullo litterarum, quæ militarem tollunt generositatem, præsidio munitum esse oportere declarem. Qua in re si egregio conatu amplissimum hunc locum impellam, & in silentio præclarissimi huius consessus vocem nondum forte satis firmam & instructam, educam, rogo vos omnes atque obtestor, ut quo favore præsentes esse voluistis eodem me prosequamini dicentem. Atque ut non tam verbis, quam rebus agam, prodeant inprimis illi strenuissimi, & illustrissimi Héroes, qui ut armis suis & egregiis facinoribus, sæculorum immortalitatem impleverunt, ita nullis litteris imbuti vixerunt. Vixit aliquan-

Constitutio propositæ orationis.

Postulatio benevolentiæ

Confirmatio. 1. Argum. ab exemplis.

quando Imperii Romani parens, & moderator Romulus; (Dii boni) qui vir, & quantus! Expositus fuerat, & in Tybrim abjectus, sed ut gentis gloriosissime author esset divino fato servatus, & educatus fuerat inter oves ac pastores, sed ut nullis litteris emasculatus, robore, ac virtute duces omnes superare. Quis ardentior illo fuit? quis animosior labantem unquam aciem erexit? quis fortior ullius Imperii, mediis in odiis consurgentium undique provinciarum, fundamenta jecit? Immortalis est singulari virtute, qui à litteris nullam unquam laudem ambivit? Floruit in eodem illo imperio barbarorum gentium terror, & Romanæ virtutis fulmen Caius Marius. O virum seculis omnibus admirandum, populis omnibus reformidandum! unicum armorum decus ac vere deum! Loquantur Cymbri, Teuthones, Tygurini; Loquantur Numidæ ac Mauri, hi enim victorias ejus suo sanguine, triumphos suis spoliis ornaverunt. Quid dicent aliud; quam hunc unum Romana Aquila dignum Imperatorem, triumphis omnibus sublimiorem extitisse? Quid aliud testabuntur: quam cum Matrem quendam bellique deum, virtutis hæredem, fortunæ domitorem ita mundum, fama terrore, gloria occupavisse, ut apud suos urbis conditor, apud exteros orbis terror salutaretur? Et tamen vir tantus, quem cum exilio, extremaque miseria fortuna mulctavisset, fortunam puniens, seipsum ab exilio revocavit, & miseriam in victoriam commutavit, vir, inquam, tantus sine litteris tanta perfecit quæ assequi nunquam satis admirando valemus. Non est quod hic illos veteris Romæ Patres, quorum semper in pectoribus ab avo suo Marte, virtus & generositas derivata gloriæ faces ita accendit, ut omnem nationum omnium famam suis armis obtinerent, in hanc arenam producam. Nota sunt eorum bella ac trophæa, notæ

Romuli.

Similiter desinens.

C. Marii. Metaphora.

Exclamatio.

Enumeratio populorum à Mario victorum.

Præteritio.

victoriæ ac triumphi; sed & illud notissimum est ætatibus omnibus, non eos à libris, sed à stiva, non è ludis litterarum, sed ex agris, ad sagum, ad arma, ad aciem prodiisse. Tunc nimirum cæteros vicerunt Romani, cum stiuam & aratrum consules tenuerunt*; tunc virtus illa principis, populi jam tum orbis candidati lucem invasit, cum belli duces non scientiam pacis tempore, sed terram coluerunt. Age vero non homines tantum aliquos in exempla, sed populos ac provincias adducamus. Quibus unquam inauditum Scytharum nomen fuit? Rudes illi semper, & inculti vixerunt, sed quorum ita robur comite fortuna processit ut in inferiores Orientis regiones ad Danubium usque Nilumque penetrarint. Quantus fuit Rex illorum Quingus, qui Orientem universum peruasit armis, & devastavit? Quantus fuit Magnus, ille Tamberlanes, qui gloriari solus potest acie Turcam se vicisse & prostravisse? qui Baiazetem Turcarum Imperatorem catenis aureis vinctum, & cavea ferrea inclusum ita secum circumduxit, ut equum ascensurus dorsum ejus pede calcaret? Quid Mogores? quales unquam, nisi ab omni eruditione alienissimi extiterunt? Illi sunt, qui egressi quondam Tartaria magnam Indiæ partem occuparunt. Illi sunt, quorum Imperator, Magnus ille Chamus, barbarus & incultus homo, cæterorum Monarcharum potentiam, potentia sua deterret. Veniam ad notiora. Quid Heluetiorum crassius ingeniis? quid eorum olim incultius natura fuit? Horum amicitiam non tantum expetunt Principes & Reges, verum etiam largitionibus profusissimis emunt. Quod cum ignorare nemo possit, lateant res ab ipsis fortissime ad Nanceium in Lotharingia gestæ, non memorentur ad Novariam & Marianum in Italia, ad Druidarum urbem in Gallia victoriæ celeberrimæ famosissimæq; Turcarum non auditum tan-

2. Argum. ab exemplo populorum Scytharum. Quingi. Tamberlanis Mogorum. Tartarorum Præteritio.

tantum est nomen ubique, sed etiam terror quidam diffusus ab illis omnium animos occupavit. Illi barbarie sua delectantur, artes ingenuas & elegantes contemnunt, litteras omnemque doctrinam stultitiam appellant, doctum aliquem & eruditum tanquam hominem vilissimum aspernantur. Nos ne ista fortassis ridebimus, & Turcas homines inertes, ad jugum natos, ab imperiis exclusos; esse dicemus? Qui sunt hodie, qui septuaginta regnorum fines suis præsidiis armorum & legum coercent? Turcæ, totius propemodum jam Reges orbis. Qui sunt qui in tribus imperiis inusitatam terris omnibus Cæsareæ Maiestatis gloriam ostentant? iidem soli gentium omnium imperiosi Turcæ. Qui sunt quos à mille jam fere annis per Asiæ, Africæ, Europæ imperia ita fortuna circumduxit, ut quicquid attentarent, occuparent, quicquid desiderarent, obtinerent, quicquid displiceret, amoverent? Turcæ terrarum victores. Qui sunt, quos reformidant potentissimi Monarchæ, quos aggredi singuli non audent, separare nescio an omnes possint? Sunt Turcæ, Auditores, quorum usum ac industriam militarem si in tanta barbarie scientiarumque omnium contemptu videre possetis, ita credo diceretis: Nihil est tam arduum & difficile quod aggredi conficereque non possint; nullum est bellum tam laboriosum, quod facile Turcarum virtus non reddat. Illi sunt quorum industriam primum admirati sunt Itali; postmodum etiam imitari cœperunt. Illi sunt, qui prodigi vitæ mortisque contemptores nulla fortunæ pericula reformidant. Illi sunt, qui juga gentibus suo bello imponunt, qui Reges alios suo imperio aut terrent, aut frænant. Quanquam ad principia nostra revertamur, & in clarissima Reip. Romanæ luce clarissimam experientiam notemus. Cum è Græcia in Italiam Romamque studia litterarum importata fuissent,

Turcarum.

Complexio.

Similiter desinent.

Obliqua Prosopopæia.

Virtus Turcarum.

Repetitio.

Transitio.

3. Argumentum ab experientia.

& jam in deliciis atque osculis suis Martius an-
Studia Romanorum virtutem emascularunt. tea populus pro gladiis calamos, pro galeis li-
bros, pro militibus Legionariis Græculos Philo-
sophos & tabulas haberet, nunquid simul mascu-
lam illam virtutem suam amisit? Tunc Iugur-
tha venalem urbem habuit; Tunc Cimbri ad ex-
trema vota Romanos compulerunt; tunc actum
pene de imperio esse Mithridates ostendit; Tunc
Repetitio. studiosi illi politi, & litterati Romani gentium
exterarum rabiem perhorrescebant; Tunc mol-
Amplificatio ab enumeratione incommodorum à Romanis litteratis acceptorum. les & effœminati, suis cladibus ingemiscebant;
Tunc à Parthis, sed invictis ridebantur; à servis,
sed tum dominis vexabantur; à sociis, sed jam
hostibus misere devastabantur, ut suo tanto in-
commodo discere possent, eos omnium bellico-
sissimos populos esse, qui ab omni humanitatis
cultu, ac deliciis quam maxime abhorrerent. E-
nimvero ut in hac notissimarum rerum luce non
magnopere tenebras videar oppugnare, percipi-
te quæ dicam attentius. Quid si artes illæ & di-
sciplinæ liberales pacis asseclæ sint, & ornamen-
ta, non belli; Hic omnium consensus hæret. Quid
4. Argum. à conditione & effectibus litterarum. si corda emolliunt, emasculant animos, timidos
reddunt & effœminatos? Quid si omnem ex ani-
mis belli Martisque vigorem tollunt? Quid si
qui eruditi sunt, cum arma tractant, miticulosi,
delicati, molles existant? Scil. egregius Impera-
Amara Ciceronis irrisio. tor multa bella confecit, multos hostes prostra-
vit, multas hostium urbes accepit. Marcus Tul-
lius, cujus in discrimine capitis fortunarumque
omne præsidium in lachrymis positum fuit, &
qui plus lingua, quam manu, plus calamo quam
gladio, potuit. Scilicet reformidandus in Græcia
Item Demosthenis autoritas. miles fuit facundus ille Demosthenes, cujus nun-
quam frontem aut pectus hostes viderunt. Non
ignoro vos aut sæpius audivisse aut legisse, quod
cum in Græciam Gothi torrentis instar omnia
longe lateque depopulantes irruissent, non paucis

d ire-

direptis, plurimis etiam eversis oppidis, cæteras inter prædas magnum omnis generis librorum numerum eos invenisse, quorum usum cum ignorarent, & iam uno igne concremare universos constituissent. Ne, inquit, non nemo ex iis, ne facite, ô populares, habent Græci hanc pestem suam, quæ omnem in animis eorum generositatem extinguet. Animadvertebat quippe nihil esse quod facilius animos ab armis alienaret quam studia litterarum, quibus qui dediti essent, pugnas odissent, acies perhorrescerent, seipsos suis hostibus prædas offerrent. Quod id non obscurum tunc fuit, cum Rex Francorum Carolus Octavus parvo omnino exercitu totam Italiam percurrit, Neapolim totumque regnum eius occupavit, Hetruriæ non minimam partem invasit. Mirabatur Rex tantam sui exercitus fœlicitatem, stupeant Galli Duces tantam Italorum Principum inertiam; ubique clades Italorum & miseriæ deplorabantur. Quid causæ fuisse putatis, Auditores? Nimirum quia dediti litterarum studiis Itali cogitationem armorum deposuerunt, & Musis suis mancipati audacem avi ti Martis libertatem amiserant. Ite nunc, & disciplinas in Imperatore desiderate, Imperatorum omnium præstantissimi rudes exstiterunt: proclamare ad victorias, opus esse eruditione cultuq; scientiarum; victoriosissimæ temporum omnium nationes barbaræ fuerunt; dicite litterarum studiis adiuta bella triumphos occupasti: clades tum bella Romana reportarunt cum studiis claruerunt; affirmate omnem animi generositatem à libris & artibus esse, effæminant artes generosos & bellicosissimum libri spiritum enervant. Quid ergo? profectò si ducum est & Imperatorum arma tractare, pericula intrare, hostem videre nec ferre, togatorum vero hominum ac sapientum, forum ac curias perambulare, nihil

Ab exemplo Caroli 8. Similiter desinens.

Communicatio cum resolutione.

Peroratio. Repetitio. Confirmatio.

nihil timere, & otiosis consilia suggerere: lateant in bibliothecis artes, ac libri, non videantur molles inter arma Musæ; urbiumque mœnibus concludantur mitissimi alumni tuba duros arma fortes, prælia invictos requirunt. DIXI.

ORATIO II.
Suasoria.
PAVLI NIEVVAROVVSKI
NOBILIS POLONI,

Exordium à munere & officio Imperator.

MAgnum est & arduum omnino munus Imperatoris, AVDITORES, Humaniss. utpote cuius est pro sanctissima religione nullum unquam discrimen reformidare, pro sociis atque aris insultantium hostium impetus sustinere, medias inter acies invicto semper erectoque animo stare, arbitrum ignaviæ omnium ac virtutis esse, turbatas acies restituere, fugientibus obsistere, voce & manu singulis adesse, consilio universis prodesse, hostem denique profligare, evertere, subiugare. Vnde præclarissime Poeta quidam:

Similiter desinens.

Res gerere ac captos ostendere ciuibus hostes
Attingit solium Iovis, & cælestia tentat.

Quod cum animadvertissent illi omnes sapientiæ parentes & priscorum miracula sæculorum, cum unam Minervæ manu hasta armavissent, librum hastæ in altera consociaverunt, ut quoniam tam ardua tamque difficilis est res militaris litterarum & eruditionis auxilio peragi illam posse declararent. Quæ causa est cur non parum nostri huius Oratoris nescio an impudentiam dicam, an astutiam admiret, qui cum audientibus vobis Hastam se minervæ explicaturum promi-

Accedit ad propositum.

misisset, tanquam immemor libri ejus, nullam in Imperatore eruditionem requisivit, ut ignorasse prorsus videri possit, sedisse olim Alexandrum Magnum, docente Aristotele, Scipionem Pompeium, Cæsarem, sexcentos alios generosissimos & illustrissimos belli duces scholarum pulverem trivisse, ac forte etiam armorum jura cum ex ore doctorum, tum ex libris hausisse. A quo cum vehementissime dissentiam, ut facilius hanc omnem arduæ disputationis arenam ingrediar, nec quicquam sit quod incedentem valeat remorari, agam cum eo primum, qui Imperatorem bellique ducem, rudem hominem, & ignarum esse debere contendit. Atque ne severiori quodam stylo ac hostili propemodum animo pugnare videar non inficior duces exstitisse nonnullos rudes homines, & imperitos. Quid inde vero? an hos imitari fas erit; ac non potius Alexandrum, non Cyrum, non Epaminondam, non alios innumeros sequi quorum partam in immortalitate gloriam pauci illi nunquam adæquabunt? Et vero quis singularem illam sibi, & vere Martiam naturam atque indolem promittat, qua rudes illi Imperatores donati fuerunt? Quis enim non excellentiores futuros illos fuisse dicat, si ad naturam, doctrinæ excellentiam adjunxissent? Sed in exteras barbarorum nationes illi placuit exspatiari ut non homines tantum aliquos, sed populos ac provincias sibi suffraganeos haberet, in quo profecto non tam aut virtutem aut peritiam rei militaris, quam fortunam, & fortunatum earum impetum, liceat admirari. Quanquam non illum gentium istarum calculum improbabo; fuerunt, imo etiam hodie sint victoriosi Schytæ, fortes Magores, strenui Sarmatæ; favit illis fortuna illa rerum humanarum domina, moderatrix armorum gubernatrix victoriarum. An vero excultos inquam Macedones superarunt? an erudi-

Propositio refutationis.

Ad primum argumentum fatetur.

Ad secundum argumentum respondet ea omnia fortunæ tribuenda esse.

Comparatio cum

cultioribus nationibus Interrogatio. tis jugum Græcis imposuerunt? an politos suo imperio Romanos frenaverunt? Nimirum torrentis instar aliquando exundarunt, & armorum quodam impetu nationes aliquas, quid dico nationes? Prædas, inquam, aliquas subegerunt, imperium vero nunquam aut firmum diuturnum tenuerunt. *Correctio.* Verum si non omnia ignorare velimus, quoties obsecro, victoriosæ illæ nationes subauspiciis, ac ductu doctissimorum Imperatorum militaverunt? Quoties ille furor earum eruditi capitis sapientia temperatus, militiæ leges accepit? quoties prudentissimi consilio ducis barbaries earum cessit? *Victoria ducibus doctis attribuenda.* Heluetiorum meministis, quorum amicitiam tanto studio Principes ambire videmus, quid ais, propter arma, an propter fidelitatem? Video sensum uniuscuiusque, nec interturbo, ad illum vero Tartarorum Chamum, quem tantopere reformidandum proposuisti, si respondere mens esset, quot, & quantos omnium ætatum Heroes uni illi opponerem virtute majores, gloria excellentiores, triumphis celebriores? Ille suam potentiam mari tuetur; alii bello; ille regionis suæ situm asperum opponit, alii arma: ille non vincitur, alii vincunt. *Comparatio Chami cum aliis. Similiter cadens.* Quid vero? Cum studia litterarum in deliciis Romani habuerunt, clades acceperunt, virtutem amiserunt, effœminati sunt? Vbi ergo tunc Cæsar fuit omnium gloria Imperatorum; ubi Pompeius M. non de urbe una aut regione, sed orbe toto triumphans? ubi Sylla, Metelli, Scipiones, Luculli, quibus ex antiquiori illo ævo comparari nemo potest? *Ad tertium Argumentum negat. Probatio ab exemplis.* Conferamus tempora cum temporibus: nunquid qui quingentis, & amplius annis vix Italiam antea rudes subegerant, ducentis postea universum orbem vicerunt? Nunquid tunc res illæ admirandæ sunt gestæ, quas posteritas nunquam satis poterit admirari? *Collatio temporum.* Sed ad illam Turcæ tui bellicosissimam potentiam nihil, inquis, adduco. E-

sto.

sto, fac me prudentem aberrare, qui cæterarum illius barbariei nationum impetu fortunato, Turcarum fortunas metiri contendo: certe non provincias vincunt, sed prædas agunt. Non disciplinam ostentant, sed rabiem, non generositatem habent, sed furorem, non virtute procedunt, sed fortuna. Quid si tamen etiam scientiarum auxilio procedunt, vincunt, dominantur? Sed nondum hac de re dico, nec usque adeo rationem odisse me volo, ut litterarum disciplinis effœminari quenquam, possim arbitrari. Putaverunt Galli Gothique, Martium ex animis vigorem per libros tolli; & nos horum iudicium vanamque duntaxat opinionem amplectemur? qui dum suis armis victoriam attribuere debuissent, hostium libris, ut non nisi victos vicisse viderentur, attribuerunt. Iam ergo retudimus tela tua, qui in Imperatore litteras odisti. Iaces, & libere iam hanc vocem resumo, insignem nunquam Imperatorem nisi litteratum exstare: quod dum amplius manifestare laboro, delector vestro illo favore & attentione, Benevoli AVDITORES, dumque vobis debere me multum intelligo, animosior reliquam omnem orationem ingredior, ut iam aliqua vobis ex parte satisfaciam. Videte quam desperare omnino hac in causa non possim qui omnem sapientum omnium authoritatem pro me habeam? Cur obsecro prudentissimi homines armorum eandem & librorum præsidem esse Minervam voluerunt, si à libris nulla esse iura debeant armorum? Cur una hastam, altera librum manu gestat, si non & armis & scientia simul munitum oporteat esse Imperatorem! Ita nimirum constitutum est à Natura, quod ignorare sapientes illi non potuerunt, ut qui ad arma sunt inclinati factique, disciplinarum cognitione ad perfectionem artis Imperatoriæ, & ad omnem omnino gloriam disponantur, ac promoveantur.

Responsio ad exemplum Turcarum.

Contraposita

4. Argumentum responderi eludendo

Transitio ad confirmationem cum renovatione attentionis.

1. Argumentum ab authoritate.

Explicatio hastæ Minervæ.

Agi-

2. Argumentum ab effectibus eruditionis. Agite, in Imperatorum pectoribus scientiam ipsam videte, vires attendite, maiestatem considerate. Illa facit, ut pericula non reformidemus intrepidi hostem intueamur, mortem ipsam non horreamus. *Amplificatio per enumerationem effectuum.* Illa facit, ut qui ea præditus est anxio animo non vacillet; qui eruditus est, timorem omnem expellat; qui ingenium suum litterarum cognitione confirmavit, non vecors sit, sed alacris, sed excitatus. Illa facit, ut cauti sint Imperatores, providi, solertes & astuti. Et hanc non illi sibi compararent, qui intrare pericula toties, & intrepidi spectare mortem non raro debent? *Demonstratio. Similiter desinens.* Considerate duces illos, quos litterarum novistis expertes, ut trepidi pallent, cum ad pugnam tubæ vocant: ut vecordes arma induunt, equos agunt, hastas aut gladios educunt, cum hostilium armorum fulgor oculos atque animos perstringit? ut incauti falluntur, cum ab insidiis securos illos hostes invadit? Quanquam quid in armis ac bellis agere debet Imperator? *3. Argumentum Imperat.* Credo maturis consiliis de bello toto deliberare, aciem ordinare, vitare insidias hostium, hostibus struere, milites animare, urbes & arces obsidere, cinctos ab hoste liberare patriam atque omnes, omniumque fortunas propugnare. Quid? Hæc efficere rudis poterit Imperator? hæc præstare barbarus poterit Imperator? Profecto plus in bello consilium quam arma valet, plus in armis eruditio, quam robur viresque possunt. Neque ita credendum est, Imperatoris esse in prœlio miscere manus, & pugnare. *Non est Imperatoris pugnare. Authoritas. Seneca.* Ille est vinculum (cum Seneca dicam) per quod Respub. cohæret; ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil per se futura nisi onus, & præda, si mens illa imperii subtrahatur. Quamobrem si imperare eius est ac percipere, si consilio suo omnia providere, multis scientiis imbutum animum & expeditum ingenium habere debet, aut omnino tantum no-

men

men retinere, tantum officium præstare non valebit. Sed tamen si tantopere barbaros Imperatores nonnullis placet admirari, non repugnemus nos soli, sit rudis, sit barbarus, sit etiam incultus & inhumanus quisquis exercitui imperare præsumit. O scilicet terrorem hostium ingentem! O egregiam patriæ labantis columnam! vultis illam historiam non novisse, quæ bonorum malorumq; successuum exempla proponit, & admirabili pectus instruit varietate? at consiliorum ignarus erit, & in rebus nunquam omnibus eum procedere valebit. Vultis Mathematicas disciplinas ignoret, quæ ad excogitandas belli machinas aciemque disponendam iudicium acuunt, & erudiunt? at exercitus languebit, & instructa minus castra suis hostibus patebunt. Vultis eloquentia nulla sit munitus, quæ languentes excitat, metu depressos erigit, currentibus & audacibus calcar addit? at excidente manibus arma, & sine animis milites frustra plerumque victoriam sperabunt. Etenim (si verissimus est Onosander) non ita auribus percepti tubarum clangores animos ad pugnam acuunt & irritant, ut hortatrix ad gloriam & virtutem oratio intrepidas expeditæ aciei mentes ad opposita pericula erigit, stabilitque, imo & metu conterritos, iacentesq; penetrat & constanti roborat allocutione. Efficax est Imperatoris elocutio, exercitus strages generose solari & lenire docta, utilior multo vulnerariorum agmine medicorum. Illa est quæ dolorem lenit, quæ sanguinem exsiccat, quæ vulnera premit, illa est quæ manibus aptat arma, generositatem animis addit, capitibus laurum imponit. O prudentissime Rex Aragonum Alphonse, quam sapienter vereque & arma & armorum disciplinam è libris haberi dixisti. Crediderunt qui multis sæculis ante te vixerunt, Magnus Alexander, inuictusque Cæsar, qui ut maxi-

Concessio.

Ironia.

4. Argumentum à consequentibus si scientias ignoret.

Necessaria historia.

Subiectio.

Necessaria Mathematica.

Necessaria eloquentia.

Effectus eloquentiæ in Imperatore.

5. Argumentum ab exemplo eruditorum

Imperatorũ Alphonsi. Alexandri Cæsaris. Principum Ottomanicorum. Repetitio.

maximi fuerunt omnium Imperatores, ita in omni ſcientiarum ac litterarum genere excelluerunt. Crediderunt principes illi Ottomannicæ familiæ præſtantiſſimi Mahometus ſecundus, Selymus, & Solymanus, qui cum res geſſerunt omni admiratione maiores, in hiſtoriis etiam ſtudiisque mathematicis verſatiſſimi vixerunt, & inde virtuti militari non leve præſidium petierunt. Crediderunt quotquot aut Græcorum gloriam proſpero bellorum ſucceſſu, aut Romanorũ imperium fulminantibus armis ad exteras nationes tranſmiſerunt, qui certe nunquam niſi è pulvere ſcholarum, in Martium pulverem deſcenderunt, nec ad arma prius quam ad libros acceſſerunt. Nunquid etiam hæc tempora noſtra credunt?

Ab experientia hodierna

Credunt utique, nec tantum hodie præparantur in ſcholis duces, ſed etiam mediis in armis, cum otium aliquod ſecurum adſpirare videtur, libri verſantur ac teruntur. Hinc conſilia petuntur, hinc ſolertiæ aſtutiæque deſumuntur; in his tanquam in pulvere præſtantiſſimorum quorumque Ducum veſtigia apparent, in his fœliciſſimi quique ſucceſſus conſiderantur; hic ſe componere licet ad exemplum aliorum, hic conciliarii, ſed fideles & incorrupti audiuntur.

Peroratio.

Quanquam ſuperſedebo, dum ea omnia quæ dixi, vox animis veſtris impreſſa tenere animadverto, dum illam Minervæ haſtam, ſed cum libro conſideratis; dum ſcientiarum vim in pectoribus erigendis maximam eſſe videtis; dum à diſciplinis ſeparari officium Imperatoris non poteſt; dum in caſtris omnia iacebunt in iniuriis obnoxia fortunæ, ſi iaceant litterarum artes; dum præſtantiſſimi quique duces ſcientiam cum armis iunxerunt; adeo reſtat hoc tantum, ut annuentibus vobis & credentibus à ſuggeſtu recedens affirmem eruditum ac litteratum Imperatorem eſſe oportere. Quod ſi mihi apud Imperatores, & in con-

Repetitio. Confirmationis.

ſeſſu

seſſu ducum aliquorum dicendum fuiſſet, convertiſſem ita ad illos orationem, ut ardorem aliquem ſcientiarum cum armis jungendarum eorum in animis fortaſſe reliquiſſem: nunc vero cum in ſcholis hodie dicam, atque in veſtro. Humaniſſimi AVDITORES, conſpectu, veſtroque utar ſingulari prorſus favore, obſecro vos tantum atque obteſtor; ut ſuſceptum hunc conatum noſtrum probetis, niſi forte addere votum illud velitis, quo litteratos temporum noſtrorum Duces omnes eſſe deſideretis. Ita facite, atque utinam, utinam! DIXI.

CONSVLTATIO,

Vtrum vir fortis in neceſſitate ſibi manus poſſit inferre.

JOANNIS GERARDINI.

Oratio ſuaſoria.

Virum fortem in neceſſitate ſibi manus inferre poſſe.

Exordium à laude antiquorum Philoſophorum.

PHiloſophorum olim, quorum omnis in aperienda rerum obſcurarum veritate hominumque vita certis ac utilibus imbuenda præceptis labor inſudabat, non paucæ magna ſingularique cum laude Sectæ ſcholæque ita viguerunt, ut in iis & admiratio doctorum alacritatem, & alacritas audientium æmulationem excitaret. Sed ſi tamen tribuenda ſit uni laus illa, quæ cæterorum gloriam evincat, neſcio an non affirmare de Stoicorum Secta illud poſſimus, ita illam & doctrina præſtantiâ, & doctorum hominum auctoritate ac famâ cæteris præſtitiſſe, ut jure me-

Præfertur Secta Stoicorum.

Laus à dogmatibus. merito schola veritatis, & hominum magistra dici possit. Etenim si doctrinam quæ tot hominum doctissimorum industria laboribusque in ea fuit explicata, consideremus : ita dogmata sunt in ea naturæ conformia, ut doctrinam hanc omnem non ab hominibus excogitatam, sed ab ipsa natura expressam haustamque arbitremur. Si vero *A doctoribus.* Doctores quorum gloriam hæc aliquando Schola mater peperit ac nutrivit, attendamus, ut Catonem ac Senecam duntaxat producam, nihil vero de principe Stoicorum Zenone dicam, non aliunde præstantiores unquam prodierunt. Et quanquam hæc gloriosissime ita dicantur ad Stoicorum prædicationem sempiternam, sic tamen cum veritate extolluntur, ut nec ipsi Academici nec Peripatetici, quorum hodie tot ambabus manibus doctrinam amplectuntur, vel repugnare possint vel inficiari: qui dum tempori plurima præcipiunt accommodanda, nec semper virtuti parendum; ita agunt ut instabilem ac fluctuantem doctrinam *Accedit ad propositum.* eorum, certa vero & immutabilia Stoicorum dogmata iudicemus. Atque quoniam quidem non minima hæc inter sectas aliquando controversia & pro summa laude concertatio extitit, ego hodie, siquidem & hic forsitan jocus exigit & vestra illa attentio expectare videtur, de præclaro Stoicorum dogmate quodam ita disputabo, ut illud injuria ab Academicis Peripateticisque impugna-*Propositio.* ri, jure vero merito à Stoicis propugnari retinerique contendam. Hoc inquam efficiam ut cum Stoicis ac mecum fateri velitis virum alioquin fortem & generosum, si honestior superesse vita non possit, præsentemque mortem dedecus morte gravius necessitas intentet, violentas sibi manus & inferre posse, & debere. Scio gravissimam *Captatio benevolen-* esse difficultatem, quæque Oratoris exercitatissimi vocem desideret. Sed si jam vestra illa Ben. Aud. favoris aura nostræ hujus vela imbecillitatis

tis impleverit, ſuperabo ſcopulos omnes difficultatis tantæ, & ingreſſus in portum veritati dictionis hujus coronidem conſecrabo. Certum eſt etiam apud omnes haud obſcurum, plurimas graviſſimasque cauſas eſſe, ob quas merito tædioſum ſit & odioſum vitam in hac communi luce reſpirare, quod ſi tamen nondum eſſet res hæc tota quibuſdam explorata, conſiderent illi quam miſerum ſit & deplorandum graviſſimis aut animi aut corporis cruciatibus torqueri, quibus certe qui detinentur, ita miſeri mortem expetunt, ut ad illam votis omnibus in dies anhelent. Perpendant quam durum ſit jugum illud quod impoſitum eſt liberæ cervici, & iis maxime, quorum excellens in luce probata virtus omnem in imperio dignitatem occupare deberet. Cogitent quantus in animo generoſo dolor exſurgat cui è faſtigio debitæ ſibi dignitatis eſt impellente fortuna cadendum, cum inquam terminanda eſt honeſta vita, & puncto temporis amittendum quod longo fuerit ætatis curſu collectum. Et hæc omnia ſi omnem animum quantumvis alacrem & excelſum ita percellant, ut odiſſe communem hunc ſpiritum vitamque cogant, nunquid animati ita debent eſſe viri fortes quicunque, ut cum aliqua cauſa talis occurrit, vitam expediant & ex hoc corporis domicilio ſeſe liberent, in quo ita miſeram vitam anhelant ut crucientur, imo potius ut moriantur? Nolim mihi, ſed veſtro judicio credatis, Auditores, ſed tamen ſi quod factum eſt aliquando, comprobare poteſt quod apud vos indicatum, nunquid honeſtius Hannibal ex annulo ſuo mortem hauſit quam à lictoribus Romanis exſpectaſſet? Nunquid pulchrius Mithridates negatam veneno mortem ferro quæſivit, quam ad currum Pompeii magni relegari ſe permiſiſſet, aut crudelem filii ſui manum exſpectaſſet? Nunquid Cato generoſius ſibi vitam

tia allegorica.

Confirmatio.

1. Argumentum à cauſis mortis ſibi inferenda.

1. Cruciatus.

2. Servitus.

3. Iactura magna fortuna.

Illuſtratio & amplificatio ab exemplis.

Laus à dogmatibus. merito schola veritatis, & hominum magistra dici possit. Etenim si doctrinam quæ tot hominum doctissimorum industria laboribusque in ea fuit explicata, consideremus: ita dogmata sunt in ea naturæ conformia, ut doctrinam hanc omnem non ab hominibus excogitatam, sed ab ipsa natura expressam haustamque arbitremur. *A doctoribus.* Si vero Doctores quorum gloriam hæc aliquando Schola mater peperit ac nutrivit, attendamus, ut Catonem ac Senecam duntaxat producam, nihil vero de principe Stoicorum Zenone dicam, non aliunde præstantiores unquam prodierunt. Et quanquam hæc gloriosissime ita dicantur ad Stoicorum prædicationem sempiternam, sic tamen cum veritate extolluntur, ut nec ipsi Academici nec Peripatetici, quorum hodie tot ambabus manibus doctrinam amplectuntur, vel repugnare possint vel inficiari: qui dum tempori plurima præcipiunt accommodanda, nec semper virtuti parendum; ita agunt ut instabilem ac fluctuantem doctrinam *Accedit ad propositum.* eorum, certa vero & immutabilia Stoicorum dogmata iudicemus. Atque quoniam quidem non minima hæc inter sectas aliquando controversia & pro summa laude concertatio extitit, ego hodie, siquidem & hic forsitan jocus exigit & vestra illa attentio expectare videtur, de præclaro Stoicorum dogmate quodam ita disputabo, ut illud injuria ab Academicis Peripateticisque impugna- *Propositio.* ri, jure vero merito à Stoicis propugnari retinerique contendam. Hoc inquam efficiam ut cum Stoicis ac mecum fateri velitis virum alioquin fortem & generosum, si honestior superesse vita non possit, præsentemque mortem dedecus morte gravius necessitas intentet, violentas sibi manus & inferre posse, & debere. Scio gravissimam *Captatio benevolen-* esse difficultatem, quæque Oratoris exercitatissimi vocem desideret. Sed si jam vestra illa Ben. Aud. favoris aura nostræ hujus vela imbecillita-

tis

tis impleverit, ſuperabo ſcopulos omnes difficultatis tantæ, & ingreſſus in portum veritati dictionis hujus coronidem conſecrabo. Certum eſt etiam apud omnes haud obſcurum, plurimas graviſſimasque cauſas eſſe, ob quas merito tædioſum ſit & odioſum vitam in hac communi luce reſpirare, quod ſi tamen nondum eſſet res hæc tota quibuſdam explorata, conſiderent illi quam miſerum ſit & deplorandum graviſſimis aut animi aut corporis cruciatibus torqueri, quibus certe qui detinentur, ita miſeri mortem expetunt, ut ad illam votis omnibus in dies anhelent. Perpendant quam durum ſit jugum illud quod impoſitum eſt liberæ cervici, & iis maxime, quorum excellens in luce probata virtus omnem in imperio dignitatem occupare deberet. Cogitent quantus in animo generoſo dolor exſurgat cui è faſtigio debitæ ſibi dignitatis eſt impellente fortuna cadendum, cum inquam terminanda eſt honeſta vita, & puncto temporis amittendum quod longo fuerit ætatis curſu collectum. Et hæc omnia ſi omnem animum quantumvis alacrem & excelſum ita percellant, ut odiſſe communem hunc ſpiritum vitamque cogant, nunquid animati ita debent eſſe viri fortes quicunque, ut cum aliqua cauſa talis occurrit, vitam expediant & ex hoc corporis domicilio ſeſe liberent, in quo ita miſeram vitam anhelant ut crucientur, imo potius ut moriantur? Nolim mihi, ſed veſtro judicio credatis, Auditores, ſed tamen ſi quod factum eſt aliquando, comprobare poteſt quod apud vos indicatum, nunquid honeſtius Hannibal ex annulo ſuo mortem hauſit quam à lictoribus Romanis exſpectaſſet? Nunquid pulchrius Mithridates negatam veneno mortem ferro quæſivit, quam ad currum Pompeii magni relegari ſe permiſiſſet, aut crudelem filii ſui manum exſpectaſſet? Nunquid Cato generoſius ſibi vitam

tia allegorica.

Confirmatio.

1. Argumentum à cauſis mortis ſibi inferenda.

1. Cruciatus.

2. Servitus.

3. Iactura magna fortuna.

Illuſtratio & amplificatio ab exemplis.

Similiter desinent. ademit, quam se Cæsari trophæum constituisset? *Repetitio.* Quid de Cassio dicam aut Bruto? victores esse sui maluerunt, quam cum servitus fœda superesset, turpissimis se dominis præbere vincendos. Quid de Nerone itidem Imperatore? vir ille detestandus in vita, sed nescio an non in morte gloriosus, qui ne turpiter ab alio interficeretur, interfici voluit à seipso. Fortassis in mentem vobis Calanus ille Indus Gymnosophista venit, quid fecit? torquebatur alui doloribus, quos cum ferre non posset, seipsum concremavit. Fortassis etjam Herculem cogitatis, sed nec ignoratis eodem illum ignis fato periisse. Longum esset cæteros omnes enumerare, quorum in morte mortem virtus evicit, nec degener animus sequi gloriam fato durissimo dubitavit, ubi infamiam vel ætas proponebat, vel miseriam necessitas apportabat. Sed *2. Argumentum ab honesto Probatio ab authoritate Massiliensium.* est tamen fatendum illud honestissimum & eximiæ naturæ ac indolis argumentum esse, deserere malle vitam quam degere turpiter illam. Agnoverunt hoc ipsum Massilienses, quorum in Civitate venenum cicuta temperatum publice asservabatur pro iis, qui senatui causis explicatis sapienter excedere, & celerem fati viam quærebant. *Græcorum.* Agnoverunt & Græci omni semper ætate sapientissimi, apud quos idem esse factitatum nemo non historicorum affirmat. Affirmant etiam illud, in Insula *Exemplum.* Ceo matronam quandam generosissimi spiritus extitisse, sed ultimæ senectutis, quæ cum reddita civibus ratione vita excedere desideraret, ne ut inquiebat hilarem fortunæ vultum semper expertaaviditate lucis tristem intueri cogeretur, distributo liberis suis patrimonio, Mercurio libamentis defusis invocato, præsente Sexto Pompeio *Ab authoritate I. Cæsaris.* poculum in quo venenum erat temperatum constanti dextera arripuit & exhausit. Agnovit I. Cæsar hanc quoque voluntariæ mortis gloriam esse tantam, ut cum Vticam victor properaret, ubi seipsum

ipſum interemerat Cato, audita eius morte, non potuerit, quin doloris impetu victus exclamaret: Inuidiſti meæ gloriæ Cato; ſed ego tuæ invideo. Et quidni Cæſar Catonis gloriæ invidiſſet, qui turpiſſimæ ſupereſſe illum ſeruituti voluiſſet? Ec-quid enim tandem eſt in illa tantopere deſiderata vita, quæ nonniſi turpis eſſe poteſt? Quid vero in hac ſponte ſuſcepta morte quæ ſemper eſſe hone-ſta ſolet? In illa dedecus, in hac gloria; in illa ſer-vitus, in hac libertas; in illa dolor ſæpius ani-mum excrucians, in hac animum lætitia ſæpius ex-hilarans. Dum ita vivis, nunquid moreris? En ita moreris, nunquid vivis? Scio in cogitationibus me veſtris hoc ſermone verſari, Humaniſs. Audi-tores, ſed amplius veſtros in animos deſcendam ſi quod ipſi certiſſimum eſſe iudicatis, orationi noſtræ robur adeſſe concedatis: ita videlicet cor-pus hoc noſtrum per dolores & adverſos ſæpe ca-ſus debilitari frangique, ut inutile ſit prorſus, & ſi ita eſt, quis non inde liberandam animam di-cet, ne labanti concluſa domicilio caſuum ſpe-ctatrix adverſorum, & dolorum impatiens, inuti-lis quoque fiat? Audi Senecam quiſquis huic no-ſtro ſermoni repugnas. Si inutile, inquit, mini-ſterium eſt corporis: quidni oporteat educere a-nimam laborantem? Audi iterum: Proſiliam ex ædificio putrido ac ruenti. Audi experientiam: Nunquid cum domum aliquam putridam eſſe & ruinam minitari homines animadvertunt, ilico deſerunt & aufugiunt? Ita quoque cum urgen-te dolore aliquo vel impendente fortuna in rui-nam tendit hoc corpus, abeundum eſt, & impe-tu generoſo proſiliendum è ruina. At inquies, ſine iuſſu Dei nunquam eſt è vita migrandum. Ita quidem, ſed impellentes tolle cauſas, non adſit dolor patientiam evincens, removeatur ſervitus omnis vitam anteactam deturpans, nullum dedecus aut infamia gloriam omnem

Probatio & illuſtratio ex diſſimilibus.

Commutatio

3. Argumen. ab incommodo fracti corporis.

Confirmatio ab authoritate Senecæ.

Ab experientia & ſimili.

Obiectio.

Reſponſio.

Illustratio à simili. extinguat. Equidem stationem servare miles debet, sed si ab hoste cogatur & imparibus armis discrimen exsurgat, saluti consulit fugiendo, veniamque meretur. Vt illud taceam, omnino Dei avocantis mandatum adesse videri, cum causis illis hominem urgeri permittit quæ nonnunquam etiam invitum ad mortem compellunt. Atque ne *4. Argumẽtum ab authoritate & exemplis.* hæc à me in rationis ac veritatis luce ita disputari putetis ut à me tantum accipiant authoritatem, credite Auditores, non hanc à me mihi mentem esse, sed ab eorum virorum opinione quorum apud homines & in pretio virtus, & in authoritate doctrina semper fuit. Hæc est Catonis opinio: & quis illo morum integritate vitaque præstantior? Hæc est Senecæ sententia, & quis *Dubitatio.* illum sapientiæ dignitate potuit unquam superare? Nescio quid de M. Tullio vel debeam vel audeam affirmare; certe si multum Seneca Catonis mortem extollit, multum eandem M. Tullius excusat. Quanquam quid in uno laborem ubi sexcenti facto suo rem universam determinarunt. *Exempla.* Quis vel Nicia vel Demosthene eloquentior? Vterque sibi vitam sua sponte terminavit. Quis Cleanthe, Chrysippo, Zenone, Empedocle præstantissimis Philosophis sapientior esse potest? Hi omnes dum animæ immortalitatem agnoscunt, & illam anhelant, suam animam non pigra manu ex corporis mortali carcere eduxerunt. *Repetitio.* Interfecit seipsum Poeta Labienus propter libros exustos. Interfecit seipsum Cornelius Gallus, qui repetundarum accusabatur. Interfecit seipsum Silius Italicus, quoniam ita gravissimi morbi tædio afficiebatur, ut sola in morte curationem sanitatemq; collocaret. Et hos tantos talesq; viros (neq; enim nominare cunctos est necessum) quis arguat erroris, aut imprudentiæ condemnet? Date veniam, Auditores, ut libere quod sentio non invitis vobis affirmem. Ita

enim

enim existimo planeq; sentio sibi manus inferre fortitudinis eius esse, quæ omnia vitamq; ipsam aspernetur. Etenim si ultra modum deditus est vino, qui amphoram non exsiccat tantum, sed exsorbet quoque fecem, ita nimium vitam hanc communem amat, qui extremos vitæ dolores vitamque turpem pati mavult quam abrumpere vitæ cursum, & necessariam alioqui mortem nonnihil maturare Vere, vere ille vitam aspernatur, qui nec eam degere turpiter, nec eas reliquias cum dolore respirare conquirit: non ignorat quippe ita miseram esse divinæ mentis nostræ conditionem in hac vita, ut sine iniuria & integri sensus animus nunquam esse possit in illa Quanquam quis hic mihi quos fortes extollo, timidos appellat, nunquid enim timiditatis est abiectæ non ea pati posse quæ morte ipsa graviora esse contendis? Errat hic meis in auribus sermo, sed nondum tamen mentem immutat. Profecto non qui mortem sibi consciscit, aut dolores suos aut instantia vitæ pericula morte ipsa graviora credit, sed indigna homine libero, sed talia quæ propter turpitudinem suam merito quis vitet, ne aut inutilis, otiosus, aut infamis sit in vita. Et obsecro unde tantus ardor & generositas inesset iis, qui se uita communi privant, si dolorem aliquem aut periculum reformidarent? Non à timore crescit animus, sed ab honore. Sed cognoscite tantum istum ardorem vel in uno Spartanorum Rege Cleomene, qui cũ sibi mortem Inferre cogitasset, à pedibus in longum se detruncavit usque ad abdomen, in quo tandem exspiravit. Cognoscite eundem, in Catone Vticensi, qui cum sibi mucrone pectus perfodisset, addita vulneri à ministris fomenta detraxit, ne vita rediret. Nec ille defuit generosus fœminis ardor. Testis est Porcia nobilis & animosa Bruti coniux, de qua non minus fortiter quam venuste cecinit facetissimus Poeta:

5. Argumentum ab adiunctu.

Illustratio à simili.

Obiectio.

Responsio.

Fortes videntur qui seipsos occidunt.

Exemplum inauditæ fortitudinis Cleomenis.

Catonis Vticensis.

Porciæ.

Coniugis audisset fatum cum Porcia Bruti
Et subtracta sibi quærere arma dolor:
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari.
Credideram satis hoc vos docuisse patrem:
Dixit, & ardentes avido bibit ore fauillas
I nunc & ferrum turba molesta nega.

Arria. Testis etiam est Arria pudicitiæ matronalis exemplum & decus, quæ cum seipsam confodisset, & gladium è visceribus extractum castissima mulier marito traderet:

Si qua fides, vulnus quod feci, non dolet, inquit.
Sed quod tu facies hoc mihi Pæte dolet.

Desinant igitur sermonem illum suum imperitum iactitare, qui quos fortes admirari deberent, timidos appellant. Degener est ignavus timor non bene virtuti coniunctus comes & ad gloriam stimulus nunquam adfuturus, *Peroratio.* Quanquam dum longius abeo & hinc omnem orationem sermo rapit, nimis fortasse parum iudicio vestro, Ben. Auditores, tribuere videor, ut mihi omnino necessum sit ad cogitationes vestras redire, quibus dum disputationem hanc universam *Repetitio.* comprehenditis, illud animadvertitis iustissimis *Confirmationis.* sæpe de causis ad inferendam sibi mortem hominem impelli, nec illud ignoratis, honestius sibi esse mortem adferre, quam in vita turpiter illam expectare: hoc etiam statuitis apud vos, inutile corpus nunquam esse fovendum, ex quo cum impetu generoso tot excellentes olim viri suam animam eduxerunt, in eoque præstantissimæ suæ indolis manifestarunt argumentum. Quod cum ita sit & iam ratio veritatem ostendat, veritas autem animum impellat, statuamus, ita constitutum esse, virum fortem oportere, ut cum honeste superesse non possit in vita, communem hanc auram generosa morte vitare non refor-

formidet. Et illud est quod nobilis Stoicorum Schola ac secta summa semper cum veritate probavit, summa vero cum imprudentia semper Academici Peripateticique improbarunt, intelligentes mortem illam voluntariam non à viris optimis & generosissimis propter aliquem dolorem optari & inferri, sed quoniam impedimento dolor est futurus quo minus in vita aut honeste aut cum aliquo emolumento degatur. DIXI. *Explicatio sententiæ.*

GUILIELMI de VLESCHOWER LOVANIENSIS.

Oratio dissuasoria.

Virum fortem in necessitate sibi manus inferre non posse.

MAcedonum Rex Philippus qui orbis universi domitorem magnum illum Alexandrum pater ipse produxit, cum pro tribunali judicaturus sederet, accusatori autem unam concedebat, reo alteram reservabat: non ignorans ut erat prudentissimus, nunquam exercere quenquam recte posse judicium, nisi rationibus utrinque discussis, in eius animo veritas eluceret. *Exordium ab historia Philippi regis Macedonum.* Quæ quidem consuetudo quemadmodum æquissima laudatissimaque fuit, ita vobis, Humanissimi AVDITORES, probari eandem opinor, ut in hac quoque difficultate nostra, nec aurem utramque, nec illum vestrum animum totum ei qui me præcessit Oratori concesseritis, verum ita partem aliquam mihi reservaveritis, ut & ad aures vestras, & animos vestros orationi nostræ aditus esse possit. Etenim cum *Accommodatio ad propositum.*

imprudentis sit & temerarii in re aliqua controversa maximeque momenti partem unam ponderare duntaxat & judicare tamen velle, non ego in hanc de vobis opinionem unquam abibo, ut existimem vos orationi meæ omnem aditum judicio jam efformato præclusisse. Profecto ita vos arbitror omnes hodierna die attenta quidem sed prudenti simul mente constitisse, ut facile vestris animis nostrum Oratorem insidiari senseritis, dum gravi quadam & pomposa verborum farragine Stoicorum documenta quædam & nobiliores eorum Sectatores produxit apud vos. Quasi vero si documentum aliquod præclarum aut virum etiam aliquem insignem Stoici jactitant & extollunt, in eorum nos verba doctrinamque jurare, & propter unius aut alterius authoritatem à communi hominum doctissimorum opinione recedere, ac in eorum scholam migrare debeamus. Certe si vix aliqui reperti sunt olim Stoici, nescio an unus possit hodie inveniri, cum interim in maxima Sectatorum multitudine doctrina regnet Peripateticorum, quorum ut authoritas maior semper apud omnes fuit quam Stoicorum; ita doctrina semper laudabilior rectiorque remansit. Veruntamen cum sita sit in ratione veritas omnis, ita illam inquiramus, ut quibus hic Stoicorum Patronus orationem suam confirmarit, excutiamus, qua in re ita vestram illam humanitatem precor, Ben. Auditores, ut si rationes omnes eius longe aberrasse à veritate ostendam, nequaquam illi credendum esse putetis; si vero opinionem vobis meam comprobabo, tantum orationi meæ quantum ipsi veritati tribuatis. Atque ne quam attulit orationem omnino videar aspernari, fateor illud inprimis & dolorem & infamiam & cruciatus & inhonestam servitutem gravissimas causas esse, sed an tales esse dicam, quæ ad mortem violenta manu perquirendam com-

Adducit adversarium in invidiam.

Propositio, & transitio ad refutationem.

Refutatio ad primum argumentum fatetur.

compellant eum qui se non hominem modo, sed virum agnoscit? Imo vero si mihi retexere fas sit sermonem, nec illas omnino causas arbitror. Est, est impatientia, non dolor, est furor, non cruciatus, est suiipsius oblivio, non infamia. Nunquid enim si quis etiam in his tantis malis sese hominem meminisset, humana omnia æquo animo toleranda putaret? Nunquid ita cogitaret, nunquam cujusquam odio mali maximum sibi malum inferre oportere? Iterum dico, non dolor est aliquis, non dedecus, aut cruciatus, sed desperatio, quæ cum remedium nullum admittat, furorem convertit in mortem. An dolor etiam vehementissimus ullus in mortem viri manus armaret? Non ille Attiliũ Regulum, non Scævolam adigere potuit in querelam: An alias diversæ fortunæ vultus ita animum immutaret, ut in seipsum sæviret? Atqui tot illum viri fortes ita perpessi sunt, ut nesciam an non præstantior in adversitate virtus eorum illuxerit quã dum omnia ridenti vultu in sinum illis fortuna congerebat. Equidem

Corrigendo sese causas mortu esse negat.

Repetitio.

Probatio ab exemplis eorum qui in adversitate fortes mansere.

Fortuna sævo læta negotio,
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna,

Illustratio per Horatiĩ sententiam.

Sed quid interim faciendum erit? Nunquid si ludat insolens fortuna, in meipsum sæviendo insolescam?

Si celeres quatit,
Pennas, resigno quæ dedit, & mea
Virtute me involuo, probamq́;
Pauperiem sine dote quæro.

Sed non ista sapiunt omnes, non ita sapiunt illi, qui dum animadvertunt non omnia ad avaritiæ suæ, & libidinis nutum fluere, iustissimam mor-

tis esse causam arbitrantur. Sed ô quam sero pœnitet eos! eos inquam:

Qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucemq; perosi,
Proiecere animas: quā vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores.

Ad 2. argumentum respondet honestiorem virtutem esse illam quæ ardua quæq; superat quā mortem. *Oppositio exemplorum ex dissimili.*

Quanquam, inquiunt illi Stoici nostri, nunquid turpi vita laudabilior est mors pulchra? Sed dicant illi primum, nunquid honestior, est illa virtus, quæ molesta lenit, obliqua dirigit, aspera, arduaq; complanat, quam desperatione mors quæsita? Dicant iterum, nunquid gloriosius in exilio & egestate quondam vixit Belizarius, quam qui seipsos interfecerunt, Otto, Neroque Imperatores? Nunquid Diogenes laudabilior, qui fortunam ferendo contempsit, quam Chrysippus aut Zeno, qui fugiendo cervicem illi submiserunt? prædica quantum vis Catonem, fortem etiam & generosum appella. Nunquid tamen ita fortunæ severioris aspectum perhorruit, ut se virum non agnosceret nisi tandem sese virum destrueret? Attolle Cleomenem Regem illum Spartanorum, dic esse magnanimum & in dolore constantem, nunquid etiam Tyrannum & sui tortorem appellabis? Potuit Porcia carbones haurire, sed non potuit de morte mariti dolorem perferre: potuit mori fortiter Arria, sed non potuit fortius vivere cum dolore. Ita sunt nonnulli nimium molles & delicati, qui cum in gremio fortunæ sedent, rident, cum ab eiusdem amplexu removentur, lachrymantur. Ita timent omnia & perhorrescunt, ut ictum exspectare fortunæ non audeant, qui minis eius ad mortem adiguntur. Et si ita est (ut ad alia etiam iam accedamus) animadvertitis quam nimium sibi complacuerit Orator ille noster, dum in morte tot illorum exponenda qui sibi vitam ademerunt, longo & expolito sermone triumphavit,

Responsio ad 3. argumentum.

vit; ſed nequaquam animadverterit nec pauciores nec doctrina minores extitiſſe, qui quidvis pati maluiſſent quam crudeliter ſibi mortem inferre. Atque ut illud de Stoicis illis affirmem, docti illi alias, nec inficior, fuerunt, ſed vere dicam & libere, hac in re deſipuerunt. Rurſum vero, & fortiori quaſi ſpiritu inclamant, Inutile quandoque corpus eſſe, non inutilem vero animum, eoque illud eſſe relinquendum. Magna vox illa maior & ideo quod Senecæ vox eſſe credatur, Egone vero Senecam arguerim, quem ſapientiæ doctorem Orbis admiratur? ſit ita. Doctorem etiam & oraculum nondum orbis repurgari libenter agnoſco; ſed quoniam ſequenda veritas eſt, non homo, tribuamus errores homini, & dum multa bene dixit fateamur hoc maledicto multa benedicta polluiſſe. Fateamur & illud non inutilem ſemper animum infirmo & debilitato in corpore verſari. Quod ſi tamen ita dolor nonnunquam augeatur ut animum premat, ſic exiſtima ad experientiam datum eſſe, ut ſi moleſtus exiſtat, ſit utilius, ſi intollerabilis, non ſit diu duraturus Adiecit velut extremum fortiſſimumq; telum fortitudinis ſignum eſſe ſibi manus inferre. An obſecro, quoniam viri non eſt erectis & immotis oculis utramque fortunæ faciem ſpectare non poſſe: An idcirco quia mulierum eſt inde oculos trepidos avertere, unde dolor poteſt aliquis promanare? Sed non inquis dolorem expaveſcunt. Si non expavit dolorem Cato, cur non ad Cæſarem confugiendum eſſe clamitabat? cur non una filium ſecum occidit, ut cum Torquato tantæ gloriæ ſocietatem adiret? Sed ſcil. ſint illi fortes qui fugiunt dolores, ſint illi vero imbecilles & timidi, qui ferunt eoſdem, & ferendo fortunam occidunt. Videor jam Auditores procellas omnes & fluctus, quos turbo quidam orationis adverſæ concitarat, reducta veritatis ſere-

Ad 4. Argumentum reſponſio.

Reprehenſio Senecæ.

Ad 5. Argumentum reſponſio.

Seipſum occidere timiditatis eſt argumentum.

ſerenitate compoſuiſſe, reſtat illud ut quoniam jam in terra pedem ponimus, non minus ipſo veritatis ſole fruamur, quam opinionis falſæ nebulis nonnihil fuimus perturbati. Dicamus ergo & nos aliquid, & ſi nihil notius experientia certiuſque homines arbitrantur, ab hac quoque difficultatis hujus veritatem exquiramus. Profecto ſi qui ſolent ab Imperatoribus Orbis huius ad alicuius loci cuſtodiam deputari ſine juſſu ac mandato ab eo ſeſe removere non poſſint, credendum eſt omnino neminem ex hoc corpore liberare ſeſe poſſe, niſi mandatum accedat cœleſtis ? illius Imperatoris, à quo & in hoc corpore conſtituimur, & cui tanto plus obedientiæ debemus, quanto major eſt homine Deus. Scio jam conſtrictas rationis huius veritate cogitationes veſtras teneri, ſed oblivisci non poſſum militis illius qui ſub Stephano Columnenſi ſtipendia merens, ſingulari fortitudine conſtantiaque & in omnem poſteritatem nomen ſuum diſſeminavit, & in orbis univerſi luce, quanti eſſent facienda Imperatorum Imperia declaravit. Conſtitutus ad cuſtodiam cuiuſdam turris erat, & jam cuniculis factis ignibusque admotis ruinam minitabatur; diffugerant commilitones, diſcrimen erat & vitæ periculum proximum; quid ageret ? quo ſe verteret ? illinc hoſtium impetus urgebat, ut diſcederet, hinc Ducis imperium, ut maneret. Manſit igitur generoſiſſimi miles animi, nec à ſtatione, in qua tandem vitam reliquit, niſi revocaretur, recedere cogitavit. Et adhuc quiſquam erit, qui evolandum ſibi ex hac corporis ſtatione putabit, quem non inde cœleſtis Imperatoris voluntas revocabit ? Nunquid qui poteſtatis alicuius imperio in carcerem detruduntur, non prius inde diffugere poſſunt, quam quæ clauſit poteſtas abire permittat ? Neque enim furtivo pœna diſceſſu vitatur, ſed creſcit. Nunquid mihi invito un-

Confirmatio. *Primum argumentum ab experientia & simili.* *Ratio.* *Illustratio ab militis cuiusdam fortiſſimi exemplo.* *Metaphora.* *Applicatio exempli.* *Similia.*

unquam domino vel auferendum est vel è loco movendum? Et nos in Dei potestate sumus, sub eius tutela respiramus, omnes eius providentia gubernamur? veruntamen ut ab experientia non recedam, unde huius veritatis initium deduxi, si crimine carere non potest, qui mancipio alieno vitam extorquet, reus erit & ille qui domino non iubente violenta sibi manu mortem consciverit. Neque enim, ut etiam supra fulgus aliquid dicamus, anima corpus, sed animam deserere corpus debet, cum scil. iam expletis annorum suorum numeris ita deficit, ut retinere vitam amplius non possit; cuius ratione veritatis Poeta compulsus prudenter exclamat:

Secundum argumentum ab autoritate iuris communis. Commutatio

Explebo numerum, reddarq; tenebris.

Quid? quod ita homo in hoc orbe sit constitutus, ut pro viribus operari debeat, & à Creatore mercedem expectare? Quod cum ita sit, non præcipitandus est ad finem labor, sed dum licet urgendus ac deducendus, ut maior mercedis accessio fiat. Quid? quod qui in seipsos sævientes sibi vitam adimunt, & in authorem naturæ & in Rempub. sunt injuriosi? Neque dubium esse potest, cum & cœlestis Imperatoris subditum sine mandato & Reipubl. membrum sine consensu rescindant. Vnde etiam hominibus illis tanquam in Rempubl. injuriosis justissima pœna constituta est, ut eorum scilicet corpora tanquam, quæ communi sepultura sint indigna, passim inhumata relinquantur. Quid iterum, quod hi homines tantum in se rabie feritateque consurgentes id assequuntur, ut in cœlos pervenire nunquam possint? Neque hoc ita dico, quoniam religionis nostræ veritas id affirmat. Affirmant id Ethnici quoque; Audite M. Tullium in illo præclarissimo Scipionis somno; ubi Paulus Æmilius jam tum agens inter divos ita Scipionem alloquitur: Nisi enim cum Deus istis te corporis custodiis libera-

3. Argum. ab hominis fine.

Varia argumenta per prateritionem.

beraverit: huc tibi (ad cœlum putat) aditus patere non poteſt. Sed cum illud minime ſit obſcurum, apud nos, quid opus eſt novam aliquam rationis facem in clariſſima veritatis luce accendere? prætereamus & illud quod cum Principum Regumque decretis prohibita ſint duella, & huic Principum voluntati hominum omnium communi authoritate ſit aggregata voluntas, utique & communi mortalium omnium opinione, & Monarcharum juſtiſſimarum authoritate nefas eſt omnino ſibi manus inferre. Sed fortaſſis nimis multa, ubi erroribus diſcuſſis ſatis ipſa jam per ſe veritas elucet. Quapropter ſi recedere ab hac ſtatione vitæ non poſſimus, ſi reus eſt qui ſubditum alienum occidit, ſi expectandus eſt vitæ finis non quærendus, ſi divina datur authoritas, & Reſpublica, cum iniuſſus quis excedit è vita, nec optato potiri fine poteſt unquam, ita credamus & ſtatuamus, nunquam omnino virum fortem & generoſum violentas ſibi manus inferre poſſe, aut debere. DIXI.

Præteritio. *Repetitio. Confirmationis.* *Explicatio ſententia.*

DELIBERATIO DE PEREGRINATIONE.

Adoleſcens Reipubl. Alumnus à Magiſtratu, ut peregrinari poſſit, contendit.

Exorditur ab officio grati adoleſcentis. Ratio à conditione eius.

SI quid eſt, quod in terris ſecundum Deum amare, inquam oculis habere perpetuo debeam, Proceres Ornatiſſimi, Ampliſſimique noſtra eſt humanitas ingens & admirabilis omnino munificentia. Etenim cum obſcuris oriundum natalibus eſſem, quorum fortuna conditio-

tioq; vitæ vix ab egestate distaret, adoptastis me in tutelam curamq; vestram, ut Reipubl. filius videre, eosq; benignitatis vestræ favores hunc in sinum meum effudistis, ut vivere me non tantum honestissimeque vivere velletis, verum etiam artium optimarum studiis adornare. Peregi itaque vestra illa benignitate, Proceres Amplissimi studiorum in hac urbe nostra patriaq; decursum & aliquam, quam in me placere vobis, vehementer lætor, eruditionem sum adeptus. Vnde vobis, quoniam in hunc vestrum aspectum sum admissus, Proceres Amplissimi, & hoc pectus beneficii nostri memoria perfodit, gratias, quos conciperedicereq; possum, habeo dicoq;. Quod si hæreat in gratiis dicendis lingua (nam me vestra humanitas confundit) animus perpetua recordatione linguæ defectum supplebit Quanquam quid mihi benignus ille vester aspectus promittit? quo rursum invitat humanitas? An ut beneficium iterum aliud exposcam à vobis, qui me muneribus innumeris hactenus cumulavistis? Non possum benignitatis vestræ fontes occludere, quos apertos mihi semper esse vestra humanitas decernit. Permittite igitur, Ornatissimi Prudentissimiq; Proceres, ut qui hactenus vestra in urbe crevi, regiones exteras invisam, & ad vos aliquando collecta prudentia maturior perfectiorque revertar. Non impello petitionis meæ rationes; loquor apud eos, qui mihi parentum dominorumque sunt loco tantum oro, obtestorque.

Gratias agit

Petit peregrinandi facultatem.

DIXI.

DELI-

DELIBERATIO MAGISTRATVS.

ORATIO I.

Præsidis.

Exorditur à laudatione gratitudinis eius.
Laudat petitionem eius.

GEnerositatem illam tuam, & excitatam indolem iuvat intueri, O Adolescens, hæc tibi verecundiam istam gratitudinemque suppeditat, illa tuum animum honestissimæ petitionis ardore succendit. Age igitur, gratum est, quod erga nos te gratum intueamur. Placet animus iam spei magnæ conscius ad maxima sublimiaque contendens. Nimirum imitari cupis iuvenes illos Romanos, qui ut ad Rempub. pararentur in Græciam Massiliamque tanquam ad Emporia scientiarum à parentibus ablegabantur, ut inde aliquando ad Rempub. idonei reverterentur. Nimirum multa videndo ipse, & audiendo sapere supra vulgus exoptas, & qui es à Rep. ad Reip. spem educatus patriæ tuæ præstare te virum peregrinando contendis. Nescio, an quod veterum quidam dixit, audiveris aliquando. Cui peregrinatio dulcis, patriam non amat; si dulcis patria, amara peregrinatio est. Certe quemadmodum nascuntur in patria patriæ conservatores, ita crescunt in illa. Quam multi varias adeunt regiones, & exoticos peregrinosque secum mores exportant? Nondum tamen tuum animum depone, retine affectum tuum, ibo per singulos, & magistratus, pro te voluntatem exquiram. Si quid ergo iudicii sit in te, qui Princeps es Magistratus, quoniam iam adolescentem audivisti, deprome.

Dubiam tamen facit illam.

Exquirit sententias Senatorum.

ORA-

ORATIO II. PRIMI DELIBERANTIS.

Suscipiendam esse adolescenti peregrinationem.

NOn ignoratis, Amplissimi Viri, cum qui aliquando in Reipub. gubernaculis, inque quorum vestigiis maiorum versari cupit, ut in eo tanquam in fortissimo præsidio ac tutela Patriæ spes, una recumbat, & à quo in angustiis auxilium, atque in adversitatibus salus certa petatur, eruditum & multarum rerum peritum esse oportere. Ecquis vero, qui perpetuo domi delitescet, nullas exteras regiones adibit, nullas Academias alias atque urbes frequentabit, eam sibi in patria promittet eruditionem, peritiamque præclarorum virorum vestigia premere cum honore & gloria, ac deinde cum utilitate Rempub. possit administrare? Ne ego nullam adeo felicem in terris regionem esse puto, cui non aliquid vel ad necessitatem, vel ad cultum desit.

Exorditur à conditione eius, qui patria utilis est futurus.

Eruditionem peregrinando acquiri.

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ:
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Neque etiam adeo beata est ulla regio, quæ felicissima omnia ingenia includat, sinuque suo sapientiæ stirpes omnes comprahendat: sparsa illa sunt per orbem, & varias diversissimasque terras illustrant. Habet Italia, quos admiramur; habet Hispania, quos suspicimus; vivunt in Germania qui immortalitate sunt digni; vivunt, in Gallia, qui cum aliquando morientur, semper tamen vivent immortales. Quantum profuit Ciceroni in

Exempla.

Rho-

Rhodo insula Moloni recoquendum refingendumque sese dedisse? Quam gloriosum Anacharsi fuit, ab extrema Scythi in Græciam Philosophiæ causa ad Solonem contendisse? Quam Romanis utile fuit è Græcia mores ac leges accessivisse? Quam ad sempiternam sæculorum omnium memoriam illustræ Sabæorum reginæ, vel ex locis remotissimas Salomonem petivisse? Placet mihi Adolescentis huius nostri desiderium; expediat aliquando sese è patriæ sinu, & in lucem regionum cæterarum irrumpat; crescat in Academiis urbibusque aliis; à doctis doctrinam, ab urbibus bene constitutis morum disciplinam reportet, & ad nostram aliquando Remp. prudentior revertatur. Ita sentio, & ut publico sumptu dimittatur, omnino judico DIXI.

Sententia qua petitioni adolescentibus annuit.

ORATIO III. SECVNDI DELIBERANTIS.

Suscipiendam esse adolescenti peregrinationem.

Exorditur assentiendo dictæ sententiæ.

EQuidem aliud in adolescente requiram, sed non tamen, à sententia jam dicta discedam. Aspirat igitur ad Remp. adolescens, & aliquando prodesse patriæ suæ gubernando contendit? In eo sit oportet authoritas & gratia. Quid est vero authoritas illa, nisi quædam consentiens bonorum omnium de virtute ac eruditione æstimatio? Et quotusquisque æstimationem illam sui per diversas dispergit oras, qui non secus in patria, quam in concha testudo delitescit? qui vix plures perambulat regiones, quam uno


Peregrinando authoritatem acquiri.

Ratio per similitudines

uno solari die Limax perertat? qui vix ulterius à domo paterna pedem, ponit, quam ab antro suo formica recedit? Ille, ille authoritatem sibi perquirit, qui plures perlustrat regiones, quam alii pictas unquam viderunt; cum pluribus nationib. familiarissime conversatus est, quam alii loquentes audiverunt; plures callet linguas, quam alii legerunt plurium gentium instituta moresque didicit, quã alii per rumores, intellexerunt. Ille, inquam, ille sibi virtutem istam comparat, quam authoritatem appellam, qui nulla pericula reformidat, qui tales sibi opes ac thesauros acquirit, quos nullus fortunæ casus evertet, cui nihil iucundius, quam peregrinari, quam exterorum mores ac consuetudines observare; quem nulla patriæ parentumque blandimenta domi tenent, aut voluptatum illecebræ remorantur. Quis est qui non talem deprædicet? in oculis habeat? sermone circumferat, quis est qui non amet, admirandum? admiretur colendum? colat Reipub. utilissimum? Nemo illos reveretur, qui cochlearum instar in patria delitescunt, nulla illi sunt in authoritate, qui patrios tantum caret viderunt; nullam gratiam obtinent apud probos, qui suæ tantum urbis mores corruptos sæpe noverunt. Vale, Adolescens nam sic sentio, & si gratiam patriæ tuæ referre cupis, non hic sed alibi præstare virum, ut ad Rempubl. aliquando cum authoritate gratiaque vir accedas. Sumptus etiam fortasse desideras? Vtere benignitate nostra, concedo.

Conduplicatio. *Traductio.* *Effectus peregrinationis* *Gradatio.* *Sententia qua annuit petitioni adolescentis.*

DIXI.



ORA-

ORATIO IV.
TERTII DELIBERANTIS.

Suscipiendam non esse adolescenti peregrinationem.

Exorditur excusando se & laudando adolescentem.

VIderi soleat odisse nonnunquam, quæ petita non concedunt. Non odi te, quem multum amo, Adolescens, Germen ex Reipubl. nostræ manu consitum, cura excultum, fauore irrigatum, & si iam surculus es aliquis, in arborem aliquam tandem evades. Ego vero è Reipubl. sinu te eiiciam? in exteras te regiones ablegem? Veneror illam Lacedæmoniorum disciplinam, quam illi ita diligenter obseruarunt, ut nemini foras progredi, vel à patria sua peregrinando recedere fas esse vellent. Laudo semper præclarissimum Atheniensium institutum, qui suos cives à Mari tanquam ab improbitatis magistro semper abduxerunt. Ita enim veteres illi peregrinationem improbarunt ut Rerumpub. pestem esse arbitrarentur. Dixit paulo ante Præses Cui peregrinatio dulcis, patriam non amat; Si dulcis patria, amara peregrinatio est. Si patriam amas cur peregrinationis te tantopere desiderium invasit? Audio, eruditionem reportabis, & prudentior maturiorque redibis. Nescio an non etiam corruptior, sed tibi cur huius urbis iam collegia doctique vilescunt? Si in huius Academiæ horto scientiarum omnium tibi flores colligere licet, cur tot sumptibus tantisque periculis, quod habere hic potes, aliunde reportare contendis? Ad authoritatem colligendam abibis,

Proponit peregrinandū non esse.

Probat exemplis.

Item dicto præsidis.

Præoccupatio ex sententiis iam dictis.

bis; Nimirum non apud alios æſtimari cupis, qui nobiſcum vivere, & inter nos mori votum habes. Ibi quærenda eſt authoritas, ubi imperandum; ibi concilianda ſibi gratia, ubi vivendum. Videtis, quid Proceres contendam, amo adoleſcentem & adoleſcentem cupio retinere; creſcat in oculis noſtris, diſcat mores noſtras, ita nobis ſemper placebit; ita noſtram urbem diſcet à nobis gubernare, DIXI.

Sententia qua retinendum adoleſcentem indicat.

ORATIO V.

QVARTI DELIBERANTIS.

Suſcipiendam eſſe adoleſcenti peregrinationem.

VIrtutem cum in omnibus, tum in Magiſtratibus potiſſimum requiri, nemo unquam dubitavit, qui vel ſolem potuit intueri, & neceſſariam in eo lucem videre, à quo omnia lucem aſtra mutuantur. Quis eſt, enim, qui non Magiſtratum ſolem eſſe Reipub. dicat, à cuius luce, hoc eſt virtute, cives omnes illuſtrentur? Quod cum ita ſit, & virtutem morumque probitatem, qui admonendus eſt ad Reipub gubernacula requirat, abi. Adoleſcens, per me licet; recede à Patria tua aliquando, ut ad eam cum virtute gubernandam revertaris, & civibus tuis morum aliquam probitatem reportes. Specioſa eſt eruditio, & ad ornatum Reipub. ſed neceſſaria eſt probitas ad ſalutem Reip. Abi, rurſum dico, Adoleſcens. probitatis & virtutis exempla apud exteros illuſtria reperies, ipſo aſpectu tuus animus attolletur, & ſeipſo quaſi grandior exiſtet, viſa-

Exorditur à re ipſa, & ſententiæ expoſitione.

Peregrinando virtutem & probitatē acquiri.

visaque toties aliena virtute ac gloria, ipse ad veræ virtutis & gloriæ cupiditatem exardesces. Cur obsecro tanto olim sumptum ad Olympica certamina iuvenes dimittebantur, nisi ut omnium virtutum exempla videntes ad imitationem inflammarentur? Ita cum tibi in excellentium virorum familiaritatem venire continget (quæ ipsorum est humanitas) quanta sese tibi proficiendi, virtutumq; discendi variis occasio offerret? Quot ex unius Socratis conversatione ad frugem revocatos non solum doctiores, sed etiam meliores legimus abivisse? Quot ex Lelii Scipionisque consortio? quot ex aliis? Ecquis vero neget externam quandam elegantiam, & laudabilem comitatem apud exteros comparari? Quis Scyta non mitesceret cum Anacharsi? Quis non apud politiores illas gentes animadverteret quid deceat in cultu, quid in vestitu, quid in actionibus? quæ veneres ac lepores in sermone gustuque conveniant? Vere mihi Gymnasium quoddam peregrinatio videtur, in quo vi & via quadam tacita præclarissimæ virtutes accrescunt. Hic illa mollities animi deponitur, & per diversas itinerum molestias expugnatur hic morositas exuitur, humanitas assumitur, affabilitas & placabilitas exercentur. Non plura dicam, eat tamen & publico sumptu peregrinetur adolescens.

Probat exemplis.

Vitia peregrinando deponuntur.

Concludit repetitione sententia.

DIXI.

* *
*

ORA-

ORATIO VI.
QVINTI DELIBERANTIS.

Suſcipiendam eſſe adoleſcenti peregrinationem.

Miratus ſum perſæpe, Prudentiſſimi Proceres unde prudentiam illam. Civilem Ariſtoteles unicum naturæ miraculum, hauſiſſet, quam ſuis politicorum libris perfectiſſimam & abſolutiſſimam eſt complexus, verum poſteaquam intellexi peregrinando regiones illũ quamplurimas obiiſſe, & ducentas quinquaginta politias accurate deſcripſiſſe deſii aliquando mirari atq; ut credidi neminem niſi peregrinando politicum eſſe poſſe. Prudenter proinde Plato peregrinationem ſuſcipiendam eſſe monet, ut aliorum moribus perſpectis, patriæ leges corrigantur, augeantur, illuſtrentur. Prudenter quoque Veneti, quamvis à Rep. ſapientiſſime inſtituta laudentur ubique, legatos ſuos apud exteras gentes habent, qui omnia in Rebuſp notatu digna diligenter obſervant, & ad patres accurate perſcribunt. Quiſquamne Hebræorum duce & legislatore Moyſe ſapientior unquam fuit? ille tamen adminiſtrandæ Reip. judiciorumque obeundorum rationem commodiorem à Tethrone ſocero ſuo, homine peregrino non ſolum audivit, ſed etiam cum fructu accepit ac probavit. Nimirum videnda, audienda, conquirenda ſunt talia apud exteros, conferenda & diiudicanda. Erunt, quæ diſcantur ab ævo uſuque provectis erunt, quæ notentur de luxu civitatum quarundam ap-

Exorditur ab exemplo Ariſtotelis.

Peregrinando prudentiam politicam acquiri.

Item ratione.

ad perniciem, de inſtituto aliarum ad ſalutem, de moribus plurimarum ad diſciplinam. Docebant in via ſocii, in exulis hoſpites, in hoſpitiis caupones. Novas hiſtorias mirari licebit & ad prudentiam annotare; elegantiam ſubinde novam fas erit ad uſum transferre. Non ego te retineam, Adoleſcens, imitare Lycurgum, qui, ut legibus Remp. ſuam fundaret, in Cretam & Ægyptum eſt profectus. Multa invenies apud exteros inſtituta vitæ, quæ notabis. Ita fac, & noſtro ſumptu, quem tibi quoque decerno, dignus aliquando redi. DIXI.

Concludit aſſentiendo.

ORATIO VII.

SEXTI DELIBERANTIS.

Suſcipiendam eſſe adoleſcenti peregrinationem.

Exorditur à refutatione contrariæ ſententiæ.

SVnt equidem nulli, qui magnis, ut arbitrantur, exemplis peregrinationem contemnant. Nunquid, inquiunt, Socrates Athenis pedem nunquam extulit? nunquid Ælianus, nunquam Italia? nunquid Pomponius lætus nunquam Roma? Ego vero, Proceres, nondum iſtis commoveor & vobiſcum adhuc adoleſcentem hunc noſtrum libenter dimitto. Imitetur Vlyſſem unicum humanæ prudentiæ ſpeculum, & errando per varias oras, varium ſe cum variis fingendo, fiat nobis alter Vlyſſes. Non dico imitetur Solonem, Platonem, Pythagoram, Ariſtotelem, alios ævi illius Gentilis innumeros vel Æroas vel Argonautas: imitetur vero Sanctiſſimos Patriarchas; Noe, Abrahamum, Iſaacum, Iacobum,

Propoſitio & ſententia.

Probat exemplis.

Cæ-

cæterosque quorum peregrinatio tantum fuit. Imitetur fortissimos Duces & Principes, Moysen, Iosuam, Davidem, & hanc Vitam nostram peregrinationem esse perdiscat; hunc mundum non habitandi locum, sed commorandi diversorium esse. Vere tu peregrinatio Lux es vitæ, procreatrix morum honestissimorum, conciliatrix virtutum præstantissimorum. Tu eruditionis ac sapientiæ conquirendæ viam aperis; tu mecum ac vitæ disciplinam tradis. Sed eos hæc omnia, Proceres Dixistis; ego vero illud affirmo perspectis aliorum moribus legibusque meliores effici cives, cautioresque reddi. Ego, inquam, illud dico peregrinatione rerum omnium usum acquiri, quo neglecto nulla administratio procedet. Habe igitur, O Adolescens, vocem hanc meam petitioni tuæ suffragantem, vade peregrinare, viros maximos, & illustrissimos imitare; nihil tibi nostra benignitas neget, quam ista gratitudine tua meruisti. DIXI.

Amplificatio à definitionibus conglobatis.

Concludit assentiendo.

ORATIO VIII.

Præsidis.

LÆtor, O Adolescens tuam illam petitionem honestam iis esse visam, quibus placere debuisti. Ibis ergo, nam & ego tibi suffragari volo; peregrinaberis, ut petis sumptibus nostris uteris, & alibi quoque noster eris. Audi tamen, ut cum fructu peregrineris, Et mansisse diu turpe est, vacuumque reverti. Non cum, Æsthine redeas, qui in Alexandri Magni aula tantum ejus saltationes notarat; Non cum adolescente illo revertaris, qui sylvas, montes, fluvios, campos, peregrinando se vidisse gaudebat, Peregrinaberis cum pugillaribus, instituta ac mo-

Adiungit suam sententiam præses.


Addit monitiones.

Docet modum peregrinandi

mores notabis, illustria quæcunque observabis, ab ore doctorum sæpe dependebas & vestigia premes; non cuivis dexteram porriges; vitabis adulatores, reiicies istos commodorum non laborum sodales. Verbo concludam, ita peregrinare, ut tibi quod cuidam, obiici non possit Angelus Rusticus in Italiam profectus est, Vrbanus diabolus in patriam reversus est. Vides Reipublicæ in te benignitatem, vive gratus Reipublicæ.

ADOLESCENS GRATIAS AGIT.

NEc vestra fortuna, Proceres Amplissimi, remunerationem desiderat, nec nostra suggerit remunerandi facultatem. Privatorum ista copia est, inter sese esse munificos, Vestra beneficia, ut magnitudine præcellunt, ita mutuum non reposcunt. Quod solum igitur nostræ opis est, gratias ago verum ita ut apud Deum fieri solet, sentiendo copiosius, quam loquando. Vestri beneficii in ore laudationem, in corde obligationem perpetuo gestabo.



ILLV-

ILLVSTRIS D. ADAMI KALINOVVSKI POLONI.

ORATIO DE IMPERATORE

Seu

BELLI DVCE.

Divus ille Plato, quem Antiquitas veneranda Philosophorum Deum appellauit, Ornatissimi & Humanissimi Auditores, Rempu. unamquamque, ac præcipuum maximumque Principis alicuius aut, Regis officium duabus rebus consistere, Regibus nimirum & Armis, indicabat. Ac legibus quidem, quæ pacis tempore promulgantur, ut in officio boni contineantur, ad Rempubl. improbi arceantur, condignis honoribus bene meriti afficiantur: Armis vero, ut ab hostis iniuria impressioneque cum Civitas, tum universa Patria salus omnium, ac tranquillitas defendatur. Vnde manifestum est unicuique belli Ducem, seu Armorum Moderatorem velut alteram Reipublicæ columnam esse, qua sublata, corruat ipsa omnino necesse est; imo vero Civitatis ac Regni murum, vallumque, nec male fortassis Reipublicæ Manum appelandum esse. Adeo ut in Imperatore supra cæteros homines aliquid amplius sit, quod animadvertens prudentissimus ille Poeta:

Exordium authoritate Platonis seu dicto.

Applicatio

Necessitas belli Ducis.

Res, inquit gerere & captos ostendere civibus hostes,
Attingit solitum Iovis, & cœlestia tentat.

Quid enim, obſecro, admirabilius eſt, imo quid divinius, ad æternam poſteritatis memoriam, quam unum hominem, cumque, qui exercitui ingenti præſit, medias inter acies invictum ſtare; virtutis & ignaviæ uniuſcuiuſque arbitrium ſe præbere? nunc dextrum lævumque cornu aciter & conſtanter defendere, nunc fugientibus obſiſtere, nonnunquam acies turbatas reſtituere, ſemper fere voce ac manu ſingulis adeſſe, univerſis vero conſilio prodeſſe, hoſtem denique profligare, evertere, ſubiugare? Atque cum ea ſit Imperatoris in Rep. dignitas, nemo eſt, qui non illum Reipublicæ per quam eſſe neceſſarium iudicabit, cum profecto nequaquam ſit ſatis innumeros & immenſos eſſe in Republica exercitus, niſi eorundem Dux aliquis ſit cum virtute ſua illuſtris, tum Reipublicæ authoritate armatus. Vidit hoc & intellexit Gabrias ille Athenienſis, atque idcirco reformidandum magis cervorum exercitum Leone Duce, quam Leonum cervo Duce affirmabat. Vidit etiam & intellexit Iulius Cæſar, ille Imperatorum Imperator, veræ Virtutis alumnus & Fortunæ delitium, ideoque cum in Hiſpaniam adverſus Petreium proficiſceretur, non magni eum ſe facere, aiebat, quod cum exercitu ſine Duce conflicturus eſſet. Et ſane quemadmodum ſine gubernatore remiges, nonniſi in ſcopulos atque in apertum naufragium navem ipſam ſuo robore & inconditis iuribus impellunt; ita ſine Imperatore milites aut ipſam belli molem non permovent, aut in perniciem atq; exitium protrudunt. Sed fortaſſis iam in ipſo dictionis noſtræ portu aberro; neque enim de Imperatoris ac Belli Ducis neceſſitate differendum eſſe hodierna die conſtitui, ſed eum, ſi quo poſſim adoleſcentis Eloquentiæ penicillo adumbrare tantum, aut profecto, ſi ſperare auſim amplius, vivis coloribus adornatum & per-

Propoſitio cum correctione.

perfectum repræsentare. Video iam erectos animos vestros ad hanc nostram de Imperatore vocem, Ornatissimi AVDITORES, agite vero vos ipsi, quemnam tandem, aut ex prisco illo ævo, aut ex hac nostra ætate, si non oculis coram usurpare, at animis intueri desideratis? An magnum illum nomine reque ipsa Alexandrum? utinam liceret. An prudentissimum iuxta & fortissimum Pyrrhum? Vellem sane. An fulminantem Italiæ terrorem Hannibalem? Eum ipsum optarem Concipite tamen quem vultis, Ornatiss. AVDITORES, ego, quæ in perfectissimo Belli Duce requiri iudicavero, quantum assequi oratione potero, declarabo. Nolite vero exspectare, ut illi vestræ de me expectationi respondeam, neque enim nisi summi Oratoris est, summum Imperatorem describere; enitar tamen, ut quoniam tanta animorum benevolentia conantem aliquid Eloquentiam nostram complecti parati estis, suscepti oneris magnitudini non succumbam. *Conciliatio auditorum.*

Leo Imperator, Ornatissimi AVDITORES, cum omnia Reipub. momenta in excellenti posita esse Imperatore ac Belli Duce non ignoraret, eum talem esse mandabat, qui corpore continens, victu temperans, sobrius, vigilans, frugi, in rebus necessariis minime profusus, in laboriosis negotiis assiduus, circumspectus ac prudens, pecuniæ despiciens. famæ commendatione honestus, neque iuvenis, neque ætate ingravescens, habilis ad dicendum ex tempore in media hominum frequentiæ, denique generoso tum animo, tum corpore, ac rebus in omnibus magnanimo esset. Quæ sane omnia etsi non inficias eam tanto in viro per quam esse necessaria, ut eo hostibus insultantibus opposito tanquam Reipubl. scuto quodam cæteri omnes communem hanc auram secure respirent, & respirantes de potenti improbitate *Confirmatio. Adiuncta belli Ducib.*

Virtutes in belli Duce requisitæ, Partitio orationis. triumphent, ego tamen sic existimo, eum legitimum Belli Ducem esse, in quo Scientia rei Militaris, Virtus egregia. Providentia sagax, Auctoritas absoluta, Fortuna felix & favens: quibus quinque notis ac signis universum dictionis huius ambitum tanquam cancellis quibusdam circumscribam.

Scientia rei militaris in belli Duce. Atque inprimis ita rebus in omnibus comparatum esse videmus, ut qui gloriosam dignitatis alicuius excelsæ molem suppositis numeris sustinere præsumunt, eiusque munus cum laude sua ac fama obire contendunt, illius perfectam primum peritiam ac notitiam sibi debeant comparare. Quo cum in omnibus aliis clarissime usus ipse demonstret, tum in navium gubernatoribus, *Probatur a simili.* quibus nunquam gubernanda in alto mari navis traditur, nisi prius omnem maris ventorum, tempestatum rationem perspectam, atque adeo rei nauticæ universæ perfectissimam cognitionem sint consecuti. Iam ergo cura is sit Imperator, cui aliquando universæ Reipubl. salus est committenda, quis est, qui non talem esse debere iudicabit, qui artis suæ sit gnarus, usque longo militiam ipsam combiberit? talem, inquam, qui pueritiam militiæ rudimentis imbuerit, adolescentiam belli cursibus atque laboribus exercuerit, ineuntem iuventutem susceptis præliis corroborarit, victoriis ac trophæis excitarit? Dicam cum tacendo *A authoritate Taciti.* nunquam Tacito. Qui plures provincias stipendia expleverit: qui noverit, quis ordo sit agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo trahendove bello sit modus; qui cum hostibus sæpe conflixerit, cum inimicis semper concertarit, bella agendo non legendo gesserit, provincias non cogitando, sed perambulando in armis confecerit; adeo ut nullum sit belli genus, non terrestre, non navale, non externum, non internum, non defensorium, non vindicatorium, in

quo

quo illum non universæ Patriæ fortuna exercuerit, dico etiam illustrarit. Et vero quanta est universæ Reip. confidentia? quanta securitas? quanta tranquillitas, cum eum se Imperatorem ac belli Ducem non tam scit habere, quam sentit, cuius scientiam nulla res omnino, quæ quidem posita sit in usu militari, fugere potest. Si potentiam ingentem hostis ostentet, scit eludere; si vastationibus ac depopulationibus grassetur, scit reprimere; si maioribus viribus insultet, scit prudentia solertiaque superare. Non ignorat insidiarum modos; astutus est; non terretur eventu nonnunquam adverso; secundatum enim rerum ambiguarumque sciens est, eoque interritus. Vna est rei militaris scientia, quæ verum facit Imperatorem: unus est scientiæ militaris acquirendæ modus militare. Vt enim vetus est verbum summa cum veritate conjunctum, nescire eum recte imperare, qui non didicerit parere, ita plane nec exercitum regere novit, qui militare non prius didicerit. Apage apage istos (quosnam vero dicam?) Ambitionis istos, non Martis alumnos, qui non militare, sed imperare; non sub armis sudare, sed arma jubere; non stipendia mereri, sed dare concupiscunt. O sane non fortunatæ Respublicæ illæ, quæ habent Imperatores, quos milites nunquam viderunt! Non ignorabat hoc exercitatissimus ille belli Dux Sertorius, cui etsi Reipublicæ fortuna non favit, eius tamen laudibus nihil posteritas detraxit. Is cum in Hispaniam contra se Cneum Pompeium adhuc pene imberbem & adolescentulum videret, indignatus primo, quod suæ virtuti non par adversarius adesset, contempsit; deinde etiam cum instaret ille, & armis arma ultro provocaret. Ego, inquit, juvenem istum castigatum domum remittam. Nimirum, quem juvenem adhuc intuebatur, ab eo rei militaris scientiam ab-

A confidentia Reipub.

Modus acquirendi scientiam rei militaris.

Authoritas Sertorii.

esse judicabat, hanc in quo non reperiebat, contemnendum ac reiiciendum esse censebat. Illa est scientia militaris, quæ imperterritum reddit, & adversus casus omnes audacem, ut non immerito dixerit ille apud Livium, non temere adversa casuum eum reputare, quem fortuna nunquam deceperit. Illa est, quæ ubi animum instruxit, ardentior est manus; ubi mentem occupavit, ferventius est pectus. Quot sunt excellentissimi Heroes? quot egregii Imperatores, qui hodie (quid dico hodie?) qui omnium sæculorum atque ætatum famam præclarissima cum laude sua ita impulerunt, ut inter homines supra homines fuerint; ab hominibus ubi recesserunt, Dii potius quam homines sunt visi? Obsecro, an quia potentia præcellentes? Parum potentia potest, si prudentia non regatur; an quia robore ac viribus invicti? etiam validissimum invalidum est, si scientia careat robur. Quamobrem ergo? quia nimirum in re militari nihil omnino ignorabant, adeo ut multo potius sit Ducis ingenium in bello, quam manus. Verum enimvero non eum tantum Imperatorem volo, qui rei militaris scientiam ostentet, sed qui, ut ille apud Livium dicere possit, Facta, non dicta mea vos milites sequi volo, nec disciplinam modo, sed exemplum etiam à me petere.

Repetitio.

Communicatio.

Virtus in belli Duce.

Quid igitur est, Ornatissimi AUDITORES, quod amplius in Imperatore requiro? Requiro virtutem: neque enim egregia illa Imperatoris facta, à scientia tantum rei militaris, sed à Virtute quoque proficiscuntur. Bipartitam illam, corporis animique faciamus, & ordine procedamus. Num forte negotium occurrit? adsit laboriosus: num periculum præ foribus est? consistat fortis: num aliquid est agendum? industrium sese ostendat: num aliquid conficiendum? celeritate utatur: num aliquid providendum? consilium promptum habeat. Imitetur gloriosissimum illum

Transitio, cum distributione.

Subiectio.

Imperatorem Iulium Cæsarem, qui, si Tranquillo credam, laboris ultra fidem patiens erat, & in agmine nonnunquam in equo, sæpius pedibus anteibat, capite detecto, seu sol, seu imber esset. Audiat Agesilaum, Lacedæmoniorum illum Regem, qui Imperatorem decere potius aiebat, ut tolerantia, quam mollitie privatis hominibus præstaret. Atque, ut de illo Xenophon attestatur, si quandoque usu veniret, ut laborandum exercitui esset, sponte sua supra cæteros laborabat, quod arbitretur eiusmodi omnia militibus esse solario. Nimirum

Illustratio ab exemplis. I. Cæsaris Agesilai.

——— *Tum promptius ibunt*
Te socio, cum conspicuus, gratusq; geretur
Sub te teste labor.

Adeo necesse est, ut Dux ipse plerumque in opere, in agmine gregario militi mixtus sit, incorrupto semper Ducis honore, quique ausit

------ *Primus sumpsisse labores,*
Primus iter carpsisse pedes.

Quid dicam nunc de bellandi promptitudine? sed hæc in labore consistit: quid de constantia? hanc complectitur fortitudo: quid de singulari rerum omnium expeditione? in industria hæc posita est. Quanquam non illa solum bellandi virtus in summo atque perfecto Imperatore, quærenda est, sed multæ sunt partes eximiæ, huius administræ comitesque Virtutis. Quanta igitur (ut Marci Tullii verbis utar) quanta innocentia debent esse Imperatores? quanta omnibus in rebus temperantia? quanta fide? quanta facilitate? quanta humanitate? Quæ certe nisi omnia aut pleraque habeat, non ego possum Imperatorem in aliquo numero putare. Nihil dicamus nunc de innocentia, quam profecto qui in Imperatore negaret, non eum Reipublicæ Ducem, sed publicum & armatum esse latronem iudicaret.

Subiectio.

Alia virtutes requisita.

Innocentia.

 De

Temperantia. De Temperantia quis silebit? Iulium Cæsarem fortunam sibi fabricantem temperantiæ addictum fuisse, Suetonius attestatur; idque cum animadverteret Marcus Cato, unum ex omnibus Cæsarem ad Rempubl. evertendam sobrium accessisse dicebat. Et vero parsimoniam firmissimum esse penu rerum agendarum Cyrus ille Xenophonteus ex vero affirmabat. Vnde Scanderbegus inclytus militiæ Dux dictatare solebat. Belligerandum ita esset hodie, ut cras etiam belligerare possimus.

Benignitas. affabilitas. Probatur exem Alexandri Traiani. Benignitatem, affabilitatem, facilitatem, humanitatem, an quisquam ab Imperatore abesse debere iudicaret? illa est, quæ Alexandrum Magnum tam gratum militibus universis effecit, qui cum semel frigore pene confectus esset, ignique corpus refovens assideret, gregarium vidit ex suis militem algore prope mortuum ac torpentem; nec mora loco & sede sua exiliens militem illum sua in sede collocavit. Illa est, quæ Traiano Imperatori, civium & militum omnium amorem conciliavit, dum milites in prælio vulneratos curavit. Quæritis qua tandem diligentia? Cum fasciæ, inquit Dion Cassius, & volumina deficerent, nec sua quidem vesti pepercit, sed eam totam in ligamenta & fomenta discidit. *Hermocratis* Taceo Hermocratem, cuius humanitas, Xenophonte teste, tantum apud milites valuit, ut quotidie mane & vesperi circa eius tabernaculum, quid dicendum *Pyrrhi.* faciendumve esset sciscitantes, versarentur. Latere Pyrrhum Epirotarum Regem patior, cuius tanta fuit affabilitas, tantaque ars conciliandi sibi homines, ut Italicæ gentes Regis externi, quam populi Romani tamdiu in ea terra imperium *Sulla.* mallent. Quam profecto artem si Imperatorum imo si mortalium ullus, Lucius sane Sulla pernovit, qui cum antea rudis & ignarus esset belli, hac virtute brevissimo tempore omnium solertissimus est factus. Milites benigne appellabat?

mul-

multis rogantibus, aliis per se ipse dabat; beneficia invitus accipiebat, sed ea properantibus, quam mutuum reddebat, ipse ab nullo repetebat; magis id laborabat, ut illi quam plurimi deberent: joca atque seria cum humillimis agebat: in operibus, in agmine, atque ad vigilias multus aderat; neque interim quod ambitio prava solet, Consulis ad cuiusquam boni famam lædebat: tantummodo neque consilio, neque manu priorem alium patiebatur, plerosque anteveniebat. O singularem plane Imperatoris artem! Dicam cum Plinio. Absit ergo Superbia, absit asperitas, nec timueris contemptum. An contemnitur, qui imperium, qui fasces habet? Nisi qui humilis, qui sordidus, qui se primus contemnit? Male sane vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, longeque valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor. At inquiet, nescio quis, istane ergo humanitate, an non potius severitate constare posse disciplinam militarem arbitraris? Bene tu quidem quisquis hoc ais, & mihi jam vox illa Vegetii in auribus. Dux auctoritatem maximam severitate sumat; omnes culpas militares legibus vindicet, nulli errantium credatur ignoscere. Vnde fit ut eam in Imperatore Humanitatem requiram, quæ justitiam non excludat, & in militum cura consistat. Verum enimvero jam in eum locum decurrit oratio, ut providendum Imperatorem considerare jam sit necessum. Delector vestro illo favore, Ornatissimi AUDITORES, & dum sentio vestra illa benevolentia me sublevari, onus, quod maximum humeris meis imposui, vix sentio; adeoq; in patentem hunc orationis campum ulterius excurrere, & Imperatoris nostri providentiã properanti stylo consignare iam lubet. Tradit doctissimus Plutarchus sub Epaminonda Thebanorum præstantissimo Duce nunquam evenisse, ut exercitũ Panicus aliquis tu-

Remotio vitiorum.

Præoccupatio.

Transitio & Renovatio attentionis.

Providentia belli Duce.

tumultus invaderet, etsi præter causam subito nonnunquam soleat oboriri, atque vel idcirco tantum, quod summa esset in præstantissimo illo Duce providentia. Quæritis nunc qualem Imperatorem, & quam providum requiram? Non ignoro eos vulgo placere, qui temeritate quadam concitati, ferociter omnia, & omnia præpropere aggrediuntur; non hostes cavent, sed contemnunt; non quid necessitas cogat, sed quid voluntas imperet, considerant; non quid utile Reipub. sed quid sibi gloriosum decernunt. Ego vero si quid hac in re judicandum est, non cum multis, sed cum prudentibus in eam opinionem discedo, ut Imperatorem cautum ac cunctantem esse debere declarem, adeoque cum augustissimo illo Imperatore Augusto sentio, qui nihil minus in perfecto Duce, quam festinationem temeritatemque convenire judicabat. Etenim si verissimum esse ipsa experientia ubique testata est, Non licere bis in bello peccare, & omnino, quod Cato ajebat, Præliorum delicta emendationem non recipere, quis non cum Sertorio solertissimo Imperatore decernet, oportere Ducem respicere magis quam prospicere? Equidem illi, qui cum vulgo sapiunt, cum cautum Ducem aliquem advertunt, protinus timidum appellant; cum consideratus est, tardum esse dicunt, cum belli peritum honorare deberent, imbellem contemnunt: per me licet, ita sapiant ipsi, dicam cum Livio, malo Imperatorem sapiens hostis metuat, quam stulti cives laudent. Et, obsecro, quemnam tandem sapiens iste hostis reformidabit? Profecto non projecte audaculum, sed circumspectum? non eum qui properat, sed qui maturat; non eum qui celeriter ferit, sed qui tempore suo ferit. Præclarum est in Rhombo Naturæ testimonium. Nam cum Rhombus piscium omnium sit tardissimus, semper tamen eius in utero Mugil repetitur, qui piscium

Sententia Augusti.

Reiicitur vulgaris opinio.

Dictum Livii.

Exemplum à Natura.

ſcium omnium eſt velociſſimus; ut vel hinc intelligamus non ſapientis eſſe accelerare, ſed lente maturare, ſemperque cito ſatisfieri, quod bene fit; neque res magnas corporis, ſed ingenii viribus adminiſtrari. Placet admodum vetus illud priſcorum Emblema, quo Delphinum anchoræ alligantes celeritatem cum mora connectebant. *Emblemate id explicatur* Placet Cunctator iſte Fabius, non celer & temerarius iſte Minutius. Atque ille ſi adeſſet, quid aliud cunctando nobis acclamaret, quam, Tutius eſſe periculum à mora, quam à præcipitantia aut temeritate? quid aliud diceret, quam eum, qui minus properat, ſæpenumero ſerius abſolvere? *Teſtimonium per proſopopæiam.* Itaque cunctetur Imperator, ſed ſimul circumſpectet, & ex varietate rerum tempus pro trahens meliori fortunæ exercitum ſervet. Tandem enim aliquando.

Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora. *Correctio.*

Quanquam ne ſevera nimis fronte agere videar, ſedatior ero. Qualis eſt, obſecro, temeritas? Temeritas præterquam quod ſtulta eſt, etiam eſt infelix. *Subiectio.* Ita ſi Livius adeſſet, reſponderet. Iterum tamen quæro? qualis eſt tandem iſta temeritas? quæ ubi primum impetum effudit, ſicut quædam animalia, amiſſo aculeo, torpet. Ita Quintus Curtius, ſi loqui poſſet, loqueretur. Mihi vero ita plane videtur, quod quemadmodum, quæ in montibus ſedet, nubes ſollicitata procella in imbrem effunditur; ita temeritas illa cum ambitione intumeſcit, & fortunæ vento vela expandit, de repente in perniciem exitiumque ruit. *Similitudo.* Quod cum dico jam mihi ſatis in Imperatore providentiam videor aſſeruiſſe. Vtinam vero, utinam providentiæ adjuncta ſit Auctoritas! Delabor! AVDITORES, jam in quartum Orationis noſtræ locum, & in Imperatore ſummam inſuper Auctoritatem requiro. Audio enim jam Marcum Tullium: Vehementer, inquit, pertinet ad bella ad- *Tranſitio. Auctoritas belli Duci. Teſtimon. Ciceronis.*

N 7 mi-

ministranda, quid hostes, quid socii, de Imperatoribus existiment.

Et vero si in Imperatore scientia rei Militaris est, nunquid authoritas est? si virtutem habet, nunquid in honore est? si providentia bellum gerit, numquid reformidandus est? Omnino AVDITORES, neque enim aliud est authoritas, quam præclara de alicuius scientia aut virtute opinio: illa admirandum facit, hæc amandum; illa necessitati succurrit, hæc dignitatem exornat, utraque opinionem & præclaram gignit existimationem. Quod si tamen dicendum est aliquid vel in primis auctoritatem illustris & generosa stirps facere conciliareque videtur. Testis est Agrippa, Si patui pretii hominibus, inquit, Rempublicam committas, mox nobilium viam, propter contemptam eorum fidem in te provocabis, & maximas in rebus clades patieris. Quid enim præclari homo ignavus aut ignobilis gerat? quis eum non despiciet hostis? quis ei socius obtemperet? quis militum non sub eius signis esse dedignetur? Vnde jure mihi reprehensus Vitellius ille Cæsar videtur, quod magnam Imperii partem non nisi consilio & arbitrio vilissimi cujusque histrionum & aurigarum, ut testatur Suetonius, administraret. Atque illud temporibus nostris exopto, ut nobilissimi legionibus præficiantur, quorum exemplo cæteri provocati non pravo animo militaris gloriæ famam aspernentur. Nolo tamen, nolo repudiari eos, qui fortitudine & experientia rei bellicæ reliquis præstant: pateat virtuti honor; utinam vero & virtuti generis nobilitas in Imperatore adiungatur, & utraque virtus, hominem tandem plane singularem attollat. Sed & ipsa dicendi peritia, quam Eloquentiam gravissimo nomine appellamus, quantam Imperatori auctoritatem parit? quanto in honore in militum oculis atque animis ponit? Non

Contentio cum distributione.

Auctoritatem facit stirps illustris.

Facit etiam eloquentia.

Non ita, audeo cum illo dicere, non ita auribus percepti tubarum clangores animos ad pugnam acuunt aut irritant, ut hortatrix ad virtutem & gloriam oratio intrepidas expeditæ acie mentes ad opposita pericula erigit, stabilitque; imo & metu conterritos, iacentesque penetrat, & constanti roborat allocutione: Efficax enim Imperatoris elocutio, inquit Onosander, exercitus strages generose solari ac lenire docta utilior est multo longo vulnerariorum medicorum agmine. Atque idcirco sapienter ille monet, ne ulla Respublica aut exercitum sine Imperatore, aut Imperatorem sine Eloquentia mittat. Illa est Eloquentia, quæ apud Græcos Alexandro Magno media inter arma auctoritatem peperit; apud Thebanos Epaminondam & admirandum militibus & gratum effecit, adeo ut teste Plutarcho, lingua prius, quam armis vicerit. Illa est, quæ apud Romanos Iulium Cæsarem tam potentem reddidit, ut tumultuantes sæpe exercitus sola voce sedaret. Hic cum ad milites à Pompeianis in Thessalia fusos orationem disertissime habuisset, tantus exercitui omni incessit ex incommodo dolor, tantumque studium infamiæ sarciendæ, ut nemo aut tribuni, aut Centurionis Imperium desideraret; & sibi quisque etiam pœnæ loco graviores imponeret labores, simulque omnes regnandi cupiditate arderent. Possem hic severitatis quoque aliquid in Imperatore ad conciliandam authoritatem desiderare, nisi iam prope vulgatissimum esset, Imperii & authoritatis custodiã esse severitatem. Vno Severi Imperatoris exemplo discitote. Bassianum Severi filium (qui Antoninus Caracalla est appellatus) eo quod pater pedibus æger bellum moraretur, Augustum consalutaverant. Intellexit hoc Pater, nec mora ad tribunal se deferri; tribunos omnes, Centuriones, Duces ac cohortes, quibus authoribus idipsum acci-

Testimon. Onosandri.

Exemplum Alexandri.

I. Cæsaris.

Facit etiam severitas.

Exemplum Severi Imperatoris.

acciderat adesse, Filium deinde, qui Augusti nomen non recusaverat, sisti iubet. Hic cum in omnes eius facti authores, filio uno excepto, animadverti mandavisset, omnesque ante tribunal prostrati veniam deprecarentur, tum Severus Imperator, manu caput contingens, Tandem, inquit, sentitis caput imperare, non pedes. Ita plane sumenda severitate nonnunquam est authoritas; puniantur, non foveantur delicta; & cum optimum sit timoris & amoris vinculum, sit comitate temperata authoritas. Restat nunc illud, Ornatissimi AVDITORES, ut ei, quem hactenus Imperatorem, ac verum belli Ducem designavi, bene apprecer, ac feliciter ritu antiquo acclamē. Sit felix igitur, sit fortunatus: non equo Seiano, qui fatalis sessoribus omnibus erat, insideat, sed Cæsaris navigio vectus dicere audeat, Imperatorem vehis & fortunam eius. Multum sane militaris scientia potest; quis neget? plurimum Providentia; quis inficias eat? militarem tamen Artem multæ fortunæ egentem esse cum Platone constituo. Cur, obsecro, Maximo? cur Marcello? cur Scipioni? cur Mario? cur cæteris magnis Imperatoribus toties imperia mandata, exercitusq; commissi? Equidem in illis virtus admirationi erat, sed fortuna placebat, cuius favore venti ipsi & tempestates illis obsecundabant. Alexandri fortuna celebratur, quod plures prope victorias reportarit, quam pugnas inierit, plures urbes ceperit, quam obsederit; plures hostes fuderit, quam noverit; plura occuparit loca, quam obierit. Sed nimirum quibusdam hominibus peculiarem Natura sortem assignavit, ut quicquid egerint, id omne secundo numine, ac velut quadam virtutis manu tractasse videantur; unde fit, ut hanc felicitatem ac fortunam, quam præstare sibi ipse Imperator non potest à Deo ipsi exoptem, ac aliquando tandem ad portum contendam. Video

Transitio ad perorationem.

Peroratio per apprecationem.

Felicitas in Belli Duce requisita.

deo enim jam ex longa hac jactatione terram & collectis velis ad anchoram jaciendam anhelo. Quid est. Ornatissimi AVDITORES, Imperatorem ne militaris artis peritum desideravi? tueri aliter nomen hoc non potest. Virtutem in eo expetii? Sine illa esse non potest Imperator. Providentiam cupivi? ita bellum exigit. Felicitatem optavi? Eam publica salus exquirit. Bene est igitur, Imperatorem inveni, belli Ducem designavi. Quod si mihi nunc voto aliquo liceat rem universam obsignare, utinam nostri temporibus nunquam alii contingant Imperatores. DIXI.

Repetitio partium. Confirmationis.

ILLVSTRIS D. GEORGII KALINOVVSKI POLONI.

ORATIO. DE CONSILIARIO *Seu* PERFECTO SENATORE.

QVanta sit eorum omnium in Repub. bene constituta necessitas, Ornatissimi AVDITORES, qui fortissimis consilii prudentiæque suæ humeris gravissimam universæ Reipubl. molem velut Athlantes quidam sustinent, & Curiæ capita dignissima, urbis lumina, Reipub. culmina, omnium in omni occasione necessitate perfugium existunt, nemo est, qui, ut mea quidem fert opinio, ignoret. Non ignoravit sane Mauritius, prudentissimus & excellentissimus Andegaven-

Exordium à necessitate Consiliariorũ seu Senatorum.

Ea ostenditur exemplo.

Mauritii Andegavensis Comitis.

Vensis Comes, qui cum fratri successori sibi futuro plurima Reipub. bene administrandæ documenta daret, non illud in postremis habuit, ut ante omnia atque initio potissimum gubernationis amicos sibi ac fidos Consiliarios compararet, plurisque quam ingentes quantumlibet opus & diuitias æstimaret. Cuius quidem consilii sui, non aliunde, quam ab ipsa experientia sua rationem adferebat, quod nimirum toto vitæ suæ tempore omnem curam in eo posuisset, omnem cogitationem illuc convertisset, ut eos haberet fidissimi pectoris, & mentis candidissimæ homines, apud quos arcana sua deponeret, & quorum amicitiæ se totum concrederet; quos cum nactus esset, summa se felicitate regnum suum administravisse, & ad regni vitæque exitium anhelare. Imitabatur videlicet gloriosissimum illum Cyrum Persarum Regem, cuius acta regnando vita omnium in administrando Regum est disciplina. Hic cum morti proximus comparatum inprimis tot illustribus facinoribus gloriam immortalem ac famam, deinde vero plurimarum Provinciarum ac Regnorum amplitudinem filio suo relicturus esset, dignam Patre, ac Rege tanto vocem edidit. Fili, inquit, sceptrum verissimum ac firmissimum Amici multi. Sentiebat quippe sine Consiliariis, quos ipse amicos appellabat, nec regni molem stare posse, nec sceptrum florere. Quod cum & ipsi Romani, illi terrarum Domini sentirent, & non aliis, quam orbis limitibus Imperium suum circumscribere desiderarent, id potissimum semper curaverunt, ut quam plurimi essent, qui Curiæ subsellia occupantes, consilio suo Romanam rem universam moderarentur: quos cum aliquando Pyrrhi Regis Epirotarum Legatus Cynæas ita intuitus esset, ut in consessu gravitatem, in vultu maiestatem, in ore prudentiam videret, Deorum quendam consessum

Exemplo item Cyri.

Item Romanorum.

ſum eſſe iudicavit. Atque hinc factum eſſe nemo dubitabit, ut Romanum illud Imperium ex tantilla origine ad tantum amplitndinis proceſſerit: id quod Marcus Cato ætate ſua animadvertens adagio iam tum invaluiſſe teſtatur. Romanum ſedendo vincere: non alia nimirum ratione magis, quam quod Clariſſimorum virorum Conſiliis, Senatus ac Magiſtratuum prudentia pro armis regeretur. Adeo plus conſilium quam fulmen armorum, plus ingenii dexteritas, quam gladij potentia valere ſolet. Et vero Carthaginenſes, illi Romanorum æmuli, non armis tantum pro orbis imperio, ſed & conſilio eum illis decertarunt, in quorum Arcano atque intimo Reip. conſilio, plures quam quadringenti Senatores belli paciſque tempus ſingulari prudentia adminiſtrabant. Neque profecto qui Imperatores ad regnorum onera, hoc eſt, ad maximam curarum molem ſuſtinendam accedunt, pares eſſe poſſent, niſi ſociatis laboribus ac iunctis humeris Conſiliarii oneris partem ſuſtinerent. Quamobrem cum eorum tanta ſit in omni Republ. neceſſitas, aperiam hodie vobis Curiam unam Ornatiſſimi AVDITORES, atque in ea tanquam in Arce Reipublicæ Senatorem ac Conſiliarium illum oſtendam, qui etſi non natura factus, formatus tamen induſtria & labore ſit ad omnem Reipub. utilitatem. Scio quantum oneris imparibus hiſce humeris meis impoſuerim, quoniam tamen erecta eſt veſtra illa ad me audiendum benignitas non deſpero. Qui ſagum reformidant, favere Togæ ſolent, cuius ego hodie, etſi rudioris Eloquentiæ penicillo, maximum ornamentum ac præſidium adumbrare repræſentareque contendo. Fridericus Imperator cum ſæpenumero fictis quibuſdam verborum involucris veritatem in Curia Principumque conſilio tegi obſcurarique videret, tum demum ſalvam fore Rempubl. affirma-

Teſtimon. Catonis.

Carthaginenſium.

Propoſitio Orationis.

Captatio attentionis.

Confirmatio.

mabat, cum Senatores ac Consiliarii de Republ. negotiis consultaturi simulationem dissimulationemque in ipso Curiæ vestibulo deponerent, exanimoque eliminarent. Animadvertebat nimirum prudentissimus Imperator, tum de Republica universa conclamatum esse, cum exclusa exterminataque veritate simulatio Curias intrat, & in Monarcharum consiliis recipitur. Quod cum ita sit, quid prius, obsecro, in Consiliario nostro requiremus, quam studium veritatis, atque eius ubique proponendæ libertatem? O quam multis ab Aulis exulare veritas solet? Quam paucæ Curiæ eam admittunt & locum concedunt? Te appello, Potentissime Galliarum Rex Ludovice undecime, tu enim dicere solebas tuo te in regno, ac tua potissimum in Aula rebus omnibus, una veritate excepta, abundare. Ecce ubi omnia sunt, nulla veritas est. Te testor Carole Octave: tu enim cum à Pincerna tuo pro tua humanitate petiisses, quid causæ tandem esset, cur tam pauci Principes ac Reges cum hanc vitam cum morte commutassent, Cæli Capitolium intrarent; responsum liberrimum ac verissimum accepisti; paucos esse in Principum ac Regum Aulis veri honestique monitores. Te quoque iam compello Rex Antioche, aliquandone aut in arcanis consiliis, aut in libera consultatione, aut in mensa Aulaque tua veritatem à tuis intellexisti? Sane cum quodam tempore inter venandum aberrando ad rusticum quendam divertisses, ab eoque quis de Rege rumor esset, quæsivisses; ipse vero agresti libertate ac singulari cum candore, Regem venationis studio voluptatibusque deditum regni negotia non curare respondisset, tu ipse tum te primum veritatem audivisse confessus es. O vere deplorandæ Reipubl. illæ, in quibus idcirco elingues sunt Curiæ, quia veritatem dicere ac proponere periculosum est. Aliter mens sen-

In Consiliario requiritur primo Veritas.

Testimoniũ Ludovici XI. Galliæ Regis per Apostrophen. Caroli VIII.

Antiochi.

Exclamatio cum deploratione.

ſentit, aliter lingua loquitur: videt perniciem & abhorret, conſilio tamen ſuadet & inducit: videt, inquam, veritatem ipſam, at proponere propugnareque reformidat. Et hæc non miſeria eſt, quanquam quid dico miſeriam? Et hæc non miſera ſervitus eſt? Eloqui quod ſentis non poſſe, miſerum eſt; non audere, miſerius; etiam contra mentem ac animi ſententiam loqui, miſerrimum eſt, ſervile eſt. Illæ illæ mihi beatæ ac felices ſunt Curiæ, in quibus veritatis Numen ita colitur, ut ſumma libertate Senatores ac Conſiliarii, quod animo ſentiunt lingua depromant. Etenim præclare mihi Philoſophorum ille Anteſignanus ac Princeps Pythagoras dixiſſe videtur, duo eſſe divinitus ab immortali Deo mortalibus data longe pulcherrima, veritatem amplecti, & aliis benefacere; vtrumq; cum Deorum immortalium operibus comparari poſſe. Verum ut extitiſſe aliquando inſignes veritatis hujus præcones ac propugnatores cognoſcatis, prodeat celeberrimus ille Philippi II. Burgundionum Ducis Cancellarius, qui cum cæteri in Curia Senatores rem rationi atque æquitati diſſentaneam Principi annuendum eſſe judicarent? ſtetit ipſe forti animo contra, reclamavit ac Duci ſigillum ſuum remiſit, ſatius omnino exiſtimans omnem dignitatis ſplendorem deponere, quam iniquo inſtituto, eoque conſcientiam mordicante vitam tranſigere: Macte iſto honore tuo, quo digniſſimus, vixiſti, dignior depoſuiſti; Macte, inquam, iſta tua integritate, quam ubi vidit, & obſtupuit Princeps honore reſtituto decoravit, & ut magni facere videretur, novæ & maioris dignitatis amplitudine illuſtravit. Enimvero, dum glorioſo illo veritatis ſtudio, & inſigni dicendi libertate Conſiliarium hunc noſtrum exornatum & armatum contemplor, videre mihi videor Aulicos iſtos Aſſentatores (dicere volebam Aulicas iſtas peſtes

Teſtimoniũ Pythagoræ.

Exemplum cancellarii Burgundici.

Applauſus

Digreſſiuncula de Adulatoribus.

pestes) qui suo in capite Principum ac Regum mentes habere se fingunt, interim turpissimo adulationis vitio laborantes, nihil minus, quam veritatem proponunt. Illam oderunt: quid dico, oderunt? illam calumniantur: quid dico calumniantur? illam in latebras detrudunt: quid dico in latebras? illam ex Principum Aulis ac Curiis exterminant, inque exilium (etiam si possent in exitium) cogunt ac compellunt. O prodigia! O Reip. portenta! Ab his omne in Rempub est malum. O Curiarum & Aularum pestes! Ab his noxia quædam animorum contagio in omnes serpit. Vtinam etiam hoc ævo nostro viveret ille Sigismundus Imperator, qui cum ab Aulico quodam Assentatore ultra modum ac fidem laudaretur, ei colaphum impegit: cumque ille exclamasset, cur me cædis Imperator, cur, inquit Imperator, ore illo tuo impudentissimo me mordes Adulator? Quanquam subiicere, qua potestis cogitatione, vestris oculis homines istos, Dii boni! cum ineundum est pro Repub. consilium, ut hærent? ut circumspiciunt? ut attonito animo verentur ne consilio suo, imo ne voce tantum una, aut gestu Principem offendant? Nimirum non Reip. bonorum, sed suum quærunt; non Principis dignitati consulere, sed voluptati student; non veritatem proponere, sed fucum inspergere laborant; non quid expediat, sed quid Principi placeat sententia sua explicare contendunt. Sed non ego veritatis istos hostes, aut oratione persequi, aut stylo confodere hodie decrevi, proinde que ad Consiliarium nostrum revertor, qui in omnibus consultationibus neque gratiam spectare, neque odia existimare debet, sed eam summo veritatis studio, ac honesta dicendi libertate sententiam dicere, quam optimam ipse iudicabit ita ut veritatem in omnibus sibi propositam habeat, ad eamque solam iudicium suum tanquam

Gradatio. *Exclamatio* *Optatio.* *Hypotiposis.* *Reditus ad propositum.*

ad lydium lapidem convertat, atque ita convertat, ut insigni animi constantia roboratus nunquam ab ea aut vi deterreatur, aut blanditiis abducatur. Imitetur Romanum illum invicti animi Metellus, qui etsi universus jam Senatus metu mortis ingenti perculsus in Apulei verba ac legum iuravisset, maluit tamen exulare, & charissimorum complexu amicorum privari, quam iniquo tribuni plebis furori contra Rempublicam obsecundare. Æmulare gloriosissimum illum Angliæ Cancellarium Thomam Morum, cui citius vita ipsa districto gladio est extorta, quam ad impiissima excæcati & effœminati Regis voluntatem confirmandam sententiam. Amanda est veritas? Amet eam sane Consiliarius, sed ita amet, ut ejus amorem nunquam ex animo deponat. Dicenda est veritas? Et quidem dicenda semper, sed eam ita dicat Consiliarius, ut à dicta sententia nunquam recedat. Non illum metus percellat, sit Fabritius, quem producti à Pyrrho Elephanti non deterruerunt. Non illum dona & munera labefactent; sit Curius, quem aurum Sabinorum, ut Patriæ amorem deponeret, non permouit. Non ire huc & illuc, sed gradum figere oportet, non natare animus debet, sed sibi constare; qui enim ex aliena libidine huic illuc fluctuantes agitantur, interdum alia, deinde alia decernunt. Neque tamen ita constantem requiro Consiliarium, quin cum re ipsa mutare. Consilium quandoque possit, atque ad illas temporum inclinationes attendere, quæ minimis fieri momentis nonnunquam solent. Quis nescit puncto sæpe temporis maximarum rerum momenta verti? Pulchrum est, si veritas ignorata fortasse postulet mutare sententiam: at sententia mutata à veritate discedere semper est turpissimum. Verum ne diutius hic immorando serius ad portum aliquando pertingamus, cum illud mihi vehementer arrideat, quod

Exemplum Metelli.

Thomæ Mori.

Subiectio.

Constantia Senatoris seu Consiliarii.

Transitio.

Silentium in Consiliario requisitum. Probatur testimoniis quod Festus Pompeius ait à silentio Consilium esse dictum, tum illud in mentem venit Senatori ac Consiliario, necessariam esse vel maxime taciturnitatem. An non parum est, imo nihil est recte deliberare, recte censere ac consulere, si arcana consilia silentio non obsignentur? Bene tu *Plutarchi.* Plutarche tempestivum silentium rem esse sapientissimam judicavisti. *Horatii.* Bene tu Horati, eximiam esse virtutem, præstare silentia rebus, censuisti: *Taciti.* Bene tu Corneli Tacite, tam nescire quædam Consiliarios, quam scire oportere, dixisti. Consulamus potentissimam & gloriosissimam olim *Persarum.* Persarum gentem apud hanc nemo consiliorum particeps erat, præter fidos ac taciturnos optimates, qui silentii Numen colebant, & arcana Regum vitæ periculo custodiri sanciebant. *Ægyptiorum.* Consulamus Ægyptios, apud hos ei lingua abscindebatur, qui Reipublicæ tecta consilia detexisset. *Romanorum.* Consulamus Romanos, apud hos consiliorum arcanorum evulgatores aut vivi exurebantur, aut furca suspendebantur. Quorum quidem populorum nemo ut opinor, severam nimis disciplinam *Item ratione* accusabit, cum si Reipublicæ, & Regum arcana detegantur, ita fieri plerumque soleat, ut felicem nunquam exitum illa sortiantur, & Reipublicæ objecto ab hostibus impedimento sæpius eludantur. *Exemplo Pompei.* Quid ergo volo? ut Consiliarius ac Senator noster Pompeius sit quidam? Pompeius dum legationis officio jungeretur è Gentio Rege interceptus; cum Senatus consilia prodere juberetur ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, eaque patientia Regi simul & desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi excussit & expetendæ populi Romani amicitiæ ma- *C. Metelli.* gnam cupiditatem ingeneravit. Vtinam talis existat Senator! Celebris ille ac nunquam satis laudatus Cæcilius Metellus, Si scirem, inquit, hanc vestem mei consilii consciam esse protinus

nus exuerem, inque ignem concremandam conjicerem. Vtinam ita sententiam ac dicat Senator! Demosthenes Oratorum ille Græciæ Princeps, cum illi, nescio quis oris fœtorem obiiceret, Bene tu quidem, inquit, multa enim secreta in eo computruerunt. Vtinam & os tale & pectus arcanorum receptaculum habeat Senator? Quod si vero amplius liceat mihi optare, utinam singularum Curiarum vestibulis, imo singulorum Senatorum pectoribus illa Consistorii Spirensis exarata constitutio foret. In Senatu gesta, dicta, judicata æterno silentio tegantur, nihil iniussu Cæsaris revelante. O utile profecto scitum, & quod mihi tam inculcasse videtur eruditus ille Saxonum Præsul Anthemus:

Demosthenis.

Spirensis Curiæ.

Exclamatio.

Lingua suos habeat frænos in corde ligatos.

Et quamobrem quæso? nisi quia Sacramentum Regis abscondere bonum est? nisi quia res magnæ sustineri ab eo non possunt, cui tacere est grave? Video vos erectis animis, Auditores Ornatissimi, jam assentiri, & contento cursu oratio procedat, efflagitare. Procedamus sane, & iam ipsum Consiliarii nostri animum intueamur. Salustianus ille Cæsar, quem in sago mundus horruit, in toga amavit, Omnes, inquit, homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi ista efficiunt; neque quisquam omnium libidini simul, & usui paruit: ubi intenderis ingenium, valet; si libido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. O præclaræ, & memoratu dignissimæ voces! Quis nescit (cum Livio dicam) ex privatis affectionibus fere omnem humanæ vitæ pernitiem nasci? Sciunt omnes, atque idcirco eum esse Consiliarii nostri animum exopto, qui sui potens legem sibi dicat, & ebullientes quandoque affectus, tanquam fluctus quosdam, reprimat ac refrœnet. Non illum

Transitio.

Consiliarius carere affectibus debet.

Ratio.

Exclamatio.

Temperantia. De Temperantia quis silebit? Iulium Cæsarem fortunam sibi fabricantem temperantiæ addictum fuisse, Suetonius attestatur; idque cum animadverteret Marcus Cato, unum ex omnibus Cæsarem ad Rempubl. evertendam sobrium accessisse dicebat. Et vero parsimoniam firmissimum esse penu rerum agendarum Cyrus ille Xenophonteus ex vero affirmabat. Vnde Scanderbegus inclytus militiæ Dux dictatare solebat. Belligerandum ita esset hodie, ut cras etiam belligerare possimus.

Benignitas. affabilitas. Probatur exem. Alexandri Traiani. Benignitatem, affabilitatem, facilitatem, humanitatem, an quisquam ab Imperatore abesse debere iudicaret? illa est, quæ Alexandrum Magnum tam gratum militibus universis effecit, qui cum semel frigore pene confectus esset, ignique corpus refovens assideret, gregarium vidit ex suis militem algore prope mortuum ac torpentem; nec mora loco & sede sua exiliens militem illum sua in sede collocavit. Illa est, quæ Traiano Imperatori, civium & militum omnium amorem conciliavit, dum milites in prælio vulneratos curavit. Quæritis qua tandem diligentia? Cum fasciæ, inquit Dion Cassius, & volumina deficerent, nec sua quidem vesti pepercit, sed eam totam in ligamenta & fomenta discidit. *Hermocratis* Taceo Hermocratem, cuius humanitas, Xenophonte teste, tantum apud milites valuit, ut quotidie mane & vesperi circa eius tabernaculum, quid dicendum faciendumve esset sciscitantes, versarentur. *Pyrrhi.* Latere Pyrrhum Epirotarum Regem patior, cuius tanta fuit affabilitas, tantaque ars conciliandi sibi homines, ut Italicæ gentes Regis externi, quam populi Romani tamdiu in ea terra imperium mallent. *Sulla.* Quam profecto artem si Imperatorum imo si mortalium ullus, Lucius sane Sulla pernovit, qui cum antea rudis & ignarus esset belli, hac virtute brevissimo tempore omnium solertissimus est factus. Milites benigne appellabat?

mul-

multis rogantibus, aliis per se ipse dabat; beneficia invitus accipiebat, sed ea properantibus, quam mutuum reddebat, ipse ab nullo repetebat; magis id laborabat, ut illi quam plurimi deberent: joca atque seria cum humillimis agebat: in operibus, in agmine, atque ad vigilias multus aderat; neque interim quod ambitio prava solet, Consulis ad cuiusquam boni famam lædebat: tantummodo neque consilio, neque manu priorem alium patiebatur, plerosque anteveniebat. O singularem plane Imperatoris artem! Dicam cum Plinio. Absit ergo Superbia, absit asperitas, nec timueris contemptum. An contemnitur, qui imperium, qui fasces habet? Nisi qui humilis, qui sordidus, qui se primus contemnit? Male sanè vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, longeque valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor. At inquiet, nescio quis, istane ergo humanitate, an non potius severitate constare posse disciplinam militarem arbitraris? Bene tu quidem quisquis hoc ais, & mihi jam vox illa Vegetii in auribus. Dux auctoritatem maximam severitate sumat; omnes culpas militares legibus vindicet, nulli errantium credatur ignoscere. Vnde fit ut eam in Imperatore Humanitatem requiram, quæ justitiam non excludat, & in militum cura consistat. Verum enimvero jam in eum locum decurrit oratio, ut providendum Imperatorem considerare jam sit necessum. Delector vestro illo favore, Ornatissimi AVDITORES, & dum sentio vestra illa benevolentia me sublevari, onus, quod maximum humeris meis imposui, vix sentio; adeoq; in patentem hunc orationis campum ulterius excurrere, & Imperatoris nostri providentiā properanti stylo consignare iam lubet. Tradit doctissimus Plutarchus sub Epaminonda Thebanorum præstantissimo Duce nunquam evenisse, ut exercitū Panicus aliquis

Remotio vitiorum.

Praeoccupatio.

Transitio & Renovatio attentionis.

Providentia belli Ducis.

tumultus invaderet, etsi præter causam subito nonnunquam soleat oboriri, atque vel idcirco tantum, quod summa esset in præstantissimo illo Duce providentia. Quæritis nunc qualem Imperatorem, & quam providum requiram? Non ignoro eos vulgo placere, qui temeritate quadam concitati, ferociter omnia, & omnia præpropere aggrediuntur; non hostes cavent, sed contemnunt; non quid necessitas cogat, sed quid voluntas imperet, considerant; non quid utile Reipub. sed quid sibi gloriosum decernunt. Ego vero si quid hac in re judicandum est, non cum multis, sed cum prudentibus in eam opinionem discedo, ut Imperatorem cautum ac cunctantem esse debere declarem, adeoque cum augustissimo illo Imperatore Augusto sentio, qui nihil minus in perfecto Duce, quam festinationem temeritatemque convenire judicabat. Etenim si verissimum esse ipsa experientia ubique testata est, Non licere bis in bello peccare, & omnino, quod Cato ajebat, Præliorum delicta emendationem non recipere, quis non cum Sertorio solertissimo Imperatore decernet, oportere Ducem respicere magis quam prospicere? Equidem illi, qui cum vulgo sapiunt, cum cautum Ducem aliquem advertunt, protinus timidum appellant; cum consideratus est, tardum esse dicunt, cum belli peritum honorare deberent, imbellem contemnunt: per me licet, ita sapiant ipsi, dicam cum Livio, malo Imperatorem sapiens hostis metuat, quam stulti cives laudent. Et, obsecro, quemnam tandem sapiens iste hostis reformidabit? Profecto non projecte audaculum, sed circumspectum? non eum qui properat, sed qui maturat; non eum qui celeriter ferit, sed qui tempore suo ferit. Præclarum est in Rhombo Naturæ testimonium. Nam cum Rhombus piscium omnium sit tardissimus, semper tamen eius in utero Mugil repetitur, qui piscium

Sententia Augusti.

Reiicitur vulgaris opinio.

Dictum Livii.

Exemplum à Natura.

ſcium omnium eſt velociſſimus; ut vel hinc intelligamus non ſapientis eſſe accelerare, ſed lente maturare, ſemperque cito ſatisfieri, quod bene fit; neque res magnas corporis, ſed ingenii viribus adminiſtrari. Placet admodum vetus illud priſcorum Emblema, quo Delphinum anchoræ alligantes celeritatem cum mora connectebant. *Emblemate id explicatur* Placet Cunctator iſte Fabius, non celer & temerarius iſte Minutius. Atque ille ſi adeſſet, quid aliud cunctando nobis acclamaret, quam, Tutius eſſe periculum à mora, quam à præcipitantia aut temeritate? quid aliud diceret, quam eum, qui minus properat, ſæpenumero ſerius abſolvere? *Teſtimonium per proſopopœiam.* Itaque cunctetur Imperator, ſed ſimul circumſpectet, & ex varietate rerum tempus protrahens meliori fortunæ exercitum ſervet. Tandem enim aliquando

Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora. *Correctio.*

Quanquam ne ſevera nimis fronte agere videar, ſedatior ero. Qualis eſt, obſecro, temeritas? Temeritas præterquam quod ſtulta eſt, etiam eſt infelix. Ita ſi Livius adeſſet, reſponderet. Iterum tamen quæro? qualis eſt tandem iſta temeritas? *Subiectio.* quæ ubi primum impetum effudit, ſicut quædam animalia, amiſſo aculeo, torpet. Ita Quintus Curtius, ſi loqui poſſet, loqueretur. Mihi vero ita plane videtur, quod quemadmodum, quæ in montibus ſedet, nubes ſollicitata procella in imbrem effunditur; ita temeritas illa cum ambitione intumeſcit, & fortunæ vento vela expandit, de repente in perniciem exitiumque ruit. *Similitudo.* Quod cum dico jam mihi ſatis in Imperatore providentiam videor aſſeruiſſe. Utinam vero, utinam providentiæ adjuncta ſit Auctoritas! Delabor! AUDITORES, jam in quartum Orationis noſtræ locum, & in Imperatore ſummam inſuper Auctoritatem requiro. *Tranſitio. Auctoritas belli Ducis.* Audio enim jam Marcum Tullium: Vehementer, inquit, pertinet ad bella ad- *Teſtimon. Ciceronis.*

ministranda, quid hostes, quid socii, de Imperatoribus existiment.

Et vero si in Imperatore scientia rei Militaris est, nunquid authoritas est? si virtutem habet, nunquid in honore est? si providentia bellum gerit, numquid reformidandus est? Omnino AVDITORES, neque enim aliud est authoritas, quam præclara de alicuius scientia aut virtute opinio: illa admirandum facit, hæc amandum; illa necessitati succurrit, hæc dignitatem exornat, utraque opinionem & præclaram gignit existimationem. Quod si tamen dicendum est aliquid vel in primis auctoritatem illustris & generosa stirps facere conciliareque videtur. Testis est Agrippa, Si patui pretii hominibus, inquit, Rempublicam committas, mox nobilium viam, propter contemptam eorum fidem in te provocabis, & maximas in rebus clades patieris. Quid enim præclari homo ignavus aut ignobilis gerat? quis eum non despiciet hostis? quis ei socius obtemperet? quis militum non sub eius signis esse dedignetur? Vnde jure mihi reprehensus Vitellius ille Cæsar videtur, quod magnam Imperii partem non nisi consilio & arbitrio vilissimi cujusque histrionum & aurigarum, ut testatur Suetonius, administraret. Atque illud temporibus nostris exopto, ut nobilissimi legionibus præficiantur, quorum exemplo cæteri provocati non pravo animo militaris gloriæ famam aspernentur. Nolo tamen, nolo repudiari eos, qui fortitudine & experientia rei bellicæ reliquis præstant: pateat virtuti honor; utinam vero & virtuti generis nobilitas in Imperatore adiungatur, & utraque virtus, hominem tandem plane singularem attollat. Sed & ipsa dicendi peritia, quam Eloquentiam gravissimo nomine appellamus, quantam Imperatori auctoritatem parit? quanto in honore in militum oculis atque animis ponit?

Contentio cum distributione.

Auctoritatem facit stirps illustris.

Facit etiam eloquentia.

Non ita, audeo cum illo dicere, non ita auribus percepti tubarum clangores animos ad pugnam acuunt aut irritant, ut hortatrix ad virtutem & gloriam oratio intrepidas expeditæ acie mentes ad opposita pericula erigit, stabilitque; imo & metu conterritos, iacentesque penetrat, & constanti roborat allocutione: Efficax enim Imperatoris elocutio, inquit Onosander, exercitus strages generose solari ac lenire docta utilior est multo longo vulnerariorum medicorum agmine. Atque idcirco sapienter ille monet, ne ulla Respublica aut exercitum sine Imperatore, aut Imperatorem sine Eloquentia mittat. Illa est Eloquentia, quæ apud Græcos Alexandro Magno media inter arma auctoritatem peperit; apud Thebanos Epaminondam & admirandum militibus & gratum effecit, adeo ut teste Plutarcho, lingua prius, quam armis vicerit. Illa est, quæ apud Romanos Iulium Cæsarem tam potentem reddidit, ut tumultuantes sæpe exercitus sola voce sedaret. Hic cum ad milites à Pompeianis in Thessalia fusos orationem disertissime habuisset, tantus exercitui omni incessit ex incommodo dolor, tantumque studium infamiæ sarciendæ, ut nemo aut tribuni, aut Centurionis Imperium desideraret; & sibi quisque etiam pœnæ loco graviores imponeret labores, simulque omnes regnandi cupiditate arderent. Possem hic severitatis quoque aliquid in Imperatore ad conciliandam authoritatem desiderare, nisi iam prope vulgatissimum esset, Imperii & authoritatis custodiã esse severitatem. Vno Severi Imperatoris exemplo discitote. Bassianum Severi filium (qui Antoninus Caracalla est appellatus) eo quod pater pedibus æger bellum moraretur, Augustum consalutaverant. Intellexit hoc Pater, nec mora ad tribunal se deferri; tribunos omnes, Centuriones, Duces ac cohortes, quibus authoribus idipsum acci-

Testimon. Onosandri.

Exemplum Alexandri.

I. Cæsaris.

Facit etiam severitas.

Exemplum Severi Imperatoris.

acciderat adesse, Filium deinde, qui Augusti nomen non recusaverat, sisti iubet. Hic cum in omnes eius facti authores, filio uno excepto, animadverti mandavisset, omnesque ante tribunal prostrati veniam deprecarentur, tum Severus Imperator, manu caput contingens, Tandem, inquit, sentitis caput imperare, non pedes. Ita plane sumenda severitate nonnunquam est authoritas; puniantur, non foveantur delicta; & cum optimum sit timoris & amoris vinculum, sit comitate temperata authoritas. Restat nunc illud, Ornatissimi AUDITORES, ut ei, quem hactenus Imperatorem, ac verum belli Ducem designavi, bene apprecer, ac feliciter ritu antiquo acclamẽ. Sit felix igitur, sit fortunatus: non equo Seiano, qui fatalis sessoribus omnibus erat, insideat, sed Cæsaris navigio vectus dicere audeat, Imperatorem vehis & fortunam eius. Multum sane militaris scientia potest; quis neget? plurimum Providentia; quis inficias eat? militarem tamen Artem multæ fortunæ egentem esse cum Platone constituo. Cur, obsecro, Maximo? cur Marcello? cur Scipioni? cur Mario? cur cæteris magnis Imperatoribus toties imperia mandata, exercitusq; commissi? Equidem in illis virtus admirationi erat, sed fortuna placebat, cuius favore venti ipsi & tempestates illis obsecundabant. Alexandri fortuna celebratur, quod plures prope victorias reportarit, quam pugnas inierit, plures urbes ceperit, quam obsederit; plures hostes fuderit, quam noverit; plura occuparit loca, quam obierit. Sed nimirum quibusdam hominibus peculiarem Natura sortem assignavit, ut quicquid egerint, id omne secundo numine, ac velut quadam virtutis manu tractasse videantur; unde fit, ut hanc felicitatem ac fortunam, quam præstare sibi ipse Imperator non potest à Deo ipsi exoptem, ac aliquando tandem ad portum contendam. Video

Transitio ad perorationem.

Peroratio per apprecationem.

Felicitas in belli Duce requisita.

deo enim jam ex longa hac jactatione terram & collectis velis ad anchoram jaciendam anhelo. Quid est. Ornatissimi AVDITORES, Imperatoremne militaris artis peritum desideravi? tueri aliter nomen hoc non potest. Virtutem in eo expetii? Sine illa esse non potest Imperator. Providentiam cupivi? ita bellum exigit. Felicitatem optavi? Eam publica salus exquirit. Bene est igitur, Imperatorem inveni, belli Ducem designavi. Quod si mihi nunc voto aliquo liceat rem universam obsignare, utinam nostri temporibus nunquam alii contingant Imperatores. DIXI.

Repetitio partium Confirmationis.

ILLVSTRIS D. GEORGII KALINOVVSKI POLONI.

ORATIO. DE CONSILIARIO *Seu* PERFECTO SENATORE.

QVanta sit eorum omnium in Repub. bene constituta necessitas, Ornatissimi AVDITORES, qui fortissimis consilii prudentiæque suæ humeris gravissimam universæ Reipubl. molem velut Athlantes quidam sustinent, & Curiæ capita dignissima, urbis lumina, Reipub. culmina, omnium in omni occasione necessitate perfugium existunt, nemo est, qui, ut mea quidem fert opinio, ignoret. Non ignoravit sane Mauritius, prudentissimus & excellentissimus Andegaven-

Exordium à necessitate Consiliariorum seu Senatorum.

Ea ostenditur exemplo.

ſum eſſe iudicavit. Atque hinc factum eſſe nemo dubitabit, ut Romanum illud Imperium ex tantilla origine ad tantum amplitudinis proceſſerit: id quod Marcus Cato ætate ſua animadvertens adagio iam tum invaluiſſe teſtatur. Romanum ſedendo vincere: non alia nimirum ratione magis, quam quod Clariſſimorum virorum Conſiliis, Senatus ac Magiſtratuum prudentia pro armis regeretur. Adeo plus conſilium quam fulmen armorum, plus ingenii dexteritas, quam gladij potentia valere ſolet. Et vero Carthaginenſes, illi Romanorum æmuli, non armis tantum pro orbis imperio, ſed & conſilio eum illis decertarunt, in quorum Arcano atque intimo Reip. conſilio, plures quam quadringenti Senatores belli pacisque tempus ſingulari prudentia adminiſtrabant. Neque profecto qui Imperatores ad regnorum onera, hoc eſt, ad maximam curarum molem ſuſtinendam accedunt, pares eſſe poſſent, niſi ſociatis laboribus ac iunctis humeris Conſiliarii oneris partem ſuſtinerent. Quamobrem cum eorum tanta ſit in omni Republ. neceſſitas, aperiam hodie vobis Curiam unam Ornatiſſimi AVDITORES, atque in ea tanquam in Arce Reipublicæ Senatorem ac Conſiliarium illum oſtendam, qui etſi non natura factus, formatus tamen induſtria & labore ſit ad omnem Reipub. utilitatem. Scio quantum oneris imparibus hiſce humeris meis impoſuerim, quoniam tamen erecta eſt veſtra illa ad me audiendum benignitas non deſpero. Qui ſagum reformidant, favere Togæ ſolent, cuius ego hodie, etſi rudioris Eloquentiæ penicillo, maximum ornamentum ac præſidium adumbrare repræſentareque contendo. Fridericus Imperator cum ſæpenumero fictis quibuſdam verborum involucris veritatem in Curia Principumque conſilio tegi obſcurarique videret, tum demum ſalvam fore Rempubl. affirma-

Teſtimon. Catonis.

Carthaginenſium.

Propoſitio Orationis.

Captatio attentionis.

Confirmatio.

mabat, cum Senatores ac Consiliarii de Republ. negotiis consultaturi simulationem dissimulationemque in ipso Curiæ vestibulo deponerent, exanimoque eliminarent. Animadvertebat nimirum prudentissimus Imperator, tum de Republica universa conclamatum esse, cum exclusa exterminataque veritate simulatio Curias intrat, & in Monarcharum consiliis recipitur. Quod cum ita sit, quid prius, obsecro, in Consiliario nostro requiremus, quam studium veritatis, atque eius ubique proponendæ libertatem? O quam multis ab Aulis exulare veritas solet? Quam paucæ Curiæ eam admittunt & locum concedunt? Te appello, Potentissime Galliarum Rex Ludovice undecime, tu enim dicere solebas tuo te in regno, ac tua potissimum in Aula rebus omnibus, una veritate excepta, abundare. Ecce ubi omnia sunt, nulla veritas est. Te testor Carole Octave: tu enim cum à Pincerna tuo pro tua humanitate petiisses, quid causæ tandem esset, cur tam pauci Principes ac Reges cum hanc vitam cum morte commutassent, Cæli Capitolium intrarent; responsum liberrimum ac verissimum accepisti; paucos esse in Principum ac Regum Aulis veri honestique monitores. Te quoque iam compello Rex Antioche, aliquandone aut in arcanis consiliis, aut in libera consultatione, aut in mensa Aulaque tua veritatem à tuis intellexisti? Sane cum quodam tempore inter venandum aberrando ad rusticum quendam divertisses, ab eoque quis de Rege rumor esset, quæsivisses; ipse vero agresti libertate ac singulari cum candore, Regem venationis studio voluptatibusque deditum regni negotia non curare respondisset, tu ipse tum te primum veritatem audivisse confessus es. O vere deplorandæ Reipubl. Illæ, in quibus idcirco elingues sunt Curiæ, quia veritatem dicere ac proponere periculosum est. Aliter mens sen-

In Consiliario requiritur primo Veritas.

Testimoniũ Ludovici XI. Galliæ Regis per Apostrophen. Caroli VIII.

Antiochi.

Exclamatio cum deploratione.

sentit, aliter lingua loquitur: videt perniciem & abhorret, consilio tamen suadet & inducit: videt, inquam, veritatem ipsam, at proponere propugnareque reformidat. Et hæc non miseria est, quanquam quid dico miseriam? Et hæc non misera servitus est? Eloqui quod sentis non posse, miserum est; non audere, miserius; etiam contra mentem ac animi sententiam loqui, miserrimum est, servile est. Illæ illæ mihi beatæ ac felices sunt Curiæ, in quibus veritatis Numen ita colitur, ut summa libertate Senatores ac Consiliarii, quod animo sentiunt lingua depromant. Etenim præclare mihi Philosophorum ille Antesignanus ac Princeps Pythagoras dixisse videtur, duo esse divinitus ab immortali Deo mortalibus data longe pulcherrima, veritatem amplecti, & aliis benefacere; utrumq; cum Deorum immortalium operibus comparari posse. Verum ut extitisse aliquando insignes veritatis hujus præcones ac propugnatores cognoscatis, prodeat celeberrimus ille Philippi II. Burgundionum Ducis Cancellarius, qui cum cæteri in Curia Senatores rem rationi atque æquitati dissentaneam Principi annuendum esse judicarent? stetit ipse forti animo contra, reclamavit ac Duci sigillum suum remisit, satius omnino existimans omnem dignitatis splendorem deponere, quam iniquo instituto, eoque conscientiam mordicante vitam transigere: Macte isto honore tuo, quo dignissimus, vixisti, dignior deposuisti; Macte, inquam, ista tua integritate, quam ubi vidit, & obstupuit Princeps honore restituto decoravit, & ut magni facere videretur, novæ & maioris dignitatis amplitudine illustravit. Enimvero, dum glorioso illo veritatis studio, & insigni dicendi libertate Consiliarium hunc nostrum exornatum & armatum contemplor, videre mihi videor Aulicos istos Assentatores (dicere volebam Aulicas istas pestes

Testimoniũ Pythagoræ.

Exemplum cancellarii Burgundici.

Applausus

Digressiuncula de Adulatoribus.

pestes) qui suo in capite Principum ac Regum mentes habere se fingunt, interim turpissimo adulationis vitio laborantes, nihil minus, quam veritatem proponunt. Illam oderunt: quid dico, oderunt? illam calumniantur: quid dico calumniantur? illam in latebras detrudunt: quid dico in latebras? illam ex Principum Aulis ac Curiis exterminant, inque exilium (etiam si possent in exitium) cogunt ac compellunt. O prodigia! O Reip. portenta! Ab his omne in Rempub est malum. O Curiarum & Aularum pestes! Ab his noxia quædam animorum contagio in omnes serpit. Vtinam etiam hoc ævo nostro viveret ille Sigismundus Imperator, qui cum ab Aulico quodam Assentatore ultra modum ac fidem laudaretur, ei colaphum impegit: cumque ille exclamasset, cur me cædis Imperator, cur, inquit Imperator, ore illo tuo impudentissimo me mordes Adulator? Quanquam subiicere, qua potestis cogitatione, vestris oculis homines istos, Dii boni! cum ineundum est pro Repub. consilium, ut hærent? ut circumspiciunt? ut attonito animo verentur ne consilio suo, imo ne voce tantum una, aut gestu Principem offendant? Nimirum non Reip. bonorum, sed suum quærunt; non Principis dignitati consulere, sed voluptati student; non veritatem proponere, sed fucum inspergere laborant; non quid expediat, sed quid Principi placeat sententia sua explicare contendunt. Sed non ego veritatis istos hostes, aut oratione persequi, aut stylo confodere hodie decrevi, proindeque ad Consiliarium nostrum revertor, qui in omnibus consultationibus neque gratiam spectare, neque odia existimare debet, sed eam summo veritatis studio, ac honesta dicendi libertate sententiam dicere, quam optimam ipse iudicabit, ita ut veritatem in omnibus sibi propositam habeat, ad eamque solam iudicium suum tanquam ad

Gradatio.

Exclamatio

Optatio.

Hypotiposis.

Reditus ad propositum.

ad lydium lapidem convertat, atque ita convertat, ut insigni animi constantia roboratus nunquam ab ea aut vi deterreatur, aut blanditiis abducatur. Imitetur Romanum illum invicti animi Metellus, qui etsi universus jam Senatus metu mortis ingenti perculsus in Apulei verba ac legum iuravisset, maluit tamen exulare, & charissimorum complexu amicorum privari, quam iniquo tribuni plebis furori contra Rempublicam obsecundare. Æmulare gloriosissimum illum Angliæ Cancellarium Thomam Morum, cui citius vita ipsa districto gladio est extorta, quam ad impiissima excæcati & effœminati Regis voluntatem confirmandam sententiam. Amanda est veritas? Amet eam sane Consiliarius, sed ita amet, ut ejus amorem nunquam ex animo deponat. Dicenda est veritas? Et quidem dicenda semper, sed eam ita dicat Consiliarius, ut à dicta sententia nunquam recedat. Non illum metus percellat, sit Fabritius, quem producti à Pyrrho Elephanti non deterruerunt. Non illum dona & munera labefactent; sit Curius, quem aurum Sabinorum, ut Patriæ amorem deponeret, non permouit. Non ire huc & illuc, sed gradum figere oportet, non natare animus debet, sed sibi constare; qui enim ex aliena libidine huc illuc fluctuantes agitantur, interdum alia, deinde alia decernunt. Neque tamen ita constantem requiro Consiliarium, quin cum re ipsa mutare. Consilium quandoque possit, atque ad illas temporum inclinationes attendere, quæ minimis fieri momentis nonnunquam solent. Quis nescit puncto sæpe temporis maximarum rerum momenta verti? Pulchrum est, si veritas ignorata fortasse postulet mutare sententiam: at sententia mutata à veritate discedere semper est turpissimum. Verum ne diutius hic immorando serius ad portum aliquando pertingamus, cum illud mihi vehementer arrideat, quod

Exemplum Metelli.

Thomæ Mori.

Subjectio.

Constantia Senatoris seu Consiliarii.

Transitio.

Silentium in Consiliario requisitum. *Probatur testimoniis* quod Festus Pompeius ait à silentio Consilium esse dictum, tum illud in mentem venit Senatori ac Consiliario, necessariam esse vel maxime taciturnitatem. An non parum est, imo nihil est, recte deliberare, recte censere ac consulere, si arcana consilia silentio non obsignentur? Bene tu *Plutarchi.* Plutarche tempestivum silentium rem esse sapientissimam judicavisti. *Horatii.* Bene tu Horati, eximiam esse virtutem, præstare silentia rebus, censuisti: *Taciti.* Bene tu Corneli Tacite, tam nescire quædam Consiliarios, quam scire oportere, dixisti. Consulamus potentissimam & gloriosissimam olim *Persarum.* Persarum gentem apud hanc nemo consiliorum particeps erat, præter fidos ac taciturnos optimates, qui silentii Numen colebant, & arcana Regum vitæ periculo custodiri sanciebant. *Ægyptiorum.* Consulamus Ægyptios, apud hos ei lingua abscindebatur, qui Reipublicæ recta consilia detexisset. *Romanorum.* Consulamus Romanos, apud hos consiliorum arcanorum evulgatores aut vivi exurebantur, aut furca suspendebantur. Quorum quidem populorum nemo ut opinor, severam nimis disciplinam *Item ratione* accusabit, cum si Reipublicæ, & Regum arcana detegantur, ita fieri plerumque soleat, ut felicem nunquam exitum illa sortiantur, & Reipublicæ objecto ab hostibus impedimento sæpius eludantur. *Exemplo Pompei.* Quid ergo volo? ut Consiliarius ac Senator noster Pompeius sit quidam? Pompeius dum legationis officio jungeretur è Gentio Rege interceptus; cum Senatus consilia prodere juberetur ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, eaque patientia Regi simul & desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi excussit & expetendæ populi Romani amicitiæ ma- *C. Metelli.* gnam cupiditatem ingeneravit. Vtinam talis existat Senator! Celebris ille ac nunquam satis laudatus Cæcilius Metellus, Si scirem, inquit, hanc vestem mei consilii consciam esse protinus

nus exuerem, inque ignem concremandam coniicerem. Vtinam ita sententiam ac dicat Senator! Demosthenes Oratorum ille Græciæ Princeps, cum illi, nescio quis oris fœtorem obiiceret, Bene tu quidem, inquit, multa enim secreta in eo computruerunt. Vtinam & os tale & pectus arcanorum receptaculum habeat Senator? Quod si vero amplius liceat mihi optare, utinam singularum Curiarum vestibulis, imo singulorum Senatorum pectoribus illa Consistorii Spirensis exarata constitutio foret. In Senatu gesta, dicta, judicata æterno silentio tegantur, nihil iniussu Cæsaris revelante. O utile profecto scitum, & quod mihi tam inculcasse videtur eruditus ille Saxonum Præsul Anthemus:

Demosthenis.

Spirensis Curiæ.

Exclamatio.

Lingua suos habeat frænos in corde ligatos.

Et quamobrem quæso? nisi quia Sacramentum Regis abscondere bonum est? nisi quia res magnæ sustineri ab eo non possunt, cui tacere est grave? Video vos erectis animis, Auditores Ornatissimi, jam assentiri, & contento cursu oratio procedat, efflagitare. Procedamus sane, & iam ipsum Consiliarii nostri animum intueamur. Salustianus ille Cæsar, quem in sago mundus horruit, in toga amavit, Omnes, inquit, homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ita, atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi ista efficiunt; neque quisquam omnium libidini simul, & usui paruit: ubi intenderis ingenium, valet; si libido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. O præclaræ, & memoratu dignissimæ voces! Quis nescit (cum Livio dicam) ex privatis affectionibus fere omnem humanæ vitæ pernitiem nasci? Sciunt omnes, atque idcirco eum esse Consiliarii nostri animum exopto, qui sui potens legem sibi dicat, & ebullientes quandoque affectus, tanquam fluctus quosdam, reprimat ac refrœnet. Non il-

Transitio.

Consiliarius carere affectibus debet.

Ratio.

Exclamatio.

Removentur varii effectus. lum ita inflammet, non libido emolliat, non odium exacerbet; non amicitia à recto tramite sedu-cat, non misericordia à justitia & debita severitate revocet. *Repetitio.* Quot sunt, qui ita aut misericordia impulsi male consuluerunt? quot sunt, qui amicitiæ & favori aliquid indulgentes justitiam corruperunt? quot sunt, qui ad misericordiam inclinati improbis ad scelera fenestram aperuerunt? *Subiectio.* Esto tamen sit in animo Senatoris ira: & quicquam videbit? ira cæca est: si libido, & quicquam intelliget? libido insipiens est: sit odium: & quicquam recte ac iuste volet? Odium omnia contemnit divina & humana, ut se vindicet. *Testimonium Senecæ.* Audite Senecam. Etiamsi ingeratur oculis veritas, amat & tuetur errorem: coargui non vult, & in male cœptis honestior illi pertinacia videtur, quam pœnitentia. *Similitudo.* Videmus sane nos ipsi, & experientia ipsa docemur, quod si fumus in oculos assurgat, protinus eos commoveat, dolorem excitet, aspectum perturbet: ita plane evenire solet, cum in animo affectiones illæ consurgunt; animum inprimis totum invadunt, tum rationi ac judicio caliginem quandam infundunt; consulta inconsulta fiunt, quæ expediunt non expedire videntur, quæ turpissima sunt, honestissima judicantur, *Testimonium Biantis.* Vnde fit, ut prudentissime Biantem Pyrenæum dixisse putem, Bono consilio duo maxime contraria videri, iracundiam & festinationem quod illa hominis iudicium intervertat, hæc veri disquisitionem impediat. Nempe:

——— *Diis proximus ille est*
Quem ratio, non ira movet.

Exemplum Pisonis. Atque ut quantum rationi iudicioque una iracundia noceat, intelligatis prodeat in hanc arenam Cneus ille Piso, qui dum affectibus ac perturbationibus suis rationem submittit trium gravissimorum criminum uno eodemque judicio, sed

ini-

iniquo, reus existit. Iratus ipse militem quendam quod ex commeatu sine commilitone rediisset, ac quasi eum interfecisset, ad supplicium more impatiens, & omnis oblitus humanitatis ocyus duci ac rapi iubet. Abducitur, rapitur, & ecce iam miser districtæ securi cervicem porrigebat, cum omnium atque ipsius Pisonis oculis ille, qui occisus credebatur, apparet. Obsecro vos, Auditores, quid factum tum fuisse putatis. Præerat tum supplicio Centurio, nec mora, ut Speculator gladium condat, iubet & damnatum ad Pisonem reducit. Ingens erat omnium concursus, complexi alter alterum, magno castrorum omnium gaudio commilitones procedebant. Sed ecce (ô horrendum posteris omnibus facinus!) furens ipse Piso tribunal conscendit, sisti utrumque iubet, & cum iis Centurionem; tum, ut solers iracundia dictabat, Te, inquit, duci iubeo, quia damnatus es; te, quia causa damnationis commilitoni fuisti, te, quia iussus occidere Imperatori non paruisti. Mirare, ô posteritas, hoc factum, sed simul detestare. Gloriosior ille Arragonum Rex Alphonsus, qui dicere solebat, quod si florente Republica Romana vixisset exstructurum se fuisse Iovi positorio, idque è regione curiæ, templum, ubi Reipub. Senatores & Patres conscripti priusquam in Curiam intrarent privatos animi affectus, iram, odium, amorem deponerent. Animadvertebat prudentissimus Rex Consultores pessimos esse privatos illos affectus, qui frequenter & civitates & regna bellis committerent, ac tandem pessumdarent, proindeque si quid Iupiter potuerit, præstare illud debuisse, ne quid momenti in Senatibus ac Consiliis in quibus de Republ. consultatur, privati affectus haberent. Verum enimvero, dum iterum hic velut posito pede subsisto, ecce obversatur oculis Illustrissimus ille Cardinalis, qui interrogante quodam ab

Sustentatio.

Testimoniũ Alphonsi regis.

Ratio testimonii.

Transitio.

Aula homine, cuiusnam maxime fidele consilium esset. Aurum, inquit contemnentis Verissime sane & prudentissime. Etenim, si Salustio credamus, Avaritia, bellua fera, immanis, intoleranda est, quo intendit, oppida, agros, fana atq; domos vastat; divina cum humanis permiscet: neque exercitus, neque mœnia obstant, quo minus vi sua penetret; fama, pudicitia, liberis, patria. parentibus cunctos mortales spoliat. Et hoc monstrum in Consiliarii nostri ac Senatoris animo sedem reperiret? Apage hinc monstrum. An in eo iudicium esset, qui pecuniis adstupere solet? An expectandum ab eo in deliberationem consilium, cuius animus cumulandus thesauris est accensus? An eius ulla fides esset, qui bonum publicum, ut auro inhiet, aspernatur? Nihil sapit, nihil vult avaritia, quod æquum & fas sit. Dic tu, Valeri Maxime, quodnam tandem æterno in gradu stare regnum potest? Illud, inquis, ubi minimum pecuniæ cupido sibi vendicat. Quamobrem vero? quia nimirum à quibus abest lucri studium, abest etiam peccandi voluntas, & causa fallendi. Agite vero an non is animus Consiliarii esse debet, ut leges sequi, maiorum exempla intueri regni instituta servare, rationem ubique & in omnibus ducem habere velit?

Consiliarius ne sit avarus

Repetitio.

Testimoniũ Valerii Maximi.

Subiectio.

——*Sed quæ reverentia legum,*
Quis metus aut pudor est unquam properantis avari?

Esto, ratiocinandi facultatem habet; sed profecto quam non in capite, sed in pecuniis collocavit. Cave, caue virum istum, venalis est, & venalem Rempublicam circumfert. Cave, inquam, iuravit, sed iuramento non stabit; fidem dedit, sed auro adscripsit: Non Regem, sed Reginam pecuniam amat; non Rempublicam, sed rem domesticam augere amplificareque contendit. Quã bene

Avarus fraudulentus.

bene, imo quam vere dixit Cato, duo esse vitia, quibus Imperia maxima potentissimaque everterentur, luxuriam nimirum & Avaritiam? Quam constanter, imo quam fideliter Fabritius ille Romanus nunquam in hominum posteriorum memoria moriturus, dimidiam Epirotarum regni partem, ut Patriæ fidelis Senator moreretur, Repudiavit? Quam provide nonnullæ gentes. Aristotele teste, caverunt, ne ii, qui agros hostibus vicinos haberent, in consilium adhiberentur de bello, quod cum finitimis est suscipiendum, quasi rei privatæ aspectus impediat, quo minus prudens consilium proferatur! Te compello hic, quicunque Princeps & Monarcha, Consiliarium fidum ac probum quæris? Elige pecuniæ contemptorem: elige, qui commodis suis neglectis publicam rem, ac tuam quærat utilitatem: elige qui honore & emolumento à te accepto contentus, ad alienos thesauros non respiciat, tibi uni, non Principibus aliis aut Regibus fit obstrictus. Valeant & simul valeant Pensionarii illi (ita vulgus appellat, qui honorarias, imo qui stipendiarias pecunias à Principibus aliis clanculum, & summa cum perfidia fraudeque recipiunt. Non illi Senatores sunt, sed Exploratores, non patriæ Consultores, sed proditores. Quapropter, quod Iustinianus olim Imperator, Provinciarum Præsidibus, hoc tibi, ô Princeps, ô Monarcha, singulare prorsus Imperii arcanum propono? *Festinabis, Consiliarium, & quicunque circa te, assumere virum optimum, & purum undique, & contentum iis, quæ à fisco dantur, & si quid præter spem accesserit, & non inveneris eum custodientem tibi fidem iustam, illum quidem expelles, alio vero uteris Consiliario, legem & iustitiam cum puris servante manibus.* Quanquam, Ornatissimi

Testimonium Catonis.
Exemplum Fabritii.
Communicatio.
Descriptio veri Consiliarii.
Transitio.

Transitio. simi Auditores, dum ulterius decurrente oratione procedo; & Consiliarium nostrum in lucem sisto animadverto me non stellam aliquam; sed Solem ipsum adornare; non hominem aliquem, sed Mercurium aut Palladem describere; non virum tantum togatum, sed Nestorem aut Vlyssem repræsentare conari. *Alia virtutes Consiliaris ingenium* Multa in hominibus singulis esse debent, omnia in Consiliario perfectoque Senatore requiruntur. Pulchrumne est ingenio excellere? Excellere Consiliarius debet, ut ingenii in eo impetus celeres sint & alacres. *Eloquentia,* Admirandumne est eloquentiæ facultate cæteris mortalibus præstare; Consiliarius debet, ut homines ratione & oratione ducat; ut imperitæ multitudinis tumultus sedet; ut cum gravitate quadam ac dicendi maiestate animi sui sensa apud Principes ac Reges depromat. *Linguarum peritia.* *Cognitio historiarum.* Vtilissimumne est linguarum diversarum peritiam habere? Habere Consiliarius debet, ut cum iis, quibus Princeps imperat, agere possit. Gloriosumne est historiarum omnium cognitionem animo complecti? Complecti Consiliarius debet, ut omnium sæculorum cognita memoria maiorem negotiorum experientiam possideat. *Politica.* An eximium est Naturæ donum Remp. administrandi rationes tenere, ac Politicum agere? Tenere & agere Consiliarius debet, ut belli pacisque tempora moderetur. *Iustitia.* Non omnia necessum est recensere; iustum ac bonum esse debere quis neget? Liberalem ac beneficium quis non requirat? Mansuetum ac benignum quis non exoptet? Fortem ac constantem quis non desideret? veracem ac tarde festinum quis non admiretur? O me igitur vel obliviosum, vel imprudentem, qui hæc omnia in Senatore perfecto requiro, oratione non exprimo. *Liberalitas, Mansuetudo fortitudo seu constantia, Dissimulatio per transitionem.* Liberum volo, & veritatis amantem Taciturnum desidero, & suis affectibus imperantem; supra pecuniæ studium positum, & contemptæ Domi-

num

num ſplendidiorem rei exopto : & nondum o- *Peroratio.*
mnia oratione depromo ? Profecto, Auditores, in
eo omnia pono, quem talem ac tantum conſti- *Optatio.*
tuo. Quare, ut ad finem aliquando, quo veſtra me vocare benignitas videtur, contendamus, utinam ita comparatum eſſet, ut auguſtiſſimum illum Reip. Romanæ Senatum intuere poſſetis : aut illam ſane ſeveram Spartanorum curiam, aut illud prudentiſſimum Athenienſis urbis Conſilium introſpicere liceret. Quanquam quid vetera iſta, ac non etiam horum temporum Arcana quædam Regum Principumque multorum Conſiſtoria intrare, oculisque uſurpare fas eſſet ? Videretis profecto, & admiraremini in iis perfectum illum, & numeris omnibus abſolutum Senatorem, quem ſuis coloribus adumbrare vobis contendi. Quod ſi tamen nec illa priſci ævi, nec hæc noſtræ huius ætatis intueri Conſilia fas eſt? utinam ſaltem audire liceret Catonem aliquem aut Periclem ; illa
Curiarum veterum lumina, Rerumpubl. floren- *Repetitio*
tiſſimarum ornamenta ? An non vero ita loquen- *figurata per*
tes auditis ? Arduum Senatoris eſt ac Conſiliarii *proſopopœi-*
munus : virum exigit, cuius in animo ſit veritas, *am.*
in ore libertas, in pectore ſilentium arcanum, quem non amor ſui excæcet, ſed patriæ ardor inflammet ; non avaritia tranſuerſum agat, ſed conſtantia & integritas invictum ſiſtat. Ille eſt Rerumpub. fundamentum, regnorum fulcrum. Principum ac Regum ſubſidium, omnium ſolatium. Ille eſt, cuius vox diſciplina eſt & lex Reip. vultus Sol urbis, animus omnium munimentum. Adeo felices quondam noſtræ Reſpub. quæ tales aliquando Senatores habuerunt, quorum conſiliis, pluſquam armis debuerunt. Ita illi loquuntur ; utinam vero, Ornatiſſimi Auditores, tales Rebuſpub. noſtris ac imperiis (ſic enim voveo) Conſiliarii ac Senatores contingant. DIXI.

ILLVSTRIS
D. MARTINI KALINOVVSKI
POLONI.
ORATIO
DE LEGATO
Seu
PERFECTI LEGATI DOTIBUS.

Exordium per comparationem officii legati cum aliis

CVm multa sint egregia, divinoque prorsus consilio instituta ad populorum incolumitatem ac salutem Reipublicæ munia, quæ sane per omnes eius partes variis ac distinctis ordinibus sunt diffusa; tum nullum est, Ornatissimi & Humanissimi AVDITORES, quod aut rerum amplitudine, aut officii excellentia & dignitate, aut dignitatis denique splendore cum Legati munere ac officio possit comparari. Etenim si non obscuram aliquam ac levem sequi coniecturam, sed ipsum intueri ac penitus introspicere Legatum velimus, nihil est ipse aliud profecto, quam, ut cum Poeta dicam:

Descriptio Legati.

——Vox Regum, lingua salutis.
Fœderis Orator, Pacis via, terminus iræ,
Semen amicitiæ, Belli fuga, litibus Hastis.

Vel sane nihil aliud est omnino, quam Principis oculis emollitius, Auris longa, Manus extensa. Quam eius dignitatem cum ille fama & meritis inclytus Persarum Monarcha Cyrus intelligeret,

Dignitas eius.

Imperatoris eum artibus à prima ætate instituendum esse dicebat, qui Legationis perfungi munere

rere non sine laude sua & publici boni emolumento aliquando deberet; atque vel idcirco tantum, quod viva ipse Principis sui imago Principem suum Gentibus aliis esset exhibiturus. Neque ipsæ orbis universi Nationis aliam ob causam Legatum inviolabilem & ubiq; terrarum sacrosanctum, quem verbo etiam violare nefas esset, pronunciaverunt, quam quia ea eius est in Republica dignitas, quæ supremæ proxima reverendum omnibus splendorem admittit. Atque cum ea sit dignitas, quem excipere non nisi dire pectus, sustinere non nisi magnus animus potest, de necessitate nemo, opinor, dubitabit. Quam multa ex intervallo negotia magnis illis Monarchis occurrunt, quæ nisi per Legatum expedire ipsi commode non possunt? Litterarum ministerio omnia omnino committere velle, prolixum est; litterarum fidei arcana Rerumpublicarum & regnorum negotia concredere, periculosum est. Multa publicum arbitrium fugere debent, multa mutuo tantum colloquio constare possunt, multa exploranda magis, quam tractanda, ut interim nihil de pace dicam, nihil de bello, nihil de induciis, Religione, fœderibus, nihil de negotiis aliis eiusmodi quæ ut peragantur, vicaria quadam opera LEGATVS Principis ac Reipublicæ Lingua est & loquela. Quod cum ita sit, & publicam hodie lucem in hoc Academico splendore tentare sit constitutum, de Legato disseramus, & virum illum disserendo producamus, qui ore facundo, pectore fœcundo agere in terris Mercurium, ac Principem repræsentare possit. Vtinam tanta sermoni nostro dicendi vis ac facundia inesset, quantam absolutus numeris omnibus Legatus requirit. Sed vos Ornatissimi & Humanissimi AVDITORES, tum ad arduam hanc Provinciam plus promptæ voluntatis, quam potentis facundiæ plus honesti conatus, quam expedi-

Necessitas.

Propositio Orationis.

Conciliatio auditorum.

Confirmatio. tæ facultatis apporto, voluntati & conatui tantum favete, quantum omnes orbis universi gentis legato favendum esse putant. Veneranda illa priscorum sæculorum ætas, quam Antiquitatem appellamus, Mercurium, Deorum illum nuntium ac Legatum, quem Eloquentiæ Præsidem nuncupavit, Legatorum Numen esse, atque ut ipsi singulari prorsus nomine Oratores appellarentur, quod non manu, sed ore munus suum exequi deberent, determinavit. Agite ergo quid primum aut potissimum tandem in Legato nostro, nisi illam dicendi vim & facultatem: quam Flexanimam appellamus, requiremus? Sane non ab illis terrarum Dominis Legationes instituantur, ut agendo Legatus, sed ut loquendo Monarchæ sui negotia perficiat, non ut vincat, sed facunde persuadeat, non ut Principem alium aut Rempu. impellat, sed suaviter adducat; non ut quid extorqueat, sed impetret. Atque ea vis est Eloquentiæ, quæ Legato nostro & Oratori nomen ac munus tribuit; ut artificiosi sermonis sui energia hominum mentes ad nutum lubitumque flectat. Ea est hæc Diva, cum eam suo pectore Legatus cōcludit, & ore recludit, qua velut Delphico quodam gladio ad negotia quælibet pertractanda feliciter uti potest. An non ut quisque eloquitur, ita & sapiens & bonus videtur? An non cum quis facundioris linguæ: thesauro instructus, idem magnorum munerum capax iudicatur? An non illud omnibus est optandum, ut ex illustri animo illustris oratio efflorescat? Non hic Demosthenem testem evocabo, cuius in Atheniensi Repu. tanta dicendi facultas fuit, ut bellum esset cum vellet, pax esset cum vellet. Te testor Epirotarum Rex Pyrrhe, qui sæpius fateri solitus es, Imperii te tui fines magis extendisse ac firmavisse, pluraq; oppida tandem occupavisse facundo Cyneæ Legati tui eloquio, quam tuorum operosa

In Legato requiritur primo eloquentia.

Ratio eloquentiæ requisita.

Testimoniū Demosthenis Pyrrhi.

manu

manu cataphractorum. Et nunquid veteres illi Galliæ populi per Herculem illum suum nihil aliud, quam perfectum orbi Legatum repræsentaverunt? Ex eius ore pendentes ex auro electroque catenulas circumfusæ multitudinis auribus alligari voluerunt, ut nimirum summam Eloquentiæ vim in Legato adumbrarent, qua purissimorum & vere aureorum verborum beneficio hominum animos & corda trahit. Pulchrum est ratione & oratione, quibus dotibus homines à brutis animantibus Natura distinxit, singulari quadam eminentia hominibus ipsis aliquem præstare: Pulcherrimum vero unius ab ore Principes viros, & ingentem aliquando multitudinem pendere, adeo ut omnium ille corda sua quodammodo manu versare videatur. Inde lumen illud Græciæ Demosthenes gloriari solebat, quod pro lubitu Iudicium sententias tanquam cereas flectere valeret. Vnde M. Tullius Romani nominis prima gloria, regnare Romæ, etsi non sine multorum invidia, dicebatur. Existat igitur LEGATVS ille noster, sed talis, qui apud Orbis Principes sine claua Herculem agat; talis, inquam, qui spoliis Leonis exutus cum Caducæo Mercurium repræsentet. Ille potenti verborum fulmine bellorum fulmina ac tempestates componat: ille mellifluæ facundiæ suavitate exasperatos Regum animos sedet: ille inducias persuadendo paciscatur: Ille fœdera, junctis animis, ac manibus magna verborum arte percutiat: ille Religionis ac Reipubl. negotia ratione singulari proponat, oratione admiranda perficiat, societates procuret, affinitates confirmet: ille denique sit in omni negotio Principum ac Rerumpublicarum loquela plena ponderis ac maiestatis. Vtinam talis (quemnam tandem, aut ex prisco illo ævo, aut ex nostro producam?) Vtinam talis, qualis profecto non ita pridem Æneas Syl-

Verum Gallorum.

Effectus eloquentis Legati.

Repetitio.

Optatio.

Exemplum Æneæ Sylvii. vius, qui à Friderico Imperatore Legatus sæpe missus, quæ sperare ipse vix unquam ausus fuisset, eloquentia perfecit; bellorum excitatus tempestates composuit, discordiarum flammas extinxit, Civitates plurimas rebelles flexit, coniugia desperata impetravit, & plus lingua, quam quisquam unquam pene manu obtinuit; cuius etiam beneficio factus Episcopus, mox Cardinalis, paulo post, cui serviverat Imperatori, triplici Pontificatus supremi corona decoratus imperavit. *Obliqua prosopopæia.* Quanquam si ex illo vultu, vestro, Ornatissimi AVDITORES, de animorum sensu coniecturam facere liceat, ita mihi cogitare videmini. Itane vero Legatum in augustissimo Principum consessu constitutum Eloquentiæ torrentes profundere decebit? Etiamne copiosa illa dicendi ratione occupatissimum Regum tempus implebit, ambitiosi sermonis lenocinia jactabit, fucum faciet, ubi prudentia tantum est opus? *Qualis eloquentia Legati esse debeat.* Bene cogitatis, AVDITORES, neque eo Legatum illum probo, qui scholam redolet & affectationem; qui flores spargit, qui lenocinia jactat, qui auribus verborum copiosa suavitate adulatur: illum volo, illum laudo, qui virilem dicendi maiestatem retinet, qui non pomposam & ad theatrum compositam orationem, sed admirationis, gravitatis, prudentiæ plenam audientibus propinat; qui elegans est, non affectus, qui venustus non fucatus, qui plenus, non turgidus. Apage comptum istum, *Transitio.* quo nihil incomptius, elegantiam istam puerilem, qua nihil ineptius: ubi ostentatio est, deficit morum splendor; ubi jactantia apparet, obsequii & amicitiæ gratia recedit. Cum vero ita *Requiritur secundo linguarum peritia.* fieri soleat, ut ad exteros plerumque populos à Principibus Legatus mittatur, non Eloquentem tantum illum, sed linguarum etiam peritum, ut non uno, sed plurium, & quasi omnium ore loquatur, requiro. Vnde mihi non errare omnino

Tur-

Turcæ videntur, qui virum aliquem unum tot viris aliis æqualem dicunt, quot ipse diversis linguis uti potest. Quis nescit, quam decens & utile sit eorum non ignorare linguam, ad quos ablegatur, ne multa nescire, & periculosissimis uti interpretibus cogatur? Non frustra sane Carolus IV. Romanorum Imperator Aurea Bulla præcepit, ut Electorum filii præter vernaculam, Latinam insuper, Italicam ac Illyricam discerent, ut cum variis aliquando Gentibus agere, ac nonnunquam secretum remotis arbitris sermonem possent communicare. Quanquam qui Legati nostri linguam jam satis instruximus, cum ore non tantum dicere, sed corde etiam sapere eum sit necessum, ipsum quoque pectus eius instruamus. Sit Eloquens Legatus oportet, sed & simul sit prudens. Quid? ergone dicet aliquis, Eloquentiam in Legato prius exigis, Prudentiam posterius requiris? Illam sane prius exigo, quæ inter omnes Legati perfecti dotes ac virtutes eminet, hanc posterius non requiro, sine qua ipsa subsistere Eloquentia non potest. Et hæc est Prudentia, recta illa ratio, quæ per lumen, quod hominum mentibus clarissimum infundit, quid fugiendum, quidve sequendum sit sine errore præscribit. Illam Aristoteles ingeniorum ille & scientiarum Princeps Mentis oculum appellat: illam Poetæ homines ingeniosissimi è Iovis cerebro Vulcani, opera natam esse finxerunt. Est ubi magnificentia sit opus, non ubique: est, ubi liberalitatem exerceas, non semper: hic te locus iustum te poscit, ille fortem: hodie clementiam tuam Reipubl. salus efflagitat, cras eadem severitatem tuam requiret: singulæ illæ virtutes suis locis ac suis temporibus prosunt: at ubique Prudentia, at semper Prudentia, sine qua si pedem efferre contendas, protinus concides, & errorum laqueis involueris. Sit igitur instructus hac vir-

Ratio requisita peritiæ linguarum.

Autoritas Caroli IV. Imp.

Transitio.

Requiritur tertio prudentia.

Praeoccupatio.

Descriptio prudentiæ.

Vbique necessaria prudentia.

Comparatio cum aliis virtutib.

Quid sua prudentia efficere debeat. ture Legatus, nec tam opinione, quam experientia ipsa prudens; absque hac duce nullum pedem promoveat, nullum negotium suscipiat, nullum muneris sui mandatum exequatur. Per eam regionem universam ad quam mittitur, regionis mores, morum instituta, ac Reipubl. leges formamque cognoscat: per eam regionis aditus obvios, operosos, & inaccessos exploret; per eam de Magistratuum politia, de Ducum auctoritate, de militari disciplina inquirat; per eam qua indole ac natura sit Princeps, quibus potissimum delectetur, qui gratia & auctoritate valeant apud ipsum attendat; nihil denique sit, quod Prudentia hac Duce (nolim tamen explorator arcana scrutetur (non penetret, non introspiciat, non intelligat. Et vero quam diversa Regum ac Principum negotia? quam diversi hominum mores & instituta? quam variæ, & quam inconstantes plerumque voluntates? quantæ in rebus, & quam tectæ dissimulationes? Sane qui cum omnibus omnia non sine Principis sui emolumento agere ac tractare potest, hic mihi prudens esto: qui omnium geniis & ingeniis aptare se potest, hic mihi polytropus esto: qui in omnes sese formas mutare, nec à recto discedere semperque mentem eandem retinere potest, hic mihi Proteus esto. Magnum omnino consiliorum ac conatuum fulcrum prudentia, non illa quæ humano tantum capite & captu stat, infirma est? sed quæ cœlestibus quibusdam distincta scintillis à mente bona proficiscitur, & ad Deum tanquam ad Cynosuram se flectit? hæc firma est, hæc felicem Legatum fortunatumque reddit. O si patriæ aliquando limites excedat, nec transverso tantum, ut aiunt, foro ambulet, qui ad legationis munus adspirat! O si talis sit, qui malorum consuetudine robustior & novercantis aliquando fortunæ manu sit exercitatus! Non bene semper sapit, qui deli-

Occasio negotiorum.

Repetitio cum similitudine.

Oratio.

delitias semper sapit; non bene suadet, cui fortuna nihil eripuit; ærumnam quisquis passus est, vitæ regulam habet; & quisquis adversitatum humanarum astrictu protritus est, accutior est & excitatior. Enimvero cum non minimo. Prudentiæ pars solertia sit & astutia, sit sane ita prudens Legatus noster, ut astutus sit simul & solers. Non illum alii captionibus circumveniant; non verborum fraudibus in labyrinthum detrudant; non pactionibus astutis, non arte ingeniosa decipiant, & in damnum ignominiamque deducant. Talis erat solertissimus ille Mutius Scævola, qui cum ad Carthaginenses Legatus à Romanis missus esset, duæque illæ tesseræ punico ingenio offerrentur, in quarum una pacis, in altera belli symbolum legebatur, utramque ipse arripuit, & optionem illis offerendo: Vtram, inquit, mavultis habetote Carthaginenses. Ita prudentissimus Legatus Reipubl. suæ dignitatem, quam illi astu minuere satagebant, singulari prudentia servavit ac confirmavit. Talis erat Fabius, qui cum ad Antiochum bello victum, ut conditiones pacis certas pacisceretur Legatus missus esset, pactus est, ut dimidiam navium partem salvam haberet; verum ut hostem ipse exarmaret, naves secuit, & dimidiam iam diversarum partem solertissimo ingenio hosti reliquit. Enimvero parum adhuc profecto est bene loqui & sapere, si terror interim animum occupet, nullaque pectus constantia fulciatur. Non satis est Eloquens sit Legatus, timere potest, non satis est prudens sit Legatus, concidere animo, nec satis sibi fidere potest; sit constans, sit magnanimus, sumptaque ex meritis fiducia intrepido prorsus animo ad Legationis munus accedit. Non agam hic ratione, quam clarissimam videtis; speculum Legato nostro proponam, ut per illud seipsum in Legatis aliis intueatur. Intueatur ergo fortissimum illum M. ssanæ

Sententiæ morales.

Astutia requisita.

Repetitio.

Exemplum Mutii Scævola.

Fabii.

Requiritur quarto constantia.

in

Probatur exemplo Megaclis. in Sicilia civem Megaclem. Hic cum Agathocli modis omnibus Messanam oppugnanti quanta vi poterat, adversaretur, Vrbem sibi aut Megaclem de repente tradi postulavit. Quid agerent Vrbis Senatores? Vrbem traderent? actum erat: Megaclem? non licebat: suspensi & anxii huc illuc ferebantur, tandem, ut deditio fieret, calculos apponebant, cum ecce paratum se, modo caduceator mitteretur, Megacles ostendit. Decernunt illi, abit ipse, & postea quam ad Agathoclem pervenit. Ecce, inquit, ego ad te Rex, & Civitatis Messanæ nomine, & moriturus, si ita iudicas, accedo. Verum priusquam tibi Legationem aperiam, æquum ipse apud te statuito: si ad excindendas Syracusans expeditionem Messenii suscepissent, an pro Syracusis, an vero pro Messeniis omnia tentares? Placuit Regi fidelis iste candor, bellum obdicavit, & Megacle incolumi domum remisso cum Messeniis amicitiam ad fœdus percussit. Intueatur Pompeium illum Magnum, qui cum Legatus ab Illyricorum Rege Gentio cum litteris signisque secretis interceptus esset, nec blanditiis, nec precibus, nec promissis, ut arcana revelaret, compelli posset, iamque Rex vincula & atroces equuleos horribilis minaretur, tuum digitum ardenti lychno cremandum admovens, Pompei, inquit, prius in pulverem reversurus es, quam Patriam Populumque tuum proditorie prostitues. Vidit Rex, & territus ingentis animi prodigiosa constantia ulterioris quæstionis cogitationem deposuit, & cum populo Romano feriendi fœderis cupiditatem accepit. Latere hic patior Iuvenes illos Venetos, qui cum ad Imperatorem Fredericum Legati, quod adolescentes adhuc imberbes essent, audiri non possent, magno animo responderunt, quod si ex menti lanugine ac barba de sapientia statuendum esset, missurum fuisse Senatum Venetum duos hircos egregie barba-

Sustentatio cum subiectione.

Exemplo Pompeii Magni.

Item iuvenum Venetorum.

tos

ros. Sed cum illos latere patior, non possum, quin Popilium Romanum, egregiam omnino intrepidi animi imaginem in hoc speculo ostendam. Legatus ipse à Senatu populoque Romano ad Antiochum Regem cum litteris, quibus, ut exercitum ex Ægypto adduceret Rex ille movebatur, missus erat. Traditis lectisque Senatus Consulti tabulis cum deliberaturum se Antiochus responderet, confidenti ipse animo & ausu, virgula, quam manu tenebat, orbicularem circum Regem circulum delineavit, atque ita ait; Hic ergo Rex, priusquam abscedis, delibera & responde Pacem an bellum cum Romanis malis. Violento hoc imperio Rex obstupefactus, omnia se ex Romanorum lubitu acturum pronunciavit, O insignem constantiam! ô animum vere intrepidum! Immorari hic paulisper lubet, ac pedem premere, ut composito rursum gradu procedamus. Multæ sunt ac periculosæ Aulicorum Artes (dicere pestes volebam) multæ ac contagiosæ assentationes. Quam multi sunt, qui tectis quibusdam dolis apud Legatos ita agunt, ut eorum prudentiam circumveniant, constantiamque labefactent? Cuniculos fodiunt, & tectis benevolentiæ amicitiæq; prætextu dolis id agunt. Vt Principum ac Reipub. secreta tacito sensu investigent. Cave, cave Legate, & insigni animi taciturnitate involutus, silentio te vince. Simulant ipsi; dissimula: verba dant? verba redde: benevolentiam ostendunt? tuam repone. Ita illis satisfacere videberis, dum dissimulas; Patriam interim aut Principem non prodes, dum arcana non revelas. At at suavi quodam influxu munera nonnunquam in manus, in sinum, in animum irrepunt quibus admissis animi repagula rumpuntur, cordis claustra solvuntur, arcana deteguntur. Cave iterum, cave Legate, & tuo in Principe ac Rege spem omnem tuam fige. Quid iterum? dulce ingeniorum tor-

Popilij Romani.

Exclamatio.

Renovatis attentionis.

Cautus sit Legatus.

Subiectio.

Reiicia munera.

tormentum ebrietas nonnunquam admovetur, non ut animi opprimantur, sed solvantur, non ut rigescant, sed effluant. Age hic Legate, continentiam hic pone, & sobrietate te defende. At vero quoniam hæc virtus est, quam eminere in Legato nostro oportet, pressum pedem attollamus, & orationem suo cursui reddamus. Ita comparatum est, ut Fortuna, quæ evehere pro arbitrio homines solet, Principes viros excelso in loco ita locet ut ab omnibus suspicantur, & eorum facta ac dicta singulorum arbitrio notentur; unde cum Principis personam vicinia quadam opera Legatus repræsentet, latere ipse in obscuro non potest; quæ dicit, omnium auribus excipiuntur; quæ facit, omnium oculis cernuntur, adeoque judicium effugere, censuramque non potest. Quid ergo? Ita vivat, ut sapientissimi Principis mores repræsentet; ita se gerat, ut præclarissimam in persona sua gentem ostendat. Verbo dicam, Continens sit, ori frænum iniiciat, cupiditati legem ponat, sensibus omnibus imperet. Cum aliquando ad Amyntam Macedonum Regem Legati Persarum appulissent, lauroque & læto convivio, in quo Regis Conjux & Filiæ, excepti essent, petulantius ipsi procaciusque mulieres contrectarunt, quæ mox egressæ quasi cultiores venustioresque rediture, adolescentes fœmineo habitu indutos & sica sub vestibus armatos immiserunt, quos dum licentius & lascivus complecti Legati conantur, ab iis jam ista turpitudine & justo dolore animatis districtis mox sicis sunt trucidati, atque eos, ubi rem omnem ratione cognovit Megabysus Persarum Præfectus, justissimas pœnas dedisse pronunciavit. Tragicum sane, sed quod docet, exemplum, nihil agere Legatum debere, nisi quod honestas ratione defendat, ut non negotiorum tantum, sed etiam morum causa missus esse videatur. Animadverto,

Ne inebrietur.

Transitio.

Requiritur quinto continentia.

Probatur exemplo. Legatorum priscorum.

Ornatissimi AVDITORES, iam ea me in Legato nostro requisivisse, quæ muneri eius necessaria sunt, & illud maximâ præclarissimaque laude exornant. Produxi eloquentem, dedi prudentem, Constantem constitui, Continentem ostendi; aliunde desideratis; Nolo rixosum, qui simultates vel excitet, vel alat; nolo morosum, sed in Republ. politice politeque viventem; nolo adulatorem, ignavi est animi, inconfidentis, futilis, abiecti. Volo genere nobilem, aut insigni virtute, ne genere dignitas destituta vilescat, & invidiam patiatur: Volo specie ipsa præstantem, ut decora corporis species latentem virtutis imaginem aliquam repræsentet, & Gentem ipsam comendet: volo opulentum agris fundisq; divitem, liberorum parentem, ut fidei obsides arctissimos, rem partam, & opes relinquat, nec in hostium factiones tam sequax abducatur: volo munificum, qui Regio quodam splendore multitudinis ad mirabundæ oculos in se convertat, qui non sordidus, qui non infra dignitatis intuitum sit parcus: volo morum patriæ tenacem, qui religioni adhæreat, qui vestem, qui urbanitatem retineat, qui exterorum ritus non ambitiose aut scrupulose affectet. Quid si etiam felicem ac fortunatum volo? Sane opto. Multum dexteritas potest, multum prudentia, at quam varii rerum sunt casus & eventus, qui à Divini Numinis decreto dependent? Omnium in manu voluntas est, non felicitas aut facultas. Quam multi sunt, qui etsi agendo à regula ac scopo deflexerint, omnia tamen virtutis quodammodo manu versasse ac tractasse videantur? A cælo hæc felicitas est. Felix sit Legatus, sed seipsum virtute felicem efficiat, & prudentia fortunam inclinet. *Nullum Numen abest, si sit Prudentia,* Addo etiam, si sit Industria, si sit pervigil conatus, si blanda voluntatum conciliatrix comitas, & Elegantia morum, si ma-

Transitio per repetitionem ante dictorũ

Renouentur vitia.

Sit nobilis.

Speciosus.

Dives.

Parens.

Munificus.

Tenax morũ patriæ.

Felix.

si masculum animi robur, Fortunam ipsam sibi desponsabit. Credat se fortunæ suæ fabrum esse debere, & optato eventu Principem suum ac Rempubl. recreabit. Vigilando, nimirum, ut Salustius inquit, agendo, bene consciendo prospere omnia

Peroratio. eveniunt: ubi te socordiæ ignaviæque dederis, nequicquam Deorum auxilia implores, irati infestique sunt. Quanquam liceat potius perfectum Legatum optare, quam aut videre, aut repræsentare; suis insignibus & coloribus ornare cum Facundia aliqua potest. Fingite tamen, Ornatissimi AVDI-

Demonstratio seu Hypotyposis. Figurata. Repetitio. TORES, quod oculis non potestis, cogitatione vos illum numeris omnibus absolutissimum Legatum intueri. Quanta in ore eius cum suavitate verborum dignitas? quanta in pectore cum eruditione prudentiæ maiestas? quantum in animo constantiæ robur? quanta in ore, in manibus, in actionibus continentia? Vbique cum splendore incedit, cum magnificentia procedit; cum loquitur verax est, cum agit, circumspectus; cum aliis immi-

Adhortatio xtus, tectus; cum omnibus tamen idem ac sui semper similis existit. Vestrum est, quicunque hic Iuvenes adestis, ad hanc gloriam, sed per virtutes adspirare; illis virtutibus animos vestros ornare, ut aliquando sui Reip & ornamento esse possitis. Hæc toties tot ad negotia Legatos postulat, cur ni vos illa etiam accersat: Hæc Oratores quærit; cur ni vos vestra facundia illam iuvetis? Iuvabitis, confido, & tales eritis aliquando, ita voveo. DIXI.

* *
*

F I N I S.

RHE-

RHETORVM

COLLEGII PORCENSIS

INCLYTÆ ACADEMIÆ LOVANIENSIS,

Orationum

PARS III.

CONTINENS ORATIONES Generis Iudicialis.



COLONIÆ,

Apud IODOCVM KALCOVEN,

ANNO M. DC. XLVIII.

ACTIO IVDICIALIS,
In qua coram MAGNIFICO DOMINO RECTORI ACADEMIÆ, ficto Argumento Studiosus Homicida accusatur & defenditur.

IOANNIS MERCATORIS FLORIMONTANI ACCVSATIO *Studiosi Homicidæ.*

Exordium ab optatione. FAcerent utinam Divi Cœlites, & ipse Cæli ac Mundi molitor Deus, Magnifice D. RECTOR, ut quæ de iudiciis ac tribunali famosissimæ & illustrissimæ huius Academiæ plurimas apud gentes percrebuit opinio, tandem aliquando inveterasceret & obliteraretur? *Ratio optationis.* non amplius invidiam sentiremus, non infamiam audiremus, sed pristini recuperata nominis libertate, receptoque qui apud alios conculcatur honore nostro, felices respiraremus. *Occasio fruendi voto.* Quanquam age respiravimus si volumus; liberati sumus, si libertatem amamus. Adest, adest hodierna die deploranda funestaque proh dolor? occasione; sed tale tamen factum, de quo pronunciata à te Iudice ac Quæsitore maximo sententia omnem in posterum tollere potest iudiciorum Vniversitatis infamiam: quæ, inquam, efficere potest, ut non amplius hac in Vrbe, non amplius vicinis in urbibus ac regionibus homines

nes existiment ac crepant, Studiosum nullum, quamvis nocentissimum, supplicio ac morte posse damnari. Non audeat etiam ullus amplius audaci nimium & impudenti ore effutire, non virtutes ab hac Vniversitate, sed iniustitiam vitiaque foveri. Equidem Studioso diem dixi, & in hoc Magnificentiæ tuæ tribunal reum adduxi: quem vero? qui, proh nefas! commaculatam Studiosi sanguine dexteram tuo illo in conspectu nequaquam dubitat ostentare; adolescens profecto vita & factis omnium iam fere hominum opinione condemnatus. Ex quanquam mearum potius esse partium deberet non Academicum Studiosum aliquem accusare, sed in eodem honestissimarum Artium Circo mecum agentem, & insudantem propugnare; non in capitis discrimen adducere, sed omnem à capite iniuriam arcere ac propulsare; ita tamen huius temporis fortuna tulit, ut privato deesse officio debeam, & Academiæ iudiciorum tandem aliquando collabenti famæ succurrendo amissam apud alios existimationem recuperare. Quod quidem ita futurum clare omnes animadvertemus, si tu in hac causa iudex, Magnifice Domine Rector, severitatis personam induens, debita in reum animadvertas: sin vero benignitas severitatem iterum infringat, clementia iustitiam retardet, dissimulatio veritatem obscuret; periit dignitas, aperta est in omne scelus via, tua authoritate armata grassabitur improbitas. Atque ut dum loquor, expostulantem in hoc tuo tribunali iustitiam audire possis permitte ut rem omnem breviter exponam & hac voce, quam à me nimius indignantis Academiæ dolor extorquet, omnem facti veritatem manifestem. Erige animum & fave. Cum statuisset hic reus omni scelere flagitiorumque sordibus, & stu-

Excusatio Oratoris per præmunitionem.

Tacita monitio, quid facere Iudex debeat.

Conciliatio attentionis & ingressus in narrationem

Narratio.

studiosi sanguine sese coinquinare, socios adiit,
Consilium. in tabernas pertraxit, illis impiæ mentis suæ cogitationem machinationemque detexit. Et quanquam nulla unquam illi cum occiso discordia intercessisset, nullo eius odio inflammaretur, quod ipsum ad hoc facinus instigaret, nulla omnino causa subesset sanguinis expetendi & hauriendi (quam improba, quam perversa est simulata sæpe pietas) quanquam, inquam, summa inter
Dictum. eos animorum conjunctio celebraretur, tamen miseri huius & amici sui meditari se mortem
Sociorum præparatio. affirmavit, nec tranquillam fore sibi vitam unquam, nisi illi vitam suam ademisset. Atque cum nequaquam reluctantes, sed conniventes voluntati suæ socios comperisset, ne deesset in
Inebriatio. facto robur, ne magnitudine destitutus animus collaberetur, ne conscientia rationem excitare, mentem stimulare, cogitationem avertere pos-
Apparatus. set, vino se ingurgitavit, ac tum integra sanaque mente, ardens furore, gladio armatus in forum
Cædes. processit. Hic cum oberrantem fortassis amicum, lætum, inermem, nihil hac de sua cæde cogitantem vix oculis hausisset, involat in eum, demersoque in latus ferro quanta vi potuit, frendens simul & vix sibi ipsi in scelere satisfaciens supremum spiritum ademit. Quid obstupescis, Magnifice RECTOR? jacebat prolapsum in terra corpus, trepidabant supremo calore membra,
Insultatio. perruptæ venæ sanguinem effundebant; ipse (intellige atque audi obsecro inauditam in scelere immani barbariem feritatemque) ipse non hac sanguinis inundatione commotus, nec vitam exhausisse contentus ultro insilit in corpus, & cadaveri insultat abiecto, miserique & exanimis imaginem amici, vultum illum vitâ spoliatum
Narrationis clausula. & cruentum pedibus conculcat. Hæc ut exposui, Magnifice RECTOR, ita gesta sunt: nunc vero restat illud, ut ostendam facinus hoc tantum, quo

for-

fordidatus hic reus. Academiæ concitavit tribunal, & suas ipse manus conſceleravit, juſta morte, juſtoque ſupplicio multandum eſſe. Et quanquam illud ita iam ſit clarum ac perſpicuum, ut nequaquam dubitem, quin apud te certiſſimam rei condemnationem conceperis, nec conceperis tantum, ſed debitam tam abominando & luctuoſo ſceleri ſententiam in hunc legum noſtrarum everſorem, & tuæ contemptorem authoritatis ſis prolaturus: tamen ne in hac cauſa meis partibus videar defuiſſe, manifeſtabo deliberato eum depravatoque animo, jusque omne violando ad hujus ſanguinem effundendum properaſſe. Atque ita cum de eius voluntate prava conſtiterit, nequaquam opus erit velle in eo poteſtatem facti declarare, cum proh dolor, ejus enormitatem contra naturam oculis hauriamus. Etenim (videre adhuc videor, & nondum miſeram cadaveris effigiem ſenſus noſtri reliquerunt) jacet in oculis civitatis, exangue, mutilatum, omni laceratum crudelitate corpus; omnium oculos atque ora deterret, adeo ut nec conciſum eius vultum ferre oculi, nec undantem omni ex parte ſanguinem ſuſtinere ſenſus queant. Mors ipſa hoc in luctu miſericordiam indulgeret miſeria ſua, ſi mortuum excitare cives poſſent, aut ſanguinem quo forum, domus locaque vicina redundant, ſuis lacrymis reſtituere. Quanquam quid lacrymas urgeo? quid effuſi ſanguinis crudelitatem repeto: Accedo Iudex ad accuſationem. Voluntatemne tanti ſceleris negabit? voluntatis tanto in ſcelere libertatem defuiſſe conqueretur? Socios novo fœdere novum ad ſcelus adſtrinxit, in tabernas pertraxit, rem propoſuit, fidem accepit: & non voluit? non liber fuit? Quid opus proponere fuit, ſi exequi non volebat? quid opus ſocios fuit ad homicidium nova fide comparare & obligare, ſi homicidii non adfuit patradi vo-

Confirmatio.

Tranſitio.

Propoſitio futuræ probationis.

Brevis excurſio ad concitandam indignitatem.

Hypotypoſis.

Probatur 1. voluntas.

A ſociorum evocatione.

Repetitio.

Dissolutio. voluntas? Itane Iudicem sine mente sine ratione, sine iudicio futurum existimasti, ut hæc unquam te dicentem audiret? Quin potius vereris, ne ad tui nefandissimi sceleris pœnam, nova mendacii *A dicto.* pœna adiiciatur? Quanquam esto, mihi omnino cogitaveris, nunc quid dixeris consideremus. Tranquillam tibi vitam non fore, nisi illi vitam ademisses. Obsecro dixistine & non voluisti? non *A signo.* voluisti, & fecisti? Cruentam hodie dexteram o- *Exagitatio adversarii.* stentas, & nunquid innocens? Vide quas in angustias te coniiciam, si neges, tibi pudorem iniciet reluctans scientia: si neges, tua vox qua nectis *Exclamatio.* excusationem, hærebit: si neges, tui socii, ministri scelerum tuorum, & tui furoris satellites reclamabunt. O insani improborum animi: quid *Brevis digressio de perturbatione improborum.* non agunt & moliuntur, ut quod mente furibunda conceperunt, crudeli dextera in lucem educant? Non se capiunt, cum odii facibus accensi, furiis impiæ voluntatis perturbantur, non se norunt in furore suo; extinctum est in cerebro iudicium, *Praeoccupata obiectio.* sepulta in mente ratio, nulla in corde conscientia, nullus est in animo Deus. Sed animadverto, quid *Responsio.* tuo illo contracto vultu, & annuentibus oculis *Qua aliud obiicitur.* dicas; Nefas esse hominem occidere non ignorabam. Credo non ignorabas, sed impunitatem speravisti. Hæc est illa impunitas, M. R. quæ perversorum animos armas in facinus; quæ audaciam *Ab impunitate.* timidis addit; quæ pios facit impios, & sanctos *Repetitio.* aliquando adolescentes reddit sceleratissimos; *Disiunctio.* quæ omnium scelerum parens est & origo. Cuius *Similiter desinens.* si non obliviscaris, dum ea quæ homicidium sunt consequuta, extremæ adiicio orationi difficile non erit hac in causa iudicium. Quanquam qua voce tandem utar, ubi vocem apprehensa tantum *Ab iis quæ homicidium sunt secuta* modo barbaries, & insana crudelitas intercludit? Exspiraverat innocens, satisne? insilit & pedibus calcat abiectum, ridet, furit, peractum votum ex- *Hypotyposis.* clamat, & animo suo satisfactum. Ita defatigato iam

iam furore, lassa & satiata crudelitate, domum rediit, ad fugam se paravit, satelliti misso restitit, imo etiam vim intulit. Quid exhorrescis, M. RECTOR? quid vultu perturbato sedes? Crudelia ista quidem, sed deliberatæ tamen signa voluntatis. Vide, ut taceat, ut palpitet? ut exalbescat? ut membra omnia concutiat tremor? ut per ora vultumque totum pallor oberret? Ita dum obmutescit, loquitur conscientia, & in pallore vultus criminis confessionem Natura depingit. Ita qui insolitum apparatum instruxit, cadaveri insultavit, fugam adornavit, voluntatis vacare culpa non potest. Fortassis ita tribunalis clementiam exposcet, Ebrius fui. Sed illud à te Homo audacissime quæro, quæ lex tandem aut quæ iura in criminis excusationem admittunt ebrietatem? An si ingluviem replevisti, homicida esse debuisti? an si te ingurgitasti, innocentis haurire sanguinem potuisti? Et quid est ebrietas aliud, quam insania, quam furor, quam crudelitas? Ita dico, & qua possum voce dico, tyrannicum ebriosi omnes spiritum habent, sanguinem sitiunt, clades & mortes anhelant. Testis est Alexander, qui Clitum & Parmenionem ebrius occidit. Testis est Cambyses, qui Consiliarii sui filium ebrius interemit. Ita quicquid est sceleris, perpetrat ebrietas iura & leges violat, naturam evertit. Et adhuc ebrium te fuisse, dicere ausus eris? Nimis iam multa, & hoc unum superest M. RECTOR, ut quoniam infitiari crimen non potest, qua par est iudicii severitate sententia feras ac pronunties. Petit hoc iustitia, postulat æquitas, & hac in re auxilium tuum ac fidem Academia implorat. Cõsule famæ eius, & infamiam aliquando repelle: coerce Iuventutis improbitatem, occlude obtrectantium ora rigore iustitiæ. Ita fiet ut uno percunte salvi sint reliqui, & hoc uno reo punito ita semper iudicasse ac puniviffe videaris. DIXI.

Similiter cadens.
Apostrophe ad iudicem.
A signis & adiunctis.
Obiectio.
Apostrophe ad reum.
Interrogatio
Brevis digressio de ebrietate.
Quales sint ebriosi.
Exempla.
Effectus.
Peroratio.
Postulat iustitiam.

CAROLI MONZÆI LEODIENSIS.

DEFENSIO. *Studiosi Homicidæ.*

Exordium per insinuationem à cōditione invidorum.

SI quid est quod usquam stupeant & admirentur non immerito sapientes, Magnifice Domine RECTOR, una est (neque enim quod obscurari non potest, celabo) una est, inquā Invidia, quæ cum aliorum quidem nec paucorum non raro animos occupet atque infestet, tum inter eos potissimum exsurgit, qui optimarum studiis artium dediti ad res egregias & excellentes enituntur, suosque ita labores omnes animant atque instituunt, ut ipsa non invita fortuna auspice Deo, placido quodam virtutum occursu gloriam mereantur, posteritatis amorem concilient, immortalitatem tandem adipiscantur. Atque

Vis invidiæ. cum hæc insana pestis malevolorum & obtrectatorum adiuta statu explicare atque extendere sese potest, tum illum attingit, quem omnium benevolentia florere eruditionis virtutisque fama assurgere, votis suis gaudere animadvertit; illum dico, quem cum facilis ad honorem via, tum ea iam ætas est complexa, unde excurrere generosa virtus potest? Et vero qui tunc impetus ac turbines sunt invidorum? quid non agunt ac moliuntur, ut aut è culmine sperato honoris ac famæ deturbent illum: aut illius suam sanguine sitim odiumque restinguant? Non pati secum respirare possunt; non aliquod per labores & industriam nomen mereri, non cæterorum amores ambire: ringunt, indignantur, omnes odii atque iræ flammas oculis, ore, animo concipiunt. & exu-

ructant. At cum maxime suis illis furiis agitantur ac perturbantur, cum deplorandus aliquis miseræ fortunæ casus eam ipsis attulisse videtur occasionem, qua cum aliorum sanguine suum odium evomant, & cum innocentis clade suam invidiam eructent. Cuius rei si cuiusquam ætas nōdum experientiam hactenus agnovit, hauriat ab hodierna luce fidem, & ab hoc Vniversitatis tribunali, insolitoque iudicii apparatu experimentum. Ecce ego Studiosus, in oculis illustris Academiæ, in tuo M. D. conspectu reus, sordidatus, accusatus assisto, quem non actæ turpitudo vitæ, non depravata ætatis malitia, sed invidia, sed furor malevolorum deiicere atque opprimere conatur. Scilicet egregius ille studiosi nominis oppugnator & Academiæ defensor ab Academia infamiam removere contendit, dum illa suæ Eloquentiæ vi ac potestate petit, ut sanguine tribunalis subsellia redundent: quid est vero aliud hoc ipsum, quam impiam severitatem omnia infamiæ parentem, quam odiosam crudelitatem omnis turpitudinis originem introducere? quid est, inquam, aliud, quam præclara illa privilegia, quibus à tot iam sæculis hæc Vniversitas gaudet, ut scil. à Studiosorum vita & capite gladius amoveatur, abrogare? Vbi unquam spectata in iudiciis crudelitas fuit? quæ tribunalia severitas commendavit? Profecto si omnis Antiquitatis percurrere cogitatione iud.cia placet, si Romanam Curiam & Rostra, si Athenienſium tribunal, si Spartanorum sedes consideremus, nihil in illis nisi oppressa severitate misericordiam lucere cernemus; neque illam huius nostri temporis famam & omnium posteriorum suorum recordationem haberent, nisi ab iis non lacrymas & desperationem sed animi sui hilaritatem, & vitæ spem reportassent accusati. Quanquam non ita me huius inimici mei terret Eloquentia,

Causa & occasio invidiæ evomendæ.

Præsentatio Iudici.

Removet causas.

Adversariū in odium adducit.

Comparatio ex dissimili.

Causa timoris, quod destitutus.

sit reorum præsidiis. quam illud, quod reus ab eo factus præsidiis illis omnibus caream, quæ prompta reis universa esse solent. Debilitat vocem dolor, animum opprimit indignatio, lachrymæ verba intercludunt,
Impedimẽta & quod caput est, nudus sum ab Advocato, & dicendi facultate destitutus: quin etiam accusor ab eo qui cum ipse studiosus existat, nec minima pars huius nostræ Vniversitatis, studiosorum tutari causis deberet, eorum privilegia defendere ab eorum capite ferrum atque omnem iniuriam propulsare. Veruntamen ut intelligas M. Rector, non ex zelo aliquo, iustitiaque amore, sed odio quodam & invidia omnem hanc adversarii
Accedit ad refutationẽ Accusationis.
Refutatio. accusationem processisse, tua venia respondere conabor ad illam, & quidem quantum ingenii perturbatio patietur, sperans utique Magnificentiam tuam fortunæ huic nostræ perfugium ad futuram, quam horribilem & formidolosam adversarius futuram arbitrabatur. Atque ut ad severissimam inimici nostri criminationem accedam,
Ad 1. argumentum, nullum odium, quo ad facinus instigaret, nullam etiam Inimicitiarum occasionem præcessisse dixit. Quæso ut hoc tibi tanquam verissimum concedam, imo etiam à te accipiam, quid absurdius
Responsio. ad causam tuam dici, quid melius ad nostram potuit excogitari? Si amicus (ita enim ais) illi e-
Repetitio. ram, si nulla inimicitiarum data est unquam
Interrogatio. causa, cur illi mortem depravata voluntate machinaret? cur ad illius sanguinem hauriendum, arma, socios, vim ipsam ac crudelitatem conquirerem? Profecto ita constitutos improbos omnes
Epiphonema à natura videmus, ut ad malum nunquam nisi aut odio impulsi, aut spe aliqua bonorum allecti adducantur. Quid vero tandem ex hac morte sperare boni potuissem, quæ mihi amicum mea vita chariorem, adimebat, & cum ut tu ipse fateris, cum quo mihi summa semper & vitæ coniunctio fuit & officiorum? Quin etiam ita sem-

per iustitiam verebar, & illam tuam in judicio authoritatem, Magnifice Rector, extimescebam, ut vel sola cogitatione ab omni eo abhorrerem, cuius enormitate tribunalia concitarentur. Quare cum ea omnia, quæ de apparatu nostro indicioque voluntatis sunt prolata, defensionem hanc nostram tueantur, non ejus corroborent criminationem; quod manifestum est, nec ignorare jam amplius tribunal hoc potest, deliberato me quicquam animo fecisse nego, & si quid accidit humanitus, id omne contra voluntatem opinionemque nostram dico perturbato animo contigisse. Sequatur nunc illud, quod ut à me prolatum falso protulit, ita nulla ipsius accusationem veritate comprobavit. Quid ergo tandem dixi? Tranquillam mihi vitam esse non posse, nisi vitam illi prius ademissem. Ita inquis, & quis obsecro tecum? ubi ego tunc etiam? ubi illi qui audisse se testantur? Sociosne producis? Tacebo nunc de illis, & ratione te tua gladioque convincam. Neque enim inficiaberis opinor eam maxime quietam esse vitam, quæ in consuetudine est amicorum: unde cum ille mihi amicorum semper optimus maximusque extiterit, quamobrem cum illo quietam ac tranquillam habere vitam nequaquam potuissem? Vides ut te tuo ferro perimam. O vere miseram Studiosorum conditionem! O calamitosum statum illum, in quo hodie sub Academiæ patrocinio ac tutela labores & animos studiis artibusque consecramus! Quæ enim conditionis felicitas, aut quæ vitæ tranquillitas studiosis esse poterit, si propter dictum aliquod & fictum & falsum in judicia suppliciaque protrahantur? Quis in posterum loqui, imo quis in posterum prodire audebit, si non tantum, quæ non dicta, sed quæ nec cogitata sunt unquam, accusantur? Eandem profecto veritatem illud

Apostrophe ad iudicem.

Negat voluntatem.

Ad 2. Argumentum.

Responsio per negationem.

Retorquet pro se argumento adversarii.

Allegoria.

Exclamatio.

Deploratio conditionis præsentis studiosorum.

Ad 3. Argumentum. Responsio. Exagitatio adversarii. habet quoque, quod speratam à me impunitatem, & hac impulsum me ad scelus provolasse dixisti. Age discute rationes tuas, crede oculis tuis, si judicii errore non cares. En adsum in judicio, tuam audivi accusationem Magnifici justitiam & æquitatem exspecto. Cur hæc facio si impunitatem speravi? Non ista fuit opus tibi verborum farragine: non erat quod fulmina nobis & tonitrua tuis verbis ad terrendum potius, quam ad probandum excitares: non inquam, illud à te Iudex postulabat, non Academia, non muneris tui partes requirebant, ut quod ego non inficior manifestare labores. Videt me Iudex clementissimus fatentem, quicquid est intelligit, sed insuper causa me fretum justa misericordiam exspectare judicii non ignorat. *Fatetur admissa causa.* Dicam enim, & quicquid tandem agas, proclamare non erubescam. Nunquam, nunquam in illam animi calamitatem processissem, nisi vino correptus, nisi heu pudor! & pro dolor!) intemperantia perturbatus fuissem. Mirarisne, & aliter probasse te putas? *Invocatio Dei in testem.* Testor te omnium cogitationum inspectorem Deum, testor lucem illam, quam hodie traho respirans, & quam mihi supremam esse desiderares; *Testatur socios.* testor vos etiam Sodales mei, vidistis me vino correptum, sustinuistis perturbatum, imo, addam etiam, doluistis. Adeste, ubi nunc estis? Cur non mihi vox hic vestra testimonium aliquod apportat? *Exclamatio.* Cur patimini, ut qui cogitationes vitam quem meam fideles amici cognovistis, nunc illam perfidi & infideles lacerare videamini? Cur ego sana mente testimonio fuisse vestro dicor, quem ebrietate correptum doluistis? ô detestandam ebrietatem! O abominandam intemperantiam! *Invectiva in ebrietatem permixta conquestioni.* Itane oculos meos excæcasti, ut amicum nō viderem: Itane mihi rationem omnem ademisti, ut familiarissimum mihi hostem esse judicarem? itane in hanc me miseriam adduxisti, & amici cruentatus sangvine nunc dicar, accuser,

& præ-

& præter lachrymas ad causam vitamq; tuendam nihil habeam Veruntamen age, Magnifice Domine RECTOR, ut amplius de accusationis falsitate non dicam, & hoc tibi considerandum relinquam, quam iniquum sæpe odium comminiscantur, & quam sceleris nihil relinquant, qui animi perversitate ducti secum alios respirare dolent & ingemiscunt. Age, inquam, sim reus, nihil nostræ valeant rationes, nihil me perturbatum fuisse prosit. Egone per supplicium mortis extremum Academiæ valedicam? O iniustitiam! ô iniquitatem! Vbi, ubi ergo sunt illa tot insignia studiosorum privilegia? ubi ius illud præclarissimum quod tot pridem Pontifices, Cæsares, Reges, Principes huic urbi & Academiæ concesserunt? Egone ab eorum hodie tutela præsidioque firmissimo depellar, qui Studiosi mihi nomen gloriosissimum assumo? Circumspice Iudex, & illam Magnificentiæ tuæ authoritatem attentius perpende. Cur ita solus hic sedes, ut tibi sit in vitam caputque meum authoritatem prima concessa potestas? Cur non in prætorium tribunal abripior? Cur in me civitatis iura nihil possunt? Nimirum, ut dum alia tribunalia severitatem exercent, tu æquitatem quandam leniorem, dum alii rigorem attendunt, tu clementiam præponas & facias. Illam subditis Principes, illam civibus Magistratus concedunt, cum excusat aliqua causa voluntatem; & ego non illam experiar, in quo nulla fuit sceleris ullius voluntas. Quanquā quid ego apud tuam illam Magnificentiam, Clementissime Iudex, rationum pondero momenta? hæc tu ipse iam omnia cogitasti, iustissima iudicasti. Finge ergo quod facere aut velle non potes, sed finge tamen M. R. tua sententia me iam esse condemnatum, perductum ad supplicii locum, morti præsentem & denudatum ferrum iam iam in me distringendum, omnium ora atq; oculos, profu-

Concessio.

Confirmatio quæ deprecatoria est.

Exclamatio.

Conquestio.

Apostrophe ad iudicem.

Ratio cur ad prætorem non abripiatur.

Per comparationem.

Hypotyposis.

Amplificatio ab adiunctis &

circumstantiis. sis tamen lacrymis, in me conversos. Quid tandem? quid deinde? quis hoc æquo animo spectaculum videat? quis mortem hanc meam siccis oculis ferat? Illinc cives adstabunt & miseram studiosorum conditionem irridebunt, qui in ea causa moriantur; in qua ipsi gratiam assequerentur: hinc vero studiosi flentes omnes & suspirantes, immanem Academiæ huius crudelitatem detestabuntur; imo abire cogitabunt, & iam illi Vrbi valedicere, in qua facile calamitas aliqua contingat, nulla vero gratia aut misericordia reperiatur, ut abire satius sit, quam casum illum exspectare. *Comparatio per contentionem;* O te felicem Publi Horati? ô fortunatam ætatem tuam! ô desideratam dexteræ tuæ conditionem: tu lætitia elatus olim, ego perturbatione correptus; tu sciens & volens sororis sanguinem hausisti; ego nescius & non volens in malum incidit: tu populi Romani iudicio liberatus fuisti, ego in Academia misericordiam Studiosus requiro & mori debeo. *Peroratio ad commiserationem composita.* Vbi ergo misericordia? ubi toties hoc in iudicio spectata benignitas? ubi clementia, quæ hoc in tribunali sedere solebat? Noli, noli obsecro iudex æquissime, inimici odium ponderare: noli ultricibus illis iratum in me flammis accendi. Te moveat hæc ora fletu confusa, hi oculi lacrymis demersi, *Exclamatio.* hæ meæ languidæ & abruptæ singultu voces. Commoveat animum tuum miseræ ætatis meæ conditio; evincant te dolores & lachrymæ parentum meorum. O frustra suscepti parentum labores? O spes inanes! O fallaces de me unquam cogitationes: moriar? & in hac ætate prima? hoc adolescentiæ meæ flore? cum mei laboris honorem consequi, cum vigiliarum mearum fructum percipere deberem? Quid dicetis ô miseri parentes mei, cum eversum crudelissima tempestate filium audietis; quis erit lachrymarum vestrarum modus aut pudor, cum me mortuum intelligetis

getis, cuius vitam vobis olim fore vitam probatis? Audio, audio etiam in auribus meis vestræ lachrymæ dolores ingeminant. Quid dicetis? quo abriperis vita nostra ô fili? quod in te tantum esse potuit crimen, ut qui vivere nobis debebas, aliis tam crudeliter moriaris? hanccine spem nobis & expectationem pollicebaris? Tunc ille, quem aliquando patriæ columen, reip. ornamentum, parentum solatium atque unicum gaudium futurum existimabamus? O miseri nos parentes tui! O nos infelices, qui te genuimus, & educavimus. qui pro te tot molestias & labores sustinuimus, ut lachrymas hodie, infamiam, mortem ipsam tecum, (neque enim sine te vivere amplius licebit) perferre debeamus. Age, age ergo Iudex, tolle severitatem, ostende misericordiam, noli filium interimendo, parentes interimere. Cogita nimiæ esse crudelitatis ob levem aliquam perturbationem adolescentem ad mortem deprimere. Cogita quod à te veniam in posterum tenebo si concesseris, & quod omnibus prodesse ferventius studebo, si ignoveris. Te igitur oro & obtestor, Magnifice Rector. Iudex optime, ut illas, quæ mihi tantum hac in defensione supersunt, lachrymas attendas, oro inquam, ita in ferenda sententia sentias, ut non accepta morte sævitiam, sed vita concessa misericordiam possem experiri. DIXI.

Prosopopæia parentum.

Apostrophe ad iudicem cum deprecatione.

❧ (o) ❧



ANDREÆ à JUBEMA LEOWARDIENSIS FRISII.

ORATIO

Adversus M. T. Ciceronis Oratoris Principis Interfectos.

Mixta ex vituperio & Accusatione.

Exordium à mutatione propositi.

CVm primum eloquentiæ limen sum ingressus, Eruditi Domini. Humanissimi Adolescentes, confirmato animi judicio constitueram apud me M. T. Ciceronis egregiam vitæ laudem, eloquentiam & nominis immortalitatem non affectu tacito tantum, sed aliqua publicæ laudationis oratione, prosequi lubenter; quod & tempus ita faveret, & hic locus Eloquentiæ consecratus postulare videretur, ut in anni principio Eloquentiæ Alumni Eloquentiæ parentum salutarent: sed nescio quonam tandem fato accidit, ut ea hoc tempore honestissimi officii cogitatione deposita suggestum hunc iratus ac perturbatus conscenderim, quasi impotens animi commotionem quandam maiorem exulcerato corde recondam. Est, est iracundia, neque enim inficias ire possum, quæ ab illa cogitata laudatione, in has me quærelas, sed justissimas pertraxit: est iracundia, quæ dum impulit conceptæ voluntatis vela, scopulis quibusdam doloris & angoris animum hunc nostrum affixit. Etenim cum in ea cogitatione Ciceronianæ laudationis occuparer, & illius tanti viri vitam universam, mortem denique considerarem, occurrit

Propositum laudare Ciceronem.

Causa mutationis iusta iracundia.

Occasio mutationis fuit recor-

rit animo Marcus Antonius, qui Ciceronem indignissime proscripsit, & caput illud ingenii, consilii, ac Eloquentiæ plenissimum ignominiosissime ad ludibrium exposuit in Rostris: præsentavit se cogitationi nostræ Popilius, à quo Ciceronis impudenter caput est abscissum: visa quoque Fulvia fuit quasi præsens cruentis manibus & inflammato vultu, quæ Antistitis sapientiæ caput crudeliter laceravit: ita factum est, ut subito impetu justi doloris iracundiæque sim abreptus ad hos, nescio an homines dicam, sed tamen nefandissimos homines aliqua qua possem, oratione perstringendos. Ea enim est iræ justæ natura conditioque, ut injuriam sine mora persequatur, & animum statim abripiat in ultionem: ita etiam facere solent, qui ad aras (ut ita dicam) vivunt amici, qui dum aliorum injuria oppressum animadvertunt amicum, non ad hunc primum, ut solatium ferant, accurrunt, sed insequuntur percussores, ut ulciscantur. Agite ergo B. AVDITORES, concipite mecum iram justumq; dolorem, & vindictam tandem aliquam sumendam esse statuitote; ego tria illa monstra, quorum vitam indignissimam factumque detestandam orbis universus adhuc hodie execratur ac condemnat, hac oratione perstringam; ut si non armis possim, voce saltem Ciceroni succurram. Sed ita mihi agendum hic esse animadverto, ut tres quidem invadam, sed non omnes simul oppugnem: in singulis insistendum est orationi nostræ. Atque utinam, in primis Marcum Antonium repræsentare vobis possem velut in tabula depictum; videretis malitiam ipsam adumbratam, omne vitium suis coloribus expressum, omne scelus in aliis dispersum, in hoc uno, pene dicam solo nomine fuisse collectum. Quanquam hominem à puero totum consideremus, & hinc tandem ordiamur. Pœne puer adhuc prætextam decoxit; en

datio. M. Antonii proscriptoris.

Popilii percussoris.

Fulviæ lacerantis.

2. Causa mutationis rationis confirmatur.

Item simili.

Excitatio Auditorum

Propositio.

Partitio.

Prima pars confirmationis contra M. Antonium.

Vituperium à pueritia.

præclarum insignis aliquando vitæ fundamentum! E pueris excessit, togamque virilem sumpsit, sed hanc statim muliebrem stolam effecit: en robustioris ætatis initium quam fœdum & infame! Adolescens erat Marcus Antonius, vulgare scortum factus est primo, & meretricium quæstum suo corpore quæsivit, ut etiam ab adolescente flagitium emeretur. Mutata tandem conditio vitæ, sed non scelus; interuenit Curio, & Antonium vulgare scortum, suum effecit, & stabili sibi matrimonio locavit. Erat in ejus potestate totus Antonius, eiiciebat illum è domo pater, sed hortante libidine redibat; dispositi custodes erant ne limen intraret, sed cogente mercede per tegulas nocte socia sese demittebat. Et quantum est illud, adolescentem aliquem & Romanum, mulierem impudicam esse & agere meretricem? Ita nulla florentissimæ familiæ recordatio, ne nomen ipsum avis omnibus & maioribus gloriosum, illius à libidine voluntatem revocabat, nulla propriæ consideratio ætatis, quæ prima solet ad virtutem inflecti & erudiri, ab inhonesto quæstu deterrebat. In eo pudor esse debuisset, hunc vicerat libido, commendare illum modestia debuisset, hanc impudentia superarat; requirebatur virtutis amor & gloriæ, hunc infamia, & infamis fœda luxuriæ spurcities extinxerat. Obsecro quid à tali adolescentia potuit aliud exspectari, quam illud ipsum quod evenit, ut videlicet qui adolescens esset sceleratissimus, vir fieret ex omni labe nequitiaque conflatus, & Principem populi Romani virum, orbis universi Doctorem, sapientiæ ipsius interpretem contrucidaret; nec hoc solum, sed cum illo Romanum imperium extincta libertate sepeliret. Credo omnino: invidebant Ciceronem orbi fata, & Antonium adhuc tum Adolescentē ex omnium colluvione scelerum conflare voluerunt, ut ad tantū ne-

Ab adolescentia. *Dissolutio.* *Compar.* *Similiter desinens.* *Ab indigno.* *Contraposita* *Adolescens malus fere semper vir pessimus.* *Divinatio quadam Oratoris.*

nequaquam impar aliquando crimen exstaret. Veruntamen puerum hunc & adolescentulum ne diutius his in sordibus & ætatis primæ luto tam attentis oculis consideremus, virum ipsum & improbitatis robustioris hominem quantum possumus cogitatione non imbelli perpendamus. O virum nequitia ipsa & omni scelere detestabiliorem! Quanquam quid virum appello? O monstrum? O portentum? ita nullus sceleratior extitit aut amentior unquam. Vixit aliquando Tarquinius Superbus, cuius in omnes libido crudelitasque fuit in humana, sed tamen post eam Populi Romani libertas est secuta. Quid vero post Antonii nefandissimam libidinem crudelitatemque Romana vidit? miseram & indignissimam servitutem. Luserunt in sanguine populi Romani Sylla quondam Mariusque sed ille dictatura se tandem abdicavit; hic autem moriendo libertatem populo Romano reliquit. Quid Antonius? ut immanior cæteris videretur, nullam in pacem potuit unquam adduci; hoc unum vero conatus est semper, ut opprimeret Regio dominatu libertatem. Atque ut in minoribus illis sceleribus cum ipso non ludam, uno verbo scelus omne maximumque complectar. Perniciosissimi belli, quod à Cæsare Pompeioque viribus adversis est gestum, constitit in Antonio causa ille est, qui socerum generumque mutua in vulnera armavit: ille est, qui sanguine Romano Pharsalicos campos redundare fecit, ille est qui Senatui authoritatem, populo libertatem ademit: dicam totum, qui Imperium Romanum extinxit. Ille triumphabat, cum libertatem amissam victa civitas deploraret; exultabat, cum post tot bonorum civium sanguinem effusum ceteri sibi vivendum esse non iudicarent; regnabat, cum servitutem omnes redüisse lugerent. Quod si illum vidissetis, cum im-

Transitio ad virilem ætatem. *Exclamatio.* *Correctio.* *Comparatio cum Tarquinio.* *Cum Sylla & Mario.* *Transitio à minoribus sceleribus ad maiora.* *Repetitio.* *Amplificatio ab affectibus.* *Amplificatio per enumerationem* *Alia faciñore Anto*

nis indignissima. immani quadam audacia in ædes Pompeii Magni irrupisset? cum ebrios & aleatores scelerum satellites suorum in easdem induxisset? cum hastam pro æde Iovis Statoris, ut Pompeii Magni bona voci acerbissimæ Præconis subiicerentur, posuisset? Erat tum quidem direptio nobilissimarum & splendidissimarum ædium, multæ & lautæ suppellectilis devastatio, auri plurimi & argenti dilapidatio; sed erat simul civitatis universæ gemitus, dum omnes dolerent hominem, quo terra nequiorem non produxisset, in hominis omnium optimi bonis ac fortunis exultare. Nescio quis orationem rursum affectus impellat, perturbor enim non parum & cogitationem, plures impediunt hominis huius nequitiæ, quam promere loquendo possim. Vos utimini cogitationibus vestris AVDITORES, & quod deesse dictioni nostræ potest, memori præsentiq; mente supplere. Factus est Antonius aliquando Triumvir, & Octavio Cæsari coniunctus orbis imperium tanquam opulentissimam quandam prædam est partitus. Quid hic dicam? magnum est scelus, populi totius imperium libidini duntaxat unius inservire: sed illud non queror, non inde dolor hic meus & ira. Ille, ille scelerum omnium machinator, sæculi labes portentum immanissimum, Ciceronem (heu qua voce quod superest, dicam) Ciceronem Romanæ urbis Parentem alterum, orbis lumen, eloquii flumen ferali tabula proscripsit? Proscripsit? & quis tu, qui proscripsisti? fatale monstrum urbis & orbis, libidinum omnium & scelerum satelles. Quem vero proscripsisti? Patriæ patrem, tertium urbis conditorem, imperii & nominis Romani decus eximium, Ciceronem, inquam, virum omnium virorum maximum, præstantissimum, sapientissimum. Nec ista hominum omnium sceleratissime considerasti? non illam tuam mentem cogitatio-

Vituperatio à Triumviratu.

Dubitatio.

Resolutio dubitationis.

Laus Ciceronis.

Conduplicatio.

Apostrophe.

Invectiva in Antonium

rationemque crudelissimam viri tanti recordatio potuit permovere? Sed erat, erat in re crudelitatis duntaxat ardor solius; erant impietatis furiæ, quibus agitatus, avunculum fratremque proscribi maluisti, quam resecta Ciceronis cervice carere. Ita omnem humanitatem exueras; ita totum animum tuum belluarum quædam feritas occuparat, ita sine sensu sine animo, totus inquam ferreus eras, ut nec avunculi te reverentia moveret, nec affinitas fraterni sanguinis retineret. O te miserum Ciceronem! jam enim pectus hoc nostrum alto vulnere doloris tui memoria perfodit; indignor, & quod debeo, pati nequeo, virum te tam illustrem ab homine tam perverso (si tamen hominem appellare possum) proscribi, & hoc tantum scelus impune fecerit Antonius? Nullum in cœlo numen, nullus scelerum vindex extitisset? Nolite id opinari AVDITORES, immanissimus hic parricida turpissimo tandem vulneri succubuit, & mediis in deliciis crudelitatis inveteratæ pœnas persolvit. Vt erat sine mente ac totus amens, Cleopatræ mulieris impudicissimæ amore inflammatus, Cæsaris sororem repudiavit. Quid exspectatis? ut libidines, ut luxum, ut totam denique in hoc matrimonio vitam enarrem? non paterentur aures vestræ, & jam hic animus meus reformidat, cum solam cogitationem assumo; hoc tantum dico, qui tot alios viros illustres vel occiderat: vel occidi curarat, à quo occideretur non invenit, & in seipsum convertere debuit manum ac ferrum, nunquid illa digna viro, digna factis, digna vita mors fuit? Sed jam nimis fortasse multa de Antonio; occurram illi vestræ satietati Audit. & quæ superfunt breviter perstringam. Erigite rursum animos mentesq; vestras, & Fulviam fœminã omnium sceleratissimam cognoscitote. Illa est enim, quæ in hoc tanto scelere & indignissima Cice-

Conduplicatio.

Exagitatio ab omnibus vitiis.

Repetitio.

Exclamatio onus doloris habens.

Indignatio Oratoris.

Punitio Antonii.

Sustentatio.

Vituperatio ab obitu.

Qualis vita: talis mors.

Transitio & renovatio attentationis.

Secunda pars confirmationis contra Fulviam. Ciceronis morte, non satis habuit consilium crudelissimum communicare, sed ejus quoque sanguine manus suas voluit commaculare. Verum illam ut dixi, cognoscitote, quod ut facilius faciatis, repræsentate, quæso, vobis cogitatione tacita Tomirim aliquam, quæ manu cruenta regis Cyri caput in utrem sanguine humano repletum immergat. *Comparatio. Fulviæ cum aliis crudelibus fœminis.* Sed sufficere nondum potest tanta crudelitas, ut huius fœminæ crudelitatem cognoscatis. Concipite rursum Tulliam aliquam quæ maritum primo sustulerit, (& hoc maximum scelus) postea vero per jacentis cadaver patris carpentum egerit Barbarum facinus & inauditum! *Cum Tomiri.* Quid est ? an igitur huic similem Fulviam esse dicam ? non possum AVDITORES, crudelior adhuc est Fulvia, quæ cadaver non calcavit tantum, *Sustentatio. Cum Tullia.* sed impia efferatissimaque laceravit. *Dubitatio.* Quam igitur ex omni tandem ævo reperiam, cui parem crudelitate Fulviam esse non dubitem affirmare ? an Herodiadem illam meretricem, quæ D. Ioannis *Cum Herodiade.* mellitissimam auream que linguam acu transuerberavit, vulneravit, excarnificavit ? fateor jam fortassis similem aliquem inveniri, sed quæ tamen adhuc Fulviæ cedat. Vestrum est AVDITORES, liberæ sunt enim cogitationes uniuscuiusque : vestrum est inquam hic supplere cogitando, quod explicare loquendo non possum.

Repræsentatio fœminæ pessimæ. Concipite ergo, & in mente vestra fœminam aliquam efformate, in qua omnis nequitia sit & audacia, omnis inhumanitas & barbaries, omnis crudelitas feritasque belluarum, tum certe Fulviam illam conceperitis, quæ ut talis extitit, ita digna M. Antonii conjux fuit. *Apostrophe & invectiva in Fulviam. Synonyma* Ergone in novi sceleris inventrix, inauditæ magistra crudelitatis, opifex insolitæ sævitiæ, Marci Tullii linguam stylo ferreo & acu discriminali, qua rabie dicam nisi ferina, pupugisti, perforasti, transfixisti ? ergone tu impudico gremio caput complexa

plexa Ciceronis, ut tuum odium sævitiamque saturares, extrahere mortuo linguam potuisti, ut configendo, mortuo insultantes, confodiendo iam occisum trucidares; transadigendo, venerandos Marci Tullii manes lacerares? O crudelissimam immanissimi viri uxorem! ò rabiem feritatemque inauditam! non te mulierem hoc in facto crudelissimo agnoscebas? non illud caput, heu mortui Ciceronis, extinctum; rescissum, laceratum cruentum perhorrescebas? non è lingua illa fulminatrice flammas, fulgura, tonitrua pertimescebas? non illum sinum tuum, tuas manus, tuas vestes innocentissimo sanguine cruentare dubitabas? Quanquam, quid hic rursum orationem exulcerat & simul absorbet? quid mentem dolore novo percellit, ac me totum pæne mei oblitum immutat? Videor hic videre sicarium ac percussorem quendam Popilium puto, qui educta sica sanguinem & mortem anhelans, festino cursu, plenus furore ac scelere Ciceronem persequatur? Irascor, doleo, misereor tui ô Marce Tulli, & vix vocem reperio, quâ tuum illum percussorem sustineã paulisper. Agedum tamen reprime cursum anhelantem ô furcifer, mortalium omnium ingratissime, Ciceronis interfector crudelissime. Et quis tu qui sicam intentas? infimæ conditionis homo & parricida, à Cicerone causa quondam prope desperata liberatus. Quem vero tam nefarie contrucidare contendis Ciceronem, id est liberatorem tuum et à quo vitam accepisti, illum de vita deturbes, O audaciam, ô nequitiam intolerandam? Tunc illud caput liberatoris tui caput canis respersum & plenissimum dignitatis amputare potuisti? tunc salutis authorem contrucidare, & illam illam Eloquentiæ Romanæ vocem truncare ausus, fuisti? Non te cruenta multo sanguine cæsaries. & oris exsanguis pallor, oculique cadentes

Comparatio, Disjunctio, Similiter desinens. Exclamatio. Interrogatio. Dissolutio. Transitio per simulatam turbationem Oratoris. Tertia pars confirmationis contra Popilium. Demonstratio seu Hypotyposis. Commotio. Oratoris. Apostrophe. Invectiva. Exclamatio. Conduplicatio. Repetitio. Disjunctio.

ad

Similiter desinens. ad commiserationem permovebant? non tacitas suspirantis oris voces, quibus hiantibus ille labris sepulturam efflagitabat, audiebas? nihil te miserandus aspectus Romano populo tam diu venerandus; nihil illæ manus, quas pro te supplices iudicibus retenderat? nihil vox eius suprema, qua suum testatus est in patriam amorem, *Disiunctio.* deterruit? Obduraverat pectus ad dolorem, claude- *Comparatio.* bantur ad lachrymas oculi, miserandis precibus aures obsurdauerant. Et iam etiam vestros animos AVDITORES aliquo commotos, & indignatione quadam exacerbatos animadverto, ut omnino longiorem de hac tanta crudelitate sermonem re- *Digressio de fato Oratoris Hiperidis. M. Antonii oratoris Demosthenis. Ciceronis. Exclamatio.* fugiatis. Sed est hoc miserum tamen & deplorandum oratorum fatum. Sensit Hiperides, cuius linguam quoque crudelitas post mortem laceravit. Expertus est Marcus Antonius Orator, cuius caput venerandum in epulis Caii Marii expositũ ludibrio fuit. Non evasit Græciæ lumen Demosthenes, quem ad seipsum enecandum dirum illud fatum adegit. Nimirum eodem illo fato Cicero noster fuit oppressus, cuius caput (ô spectaculum hominibus, feris, saxis ipsis luctuosum!) cuius caput mortuum, pallidum, muliebri crudelitate laceratum, inter ambas manus pro rostris expositum, quid aliud quam gemitum, & populi Romani lachrymas exciuit? Ibi os sapientiæ tabernaculum reticebat; ubi Regum, Consulum, & tot *Repetitio. Disiunctio.* privatorum Civium capita servarat; ibi lingua leporis sedes & Eloquentiæ frigebat, ubi tot tela improbos cives detorserat aliquando; ibi vultus ille cruentis rivulis deturbatur, cuius aspectu curia, forum, universa civitas recreabatur; ibi vox suavissimus Suadæ sonus silebat, ubi aures atque animos populi Romani iucundæ pariter, & vehemẽter exhilarat. Quid dicam amplius?

Abs-

Abſtulit una dies ævi decus iſtaq; luctu
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ.

Itane vero? retexo ſermonem. AVDITORES, continere dolorem, reprimite iuſtiſſimis mœroris affectum; non obiit Cicero totus; nihil effecit Antonius proſcribendo, nihil illa Romana furia Fulvia lacerando, nihil Popilius percutiendo: evolavit in immortalitatem, & in æternitate nominis & famæ triumphat. Non recitet vox eius ſed clamat in libris; manus fruſtra ſunt reciſæ, nam immortali penicillo in poſterorum memoria eius imaginem depinxerunt. Audebo ne etiam illud affirmare, immiſſam idcirco crudeliſſimam hanc mortem à fatis, ut illuſtrior Ciceronis fama foret, qui morte fortiſſima immenſi in patriam amoris argumentum oſtendit? Omnino ita eſt, AVDITORES; ſed tamen itane nullam ſumere vindictam cupietis? ita Rhetores veſtri Principis & parentis mortem ulciſci reformidabitis? Vidiſtis: ſi me ſaltem, ut opinor, mente eſtis aſſecuti, tria illa monſtra, concipite nunc iras novas, aſſumite odium tanquam ferrum, & omnibus eloquentiæ armis peſtes illas ac monſtra proſequimini, imo vero confodite, ſi poteſtis. Profecto, ſi mihi liceat hic ſenſa mentis & animum totum aperire, videte iam mihi videor redivivum à morte Ciceronem, non ſanguine turpatum, ſed pulchrum; non capite truncatum, ſed coronatum, & omnis maieſtatis pleniſſimum in immortalitatis triumphali, curru, cui Græci omnes & Latini Oratores applaudant, quem omnis poſteritas ſequatur. Nihil ne auditis? non illam vocem, qua vos Rhetores compellat, percipitis? Quid obſtupeſcitis, & in vobis hæret affectus, Rhetores mei? non me Antonius occidit, ſed in immortalitatem evolaui: nunquid enim virum ſapientem mori nunquam, non ignoratis! veſtris

Correctio.
Repetitio.
Similiter deſinens.
Coniectura de genere mortis Ciceronis.
Peroratio.
Excitatio ad vindictam aliquam ſumendam.
Hypotypoſis.
Contentio.
Proſopopæia Ciceronis.

in animis iam vivo, vestro loquor in ore, vestris manibus compareo. Ita me amare, ita retinere, ita imitemini & efformare. Credo iam vos audire, ingenui & bene nati Rhetores, proindeque nihil amplius dico, illud rogo tantum & obtestor, amate quem amatis Ciceronem vestrum, & quam vocem auditis, imitari velitis. DIXI.

Clausula.

Actio Iudicialis.

In qua perduellionis reus Dux coram Rege accusatur.

ORATIO I. Accusatoria.

ÆGIDII BERVRIER CRISPINIENSIS.

Exordium à veneratione nominis regii.

CVm omni tempore & ætate maiorum & hac nostra tempestate. Sanctissimum Regis nomen vnerandamque maiestatem apud omnes orbis universi gentes ac nationes ita fuisse in honore admirationeque, ut omnes semper populi regem suum tanquam Deum aliquem in terris mortalem, ad quem sit in homines divinitus concessa potestas, venerarentur, attentiori mente revoluo, prorsus subita mentis cogitatione perturbor, & scopulo velut adhærens, ignoro adhunc lucis exortæ diem explorare, quo conqueri de Læsa Regis maiestate cogor, an vero debeam prædicare; quod structas in Regis vitam machinationes in auctoris sui caput ac perniciem recidisse animadvertam. Sed tamen congratulare tibi & exulta, Rex invicte hodierni di

Dubitatio.

Apostrophe qua congra-

die quem natalem esse tibi & tuæ saluti illuxis- *tulatur regi*
se voluit Deus, Venerare fortunam illam tuam, *observatam*
cuius hodie beneficio ac felicitate servatus, tuo *vitam.*
capite sceptroque potiris. Quanquam egone in
augustissimæ supremæ tuæ maiestatis conspectu
ita loquor, ut te velut è faucibus mortis extra-
ctum fuisse dicam? ita vero tu audis, ut ali-
quem in perniciem coniurasse tuam cognoscas,
cum tot ac tanta sint in omnes beneficia à tua
maiestate profecta, ut ab inuitis amorem valeant
extorquere? tristis ista profecto oratio mea, & *Propositio*
acerbus tanti Regis in hoc tribunali consessus. *criminis.*
Sed est tamen hoc dicendum, quod dixisse juvat,
& audiendum aliquando, quod postmodum au-
divisse prodest. En habes Rex fortunatissime, *Excusatio*
qui beneficiorum tuorum oblitus sanguinem *Oratoris*
tuum sitivit, & exuto amoris omnis affectu pa- *quod accu-*
triæ eversionem scelerata mente concupivit. *set.*
Ita testor maiestatem tuam; testor ordines om-
nes, atque ætates universi regni non est non mo-
do muneris, sed ne voluntatis huius meæ, reos in
judicium citare duces & accusare est vero Regis *Conciliatio*
authoritatem tueri & iudicii severitate tollen- *Regis.*
dos producere perduelles. Quapropter, Rex Au-
guste iusto huic officio meo, & coactæ propemo-
dum voluntati tuas istas aures ac mentem con- *Transitio.*
cede, ut dum scelus illud expono, quod non in a-
liquem è plebe sed in ipsam maiestatem tuam est
excogitatum, & pro quo hodie conscendisti tri-
bunal, inimicis tuis irasci, tibi vero possis con-
gratulari. Atque ut facilius tanti sceleris indi- *Narratio.*
gnitas constet, exponam primo breviter quibus
gradibus Dux hic reus ad tantam illam dignitatem *Parentes.*
suam velut protensam regis manu sit perductus.
Parente natus ignobili & obscuro cum esset, ac
iam in eo corroborata vis adolescentiæ paternæ
domus latebras dedignaretur, erupit in lucem *Industria,*
& ad castra exercitumque pervenit; ibi cum à
natu-

natura singulari quadam industria callidoque ac prudenti consilio donatus esset; ita virtutem suam ac ætatem exercuit, ut merito & in omnium esset amore, & in sui omnes pertraheret admirationem. Verum cum attollere sese militum sola virtus non possit, nisi Principum ac Regum benignitate accedat; hunc inprimis, Rex invicte præmiis sæpe numero amplissimis decorasti, ut virtutem pristinam aleres & novam excitares in illo; postmodum vero cum egregia virtus ejus in arena gloriæ commendationem omnem ac laudem occupasset, ita illum omni honore dignum judicasti. Vt non amplius è milite Centurionem, sed è Centurione Baronem, imo Comitem è Barone, è Comite Ducem esse volueris, & salutaris. In quo profecto quid omnino aut prius admirer, extollamque prorsus ignoro. Egregia virtus ejus, & admirabilis industria famam lacessebat & jam Regum sibi conciliabat amorem: prædicanda vero tua, Rex Augustæ, benignitas munificentia sua virtutis labores adæquabat. Eras in ipsum pronus, erat in omne tuum obsequium promptus, favebas, ipse amabat; præmiis plurimis & maximis excitabas, ipse labore plurimo maximoque mereri conobatur, profundebas in ipsum omnia, plura ipse non ausus optare fuisset. Sed est hæc naturæ humanæ conditio depravata, ut ambitione mens elata, nunquamque contenta; semper altius assurgat, itaque cæco furore nonnunquam impellatur, ut audeat tentare per nefas, quod sperare ne quidem persas, audere deberet. Vnde cum tot istis ac tantis honoribus hic à tua maiestate fuisset ornatus, ambitionis insanæ flatu per motus, & furiali vexatus æstu contentus esse non potuit, nisi regiam maiestatem everteret, & in patriæ (cuius ingenita nobis est charitas à natura) impatriæ amantissimæ ruinis dominaretur: proindeque! Initio nefandissimo consilio

Beneficia Regis.

Gradus honorum.

Gradatio.

Contentio magnificentiæ regiæ & obsequii ducis

Ambitio ducis rei.

ó quid

& quid non cæci furoris audacia tentat! Communicata sceleratissima voluntate sua cum principibus Regibusque vicinis, de tuo sanguine profundendo coniuravit. Quid hic dicam, aut quid omnino reticebo? Naturamne? at illa quæ parentes ac benefactores vult à nobis honorari, nunc à te violata tuum scelus hoc in iudicio me tacente proclamat. Humanitatemne? at illam exuisti, ut quandam indueres naturæ perversitatem. Prudentiamne tuam? at omni sensu, omni ratione caruisti, & illud effecisti, ut te non modo non hominem prudentem, sed ne hominem agnosceremus. O si in teipsum oculos tuos reflexisses! cogitasses, Ducis personam dignitatemque gero, & me prorsus abhorrere decet à tanti sceleris cogitatione. O si Regiæ maiestatis recordari potuisses! Dixisses ita tecum: Tot honoribus sum ornatus à Rege, ut pluribus non potuissem à parente: & parentis tanti sanguinem sitirem? Veruntamen dum hæc saluberrima cogitatio pectus tuum furoribus expletum nulla potuit perfodere affectu, animadverto probationem tui sceleris iam pridem expectatam à me requiri. Neque ego longius recedam, si modo, Rex invicte, prius illud certissimo iudicio statuas apud te perduelles omnes & læsæ maiestatis reos nefas esse lucem hanc communem intueri. Nam si pacis ac tranquillitatis iucundissimum sensum nostris animis ingeneravit natura, itaque omnes animo feruntur, ut constitutum Reip. statum cæteris omnibus rebus anteponant: iine tandem inter homines communem auram respirarent, qui publicam perturbare tranquillitatem, Reip. statum optimum labefactare, in cæde sanguineque bonorum manus suas lavare moliuntur? Merito profecto omnis ætas hos homines ac monstra naturæ quædam non tantum est abominata, sed omnibus crudelissimis quibus potuit suppliciis

Coniuratio ducis in regem.

Excursio breviante confirmationem.

Dubitatio.

Subiectio.

Obliqua prosopopæia.

Transitio.

Confirmatio.

1. Argumentum à punitione perduellium.

Propositio. est persecuta. Quid enim fecere Romani, cum aut Gracchorum audacia Senatus auctoritatem evertere machinaretur; aut Catilinæ furibundus error Civitatis incendium restinguere civium sanguine cogitaret, horum in sanguine profuso civitas suam tranquillitatem invenit. Leviter erat à Seiano Tiberius offensus, quid deinde propter offensionem ita discerptus fuit in senatu: ut quod in eo Carnifex amplius laceraret, non inveniret. Venerat apud Iustinianum Belizarius in suspicionem non rectam: quid deinde fortunis omnibus exutus, oculis privatus, ad stipem tandem fuit adactus. Ita semper puniti perduelles omni ætati exempla fuerunt non sedendæ maiestatis: & si amplius est dicendum, lex est à Deo gentibus omnibus & populis dicta, ut qui in reges, quos honorari vult ipse consurgeret, eos intueri lucem hanc communem sit nefas. Iam vero, ut aliquid etiam de reo nostro dicamus; quod tamen esse non potest obscurum, quis non ejus securi caput adiudicabit quem intelliget sceleratissima voluntate, in regem conjurasse? Ita est Rex Invicte, tuam mortem sibi gradum existimavit ad regnum esse, & cum ambitioni te suæ restitutum solum arbitretur, tollere te potissimum machinabatur. Et quantum non potest in nefariorum hominum animis furor? parum erat odisse Regem, nihil erat irasci regi: erumpere debuit audacia & in luce palam scelus suum non occultare. Quid ergo dixit? tacerem si non omnino dicendum esset, sed qui seipsum manifestavit, non est furor occultandus mutabitur regni status; novum caput corpus induet antiquum, & si fallax non est cœlum, nondum mihi quod servat cœlum sum assecutus, in dextera, in dextera spes omnis est nostra. Quid est? expallescis? turbant istæ te voces tuæ; retices? tibi vocem furor eripuit apertus: tremis? conscientia tui

Probatio ab exemplis.

A iure Gentium.

Assumptio.

Prima probatio assumptionis à dictis reip.

Prosopopæia obliqua.

Exagitatio adversarii.

tui sceleris retorquet, & oppressa veritate mens tua iudicium debitæ pœnæ reformidat. Ita scil. tua consilia, tua dicta omnia, tuæ singulæ cogitationes iam patent. An vere ita destitutum te omni ope credemus, ut tanti sceleris cogitationem non potuisses adimplere? Crederemus equidem, si non potius familiaritate Regis usus fuisses, quam eiusdem deterritus maiestate, & illam tibi tui sceleris perficiendi futuram opportunitatem credidisti, ut dum accederes familiaritatem, rupto fœdere humanitatis nostræ tanquam hostem obtruncares? Quid occasionem opportunam in hac familiaritate, quid temporis accommodatum in hac pace dicam? egebas fortassis ope? hanc Principes Regesq; vicini pro mittebant. Requirebas facinoris tui nefandissimi satellites? aderant illi in comitatu tuo frequentes, quos unusquisque mirabatur externos. Modum sceleris fortassis ignorabas? at in regnum hoc nostrum Regum exteriorum copias induxisses, regem ipse fuisses aggressus, trepidisque ac turbatis omnibus regnum omnes simul invasissetis. Itane vero? & in hoc scelere non mentam omnem amisisses? non omnipotentis furorem Dei pertimuisses? quis sensus tandem animi tui fuisset, cum omnes in eversæ patriæ ruinis latitassent, rex obtruncatus sanguinem evomuisset, tu cum tui furoris sociis, aut amantissimæ patriæ cineres, aut civium toties per te servatorum tuique Regis, vere dicam tui parentis sanguinem conculcasses? an non hic omnino conscientia victus; & aspectu tanti sceleris exanimatus concidisses? Sed non erat humanus ille furor tuus, cuius in mente tua Furiæ flammas excitarant. Verum, quid in aperta veritate coniecturis utor? quid in clarissima Solis luce faces accendo? En adiunt coniurationis indices Litteræ, quas ad vicinos Principes Reges-

2. Probatio ab opportunitate.

Subiectio.

Exagitatio & amplificatio ab eventu.

Probatio tertia à litteris. geſque conſcripſit Paulisper adhuc iuſtam tuæ maieſtatis iram retine, Rex Invicte, ſed agnoſce tamen quanta in periculo tua ſalus ſit verſata. LITTERÆ? quid eſt? nunquid hanc tuam ſcripturam agnoſcis? nunquid hæc manus tua? nunquid hoc ſignum tuum? bene habet; vicit audaciam conſcientia, & impudentiæ frænum iniecit taciturnitas, loquuntur oculi, color vultus, ſed tamen meditatur oppreſſus animus excuſationem *Obiectio. Reſponſio.* Cogitavi tantum, inquis, non ſcelus perfeci, nunquid etiam iura omnia perverſam puniunt voluntatem? Magna regis eſt clementia; an dignus ille clementia foret, qui tollere clementiæ voluit auctorem? Vanæ ergo cogitationes ſunt excuſationis tuæ, & in ſpem talem erigis animum, cuius apprehenſione perdere deberes animum. *Peroratio. qua excitat Regem ad ſupplicium ſumendum.* Tuum eſt, tuum eſt Rex invicte, tui periculi recordatione tuæ ſalutis amorem in te excitare, & ſi præſentem habeas, quem propria confeſſio perduellionis reũ arguit ac manifeſtat, vide nunc an te vivere malis, an vero tuos inimicos, an patriæ oblivisci, an vero nimium hoſtium recordari. Si detruſeris ad ſupplicium qui tuæ vitæ potuit inſidiari, ſpem inimicis tuis eripies, & in pacis tranquillitate rempub. collocabis Generoſum eſt id velle, regium prorſus procurare; neque aliud niſi de te bene ſperare Patria poteſt. Sed tu me Rex Invicte tamen excuſa. Si non debeo duces accuſare, patriæ debeo ſalutem, tuamque ſemper tueri auctoritatem. DIXI.

**
*

ORA-

ORATIO II.

Defensoria.

FRANCISCI van der MEREN LOVANIENSIS.

EA est invidorum omnium, quos rerum optimarum præstantissimorumque virorum hostes. Erynnis aliqua produxit, depravata vitæ conditio ac propemodum natura ut cum aliquem magno atque erecto animo per arduam virtutis excelsæ viam ad dignitatis culmen tendere, aut iam certo pervenisse animadvertunt, non prius cessandum arbitrentur sibi quam illum ex eo fastigio in quo sua virtute & applaudente fama triumphat, si omnino possint præcipitem agant ac deturbent. Vnde fit ut non pauci timidi quidem, ac pusilli animi ita perterreantur, & istos obtrectatorum aculeos reformident, ut egregium nihil attentare, nec ad honoris atque dignitatis arcem audeant eniti, ne ut inquit graviter Poeta: *Exordium à conditione & natura invidorum.*

Tollantur in altum, ut lapsu graviore ruant.

Cuius quidem rei si omnis ætas, ut ignorare nemo potest, certissimam ab experimento fidem hausit, tum hodiernus profecto dies in hoc tribunali atque insolito iudicii apparatu, ubi maiestatem rigore quodam armatam videre se putant inimici capitis nostri manifestum exemplum manifestiori luce proponit. Adsunt enim hoc in loco Rex invicte, & illam sacratissimi vultus tui lucem hauriunt una mecum qui cum excelsæ dignitatis meæ splendorem caligantibus invidia oculis ferre non possint, non modo calumniarum nebulis obscurare, sed meipsum etiam, *Accedit ad propositum.*

tuæ illius benignitatis admirandæ præclarissimum monumentum, labefactare deturbareque conantur. Atque utinam meipsum tantum, ac non etiam dum hoc latus meum districto calumniarum ense perfodit invidia, tuam quoque Rex invicte famam, & honorem immortalem sauciaret. Etenim si augusta tantum maiestas tua cogitationem animi tui ad hæc omnia deflectat, quid obsecro postulant aliud, qui ad hoc augustissimum auctoritatis, tuæ tribunal ita me sistunt, ut sanguinem repetant meum, quam omnis originem infamiæ crudelitatem introducere, & eo tam adducere, maiestatem, ut cuius vitam tot honoribus ornavit, eius sanguine non abhorreat commaculare. Et tu eris ille, scil. qui tueri tantopere soles Regis honorem? quem obsecro futurum tandem Regiæ maiestatis honorem arbitraris, si madeat multo sanguine tribunal universum, & cruentas Rex manus à cæde tollat? quod erit decus illud tantæ auctoritati exoptandum, si corpus hoc meum purpuratus ipse sanguine meo Rex conculcet, & à tanta crudelitate civitas abhorrens oculos avertat? Non est, non est, Rex invicte, locus hic aliquis crudelitati, non est quod exulceratum foveas animum, iracundiæ faces accendas, & ad sanguinis te profusionem accingas; vivis ac incolumis iudicium hodiernum exerces; in quo maiestas aliquando tuæ benignitatis & clementiæ rivos ita voluit unicuique patere; ut vere fons esses omnium salutis, rogo obtestorque ut ne hos mihi clausos hac luce permittas. Etenim circumspice & intellige Rex invicte, quanta mihi benignitatis tuæ lux oboriatur, quantam exosculer & amplectar misericordiam tuam: ecce coram illa tuæ maiestatis auctoritate & audientibus in hoc tribunali ordinibus

Affectus ad regem commovendum.

Conciliatio regis.

bus universis lubens profiteor, & quanta voce possum ut exaudiar contendo: Eram obscurus sine nomine & honore, at ubi tuæ lux effulsit liberalitatis; ita illa splendore suo generis mei obscuritatem illustravit, ut in arce quadam positus dignitatis, cæteris omnibus accepta à te luce prælucerem. Tu me Centurionem è milite, Baronem è Centurione, Comitem è Barone, Ducem ex Comite creasti: & amplius etiam dicam, latentem in obscuritate majorum, & sub adversæ fortunæ pede prostratum in lucem nobilitatis, & in fortunæ ridentis exemplum erexisti, atque vel ita erexisti, ut in oculis universi regni gentiumque cæterarum clarissimum, vivumque tuæ gloriæ monumentum existam? Attollant Principes alii mutos lapides, quos in trophæum erexerunt, en habes vivum hominem, tuæ virtutis trophæum. Iactitent cæteri Reges aut Pyramides suas, aut statuas in luce fori curiarumque collocatas, En habes respirantem in me Pyramidem & in orbis universi luce testem tuæ liberalitatis. Prædicent superbo fastu Cæsares, & Imperatores avi reos illos currus quibus vecti triumphantesque Capitolia conscenderunt, ego Capitolium sum illud in quo tua triumphat virtus, ego currus ille aureus, sed vivus, quo vecta tua benignitas orbis universi terminos, impellente voce mea pererrat. Tu es præsidium illud & dulce decus meum, in cujus umbra patrocinii felicem respiro vitam. Tu es sol ille meus, à cujus immensæ majestatis luce lucem hanc haurio excellentissimæ dignitatis. Ita prorsus in honore tuo gloriaque tanta Regis mei superbus incedo; ut non mihi famam inde, sed tuam quæram existimationem. An vero ita vivo aut unquam vixi, ut immemorem tanti beneficii & ingratum animum hoc

Accepta à rege beneficia fatetur.
Allegoria.

Comparatio cum monumentis aliorum.

Gratum se semper fuisse declarat. corpusculum foveat? An ego ita lucem hanc communem respexi ut magnificentia liberalitatis tuæ elatus nihil unquam rependere cogitarem? tibi animum meum fortuna maiorem, tibi corpusculum hoc morte ipsa pro te venale, tibi meipsum ac totum debui semper Rex invicte, nec unquam debere recusavi. Recordare paulisper obsecro, si hanc tamen præteriti temporis cogitationem assumere tua maiestas non recuset: Recordare quoties per invias alpium nives rigente bruma Legatus tuus Italiæ campos intravi, quoties Pannoniæ Thraciæque fines ita pro te sum ingressus ut tempore difficillimo potius è cœlo delapsus, quam è tuo regno venisse viderer? quoties maris oras ac sinus omnes vel invidentibus tempestatibus ipsis & indignante fortuna tuum imperium tantum sequens perlustravi? *Commemorat susceptos à se pro Rege & regno labores.* Vtinam universus hic adesset Hispaniæ populus, qui totus pro te mihi assurrexit! *Optatio.* utinam Germanos laboris mei tot in expeditionibus suscepti hoc in tribunali testes audires. Vtinam tot Barbaræ gentes aliæ vocem hic aliquam emittere possent, qua me quidem hostem, sed anima tum virtute mea, *Repetitio.* admirandum labore magno, vita dignum pro vitæ contemptu proclamarent. Non superbio Rex invicte, sed fortunatissimam in me tuam maiestatem extollo: fuerit ille labor meus, tua certe gloria fuit; fuerit virtutis admiratio meæ, tuæ fuit exaltatio maiestatis. Et te Regem meum monarchamque meum odissem? à te unquam alienum animum nutrivissem? tibi hostis ego & inimicus vixissem? nondum dixerunt? Dicam tamen & robusta voce si possint proclament quos sitis tanta tenet sanguinis mei, ut quiescere mihi positis supra corpus hoc meum pedibus non possint. *Responsio ad allegata à se dicta.* Adhuc hærent & obmutescunt; tantum nescio quid murmurante à me excogitatum, non factum. Dictum aliquid forsan etiam impruden-

ter à me fuit. Sed fuit dictum tantum non ad exitum productum. Ignorant opinor homines illi,naturæ nostræ fragilitatem, quæ ut aura nonnunquam immutatur, ita subinde vacillans aberrat, aut certe si non ignorant, suam hic prædicare voluerunt integritatem, qui nullis unquam errorem flatibus impellantur. Quis est vero ita sanctitate & integritate vitæ commendatus, in cuius animum parum recta cogitatio non aliquando cadat? quis ita prudens auram hanc communem respirat, cuius ab ore non imprudens dictum aliquando procedat? O miseram virtutis calamitatem! ô acerbam Ducum ac Principum conditionem! ô luctuosam & omni morte tristiorem fortunam? nullum est in re crimen, nulla iniuria læsi unquam maiestatem, vivit Rex & Tribunal æquitate sua complet. Quid est ergo? quia cogitationem admisi, crimen admisisse dicor: quia vocem aliquam emisi, iniuriam intulisse reprehendor. Itane cogitationis unius Dux reus ero? Itane quia protuli, aut scripsi verbum unum, ad supplicium deposcar? ô frustra tot olim tot in bellis suscepti labores! ô inanis industria mea ardorque vanus! toties pugnas adii & restauravi, toties ab interitu patriæ cives liberavi, toties ab incendiis & hostium depopulationibus patriam ipsam vindicavi. Non ignoratis hæc generosi milites; conspexistis ista Centuriones. Tu Rex Auguste testis ipse esse potes, qui à pulvere me redeuntem totum excepisti, non minus in sanguine quam sudore natantem; cum me nunc hostium terrorem appellares, nunc patriæ liberatorem esse diceres, sæpe etiam spem armorum tuorum, ac tui regni decus amplectere-tis. Sed ô Deus immortalis! ubi tot laborum prædicatio? non auditur. Vbi saltem tot beneficiorum recordatio? non admittitur. Vbi tot depulsorum periculorum remuneratio? ô inau-

Brevis excursio.

Exclamatio.
Negat crimē obiectum.

Excusat cogitationem.

Removet crimen à factis suis.

Atestimonio militum.

Atestimonio regis.

Invocatio Dei.
Subiectio.

ditam ingratitudinem? mei sanguinis capitisque in hoc tribunali postulatio, tot laborum ac periculorum remuneratio, & omnium hostis accusatur, qui omnium protector est salutis! Euge Rex invicte, en habes pectus meum tot pro te cicatricibus oppletum, inspice corpus huius nostri partes omnes. Illane sunt perduellis facinora? hæcne tibi crudelitatem vulnera spirant? hæcne profusi toties sanguinis indicia proditionem manifestant? O Regum omnium monarcha Deus! Itane hodierna die in hoc regno cives aperire mihi denuo vulnera volunt, quæ pro eorum salute suscepi? meum sanguinem haurire, quam pro eorum conservatione fudi? Sed sit ita, patiamur acerbissimam inimicorum nostrorum vocem, nihil valeant labores tot exantlati, sit inutilis sanguis meus, sint ridenda lacerati corporis vulnera; tamenne Dux ego velut Archipirata sicariorumque præfectus pertrahar in tribunal? nulla erit reverentia dignitatis? nulla Ducum privilegia? alii veniam in tribunalibus inveniunt; solam ego invenio inimicitiam; alii misericordiam implorantes impetrant: ego misericordiam extinctam deploro. Itane quidem Rex invicte patientibus auribus auscultas? sed fac iam à tua me maiestate condemnatum, ad supplicii locum perductum denudatum, & palo alligatum, iam iamque distringendam in hoc collum securim esse; hinc milites, illinc cives, medius omnium Rex consistas? quis erit omnium in hoc spectaculo sensus! quæ civium lachrymæ eum sui liberatoris sanguinem profundi videbunt? quis militum tumultus, cum truncatum sui Ducis cadaver intuebuntur? Tu vero quomodo siccis cõsistes oculis, cum tuum, heu non iam tuum! cum tuum tamen me subditum in pulvere sanguineque natantem aspicies? O fortunate Marcelle? ò ter beati nobiles Romani cum in Cæsarem

Offert regi pectus cicatricibus oppletum.

Permissio.

Compar. per contentionem.

Demonstratio.

Collatio ex dissimili.

sum-

ſumpſiſſetis arma, victor vobis Cæſar ignovit! quid ego? arma ſumpſi toties pro rege, nunc apud Regem miſericordia deſtitutus pœnam expecto. Pœnam? nil moror: feram invidiam, & fortunæ per feram inſultum. Agedum Rex invicte, ſi fideliſſimum me ſubditum tuum punire mens eſt certa, fortunis me meis exue, non ſum Baro non Comes, non Dux, amplius; & ſi è milite me Ducem extuliſti, nunc è Duce militem relinque, dole famam noſtram omnem nunc latere juvabit. Hoc unum concede votis, ut cum abſtuleris omnia, mihi, gladium hunc unum relinquas, ſic etiam exul & à tuis Regnis procul ablegatus hoc gladio in Turcas & Barbaros utar, illic ſanguinem pro Eccleſia fundere, illic mori tandem liceat, & quem patria nequit aſpicere liberatorem, ſepelire barbari dignentur hoſtem. Sed ô miſeram hanc vitæ meæ rationem! ô milites adeſte Imperatori veſtro, cujus toties ſecuti fortunam eſtis! O Duces, ô Principes omnes opem illi ferte à quo toties voluiſtis accipere ſalutem. Ita teſtor magnum illum Deum, cuius nutu terrarum ſola gubernantur, non me vitæ turpitudo, non ſcelerum magnitudo, non ætatis infamia: ſed inimicorum invidia pertraxit in tribunal, in quo Rex invicte, ſi mei capitis judex ſedes & ad tuos me pedes abiectum proſtratumque cernis, oro obteſtorque ſupplicem agnoſce, noli meo ſanguine manus tuas commaculare, noli perdere quem amaſti. Si probroſum eſt inter cruentas carnificis manus vitam amittere, fac in prælio pro tuo maieſtate patriaque occumbam.

DIXI.

Ex abundanti omnia reſignat Regi.

Peroratio.

Solum gladium ſibi relinqui petit.

Implorat auxilium militum & Ducum.

Implorat Regis miſericordiam.

ARNOLDI van der HAER INSULENSIS.

ORATIO
In cruentum Christi Domini obitum.

Exordium ex abrupto per exclamationem.

O Luctuosum funestumque diem ! ô diem nocte qualibet obscuriorem, morte qualibet tristiorem ! ô diem vere horrendum & tragicum, diem dierum omnium mœstissimum ! Non hodie fulminanti percutientis Angeli gladio exterminatus est è voluptatis innocentis horto primus Adam ; non hodie ruptis cœlis cataractis, & effusis in ultionem maris aquis sepultus est orbis; hæc audivimus, flevimus, & longo sensu obduruimus. Non hodie Regum omnium & Cæsarum cadavera redolentibus sepulchris includimus ; hæ mortis hæreditariæ ultimæque sunt partes : non hodie, gloriosissimorum Apostolorum, martyrumque purpuratorum crudeles obitus ad lacrymas commiserationemq; revocamus, eorum quippe gloria constantiaque victrix à morte resurgens, & ductus in capitolio cœlesti triumphus sensum hunc omnem ademit. Hodie Rex Regum, suprema rerum omnium potestas æterni Dei filius, æternus Christus Iesus affixus est cruci, homo mortuus est, sepultus est. O diem lugubrem, diem lamentabilem, & deplorandum ! Gemitibus agendum est, lachrymisque loquendum, inter suspiria respirandum. Et profecto si quotannis Israelitides puellæ ad Iepthes filiæ bustum tristi agmine conveniebant, ut lamentis suis ac gemitibus funestam ac lugubrem

Repetitio. Comparatio cum fatalib. aliis dieb.

Exclamatio, & effectus doloris. Ab exemplo & comparatione minoris.

brem eius mortem, quæ innocens manu patris Deo fuerat immolata, deplorarent; cur ni nos quoque junctis animis congregati illam humanitatis sacratissimæ Christi Domini sortem quotannis defleremus, qui innocens, ac nullo suo delicto, pro hominibus Deus, pro subditis Imperator, pro servis Dominus, pro fontibus insons in Caluariæ mente est immolatus? Emittite igitur plorantes animos. Humanissimi AVDITORES, & dum cruentæ huius tragœdiæ theatrum aperio, in quo nihil aliud quam crucem, clavos, flagella, sentes, lanceas, sanguinem videbitis & audietis, flebilibus imbuti cogitationibus adstare. Equidem Marcus Antonius cum olim crudeli conjuratorum manu I. Cæsar in senatu trucidatus fuisset cruentam eius tunicam & stillante etiamnum cruore tinctam populo Romano commonstrans eiusdem animos ira permovit, ut saxis facibus, armis arreptis necem illam tuam horrendam ulcisceretur. Verum ego non sanguinolentam dictatoris superbi togam, sed venerandam sacratamque Christi Iesu humanitatem vulneribus plenam, sanguine copioso purpuream, plagis undique stillantibus deformatam ostendam. Atque utinam concitare vestros animos crudelis hic posset aspectus, intimos etiam sensus ac voluntatem penetrare, ut condolere saltem, si non sumere vindictam, desideraretis! Quanquam cuius opem & auxilium hoc in dramate, in quo vires omnes eloquentiæ ac naturæ sunt minores, implorabo? Quid agam, aut ad quem me tandem convertam? an ad te æterne pater? sed ardes ira, totus exæstuas fulgure, vindictaque accinctus ultionem ira spiras, ut unigenito tuo ac dilecto filio non parcas. An ad vos cælestes Spiritus Angeli? sed non minus quam homines afflicti desolatique ingemiscitis. An ad te Virgo Mater? sed videre te videor lamentis ac suspiriis exhaustam,

Contentio.

Præparatio Auditoris.

Articulus.

Excitatio ad dolorem ab exemplo.

Optatio.

Dubitatio cum subiectione.

ſtam, collapſam, & ad filii morientis aſpectum aſpirantem. Tu igitur Crux adoranda, crux benedicta & glorioſa, tu mihi in hoc rubri maris oceano portus exiſte, & dum extincto ſole, velato cœlo, commotis mortuorum monumentis tenebras patitur univerſum, flammam aliquam & lucem ſplendens pharos emitte. Quod ſi unquam hominum improbitas, & armata ſceleribus nefandiſſimis libido rabiem aliquam, & execrandam in mundo crudelitatem exercuit, ac ſub fictæ gratitudinis prætextu perfidiæ monſtrum peperit, ingrata hodie accuſanda eſt Iudæa, illa Orientis univerſi gloria, Palæſtinæ decus, Princeps Provinciarum, quæ poſteaquam Dei filium tot ſæculis Meſſiam exſpectatum, triginta tribus annis intra ſuos agros atque urbes hoſpitio excepiſſet, ſcelerato animo in ejus mortem conſpiravit, & ſub obedientiæ ſimulatique obſequii larva in periculum illud & diſcrimen attraxit, unde mortalium omnium ſalus eſt enecata. Verum quoniam ita funeſtam hanc tragœdiam ingredior, ut occupare atque invadere luctum omnem nondum præſumam, ſic agam, AVDITORES humaniſſimi, ut conſpirationem Iudæorum, captumque & abductum primo Chriſtum oſtendam; aperiam deinde barbaram illam lacerantium, ſævitiumque tyrannorum crudelitatem in urbe, ac tum demum mœſta quadam cataſtrophe mortem ipſam repræſentem, ac deplorem. Quid eſt vero? locum ipſum ac theatrum intueri prius fortaſſe deſideratis? eſt, eſt illa ſpecioſa quondam Hieroſolyma, veterum domicilium juſtorum, figura cœli, umbra paradiſi, ſchola Prophetarum, ſedes æterni Dei, prima Eccleſiæ militantis ara, celeberrimorum cunæ quædam myſteriorum hodie tumulus Salvatoris. In hac rabies humana furialibus armata diris arenam miſcuit, ut Chriſti ſanguine imbueretur; in hac inferorum

Invocatio auxilii S. Crucis.
Allegoria.
Laus Iudaæ.
Metaphora.
Propoſitio totius orationis tripartita.
Praoccupatio.
Conduplicatio.
Deſcriptio & laus Hieroſolymitanæ urbis.

rum

rum mundique vires conspiraverunt, & iniquissimum fœdus innocenti sanguine sanciverunt; in hac sæculorum omnium scelus uno die comparuit, ut ex omnibus omnium hominum delectis fabricata cruce, vitæ dator ad mortem suppliciumque protruderetur, O Hierosolyma, vel potius crudelissima Babylon! tune ergo civitatum omnino caput fuisti, ut sacratissimum Messiæ tui caput tam funestra ruina involueres? ideone tuo in sinu, tot annis innocentissimus mansuetissimusque conquievit, ut tuis unguibus ac dentibus, tuis gladiis ac hastis factus præda tandem laceraretur? Et hunc animum tam inhumanum, tam efferatum, tam crudelem tuorum è schola Prophetarum retulisti? & hanc mentem tam immitem, tam dolosam, tam barbaram tuo in templo ad aras præsentasti; Ille, ut ardentissimum tibi suum amorem testaretur, pro te flevit & ingemuit, tu ut odium ipsi tuum acerbissimum declarares, adversus illum fraudulenter risisti, crudeliter frenduisti: illæ suæ misericordiæ & benignitatis alas expandit, ut te filiam suam amantissimam patrocinio suo complecteretur; tu sævitiæ tuæ ac furoris portas aperuisti, ut illum Deum tuum ac parentem contrucidares. Ille toties tot ingentibus te beneficiis cumulavit; tu omnia eiusdem sanguine uno die delevisti. Loquere, emitte vocem ingrata Sion. tibine ergo gemitus & lamenta Ieremiæ perierunt, qui tuæ superbiæ ruinam lachrymantibus oculis & attonita mente prævidit? Loquere iterum, Regem tuum fraudulenta tanto applausu triumphoque exspectabas, ut non aliter quam mancipium ad crucem condemnares? porrigebas illi præsentabasq; pacis olivam, mortem interim machinabaris; sternebas illi ramos venienti, crucem interim morituro fabricabas; benedictum in triumpho appellabas, maledictum in mor-

Repetitio.

Apostrophe qua in Hierosolymam urbem invehitur.

Expolitio.

Contentio gravissima.

Metaphora.

Contrapositio.

morte compellabas. O perfidiam! ô infamiam! Et quid erat, obsecro, quod in Christo tantopere hæc civitas perhorresceret, ut dolosa mente triumphum in supplicium commutaret? non venerat ille curru eburneo triumphans ut Cæsar, quem elephanti quadraginta trahebant; non intraverat leonibus invectus ut Antonius, non à Cervis ductus fuerat, ut Aurelianus; non terruerat mille rhedis stipatus & argenteis multarum soleis, ut Nero; non traxerant carpentum eius quatuor sceptris ac diademate superbi Reges, ut Sesostris quondam Regis Ægyptiorum, non in millibus multis equitum curruumq; splendorem aliquem fastuosus ostentarat. Quid ergo? quid? asina fuerat invectus, ut in hoc vili abiectoque animali Regis Regum eluceret triumphus. Quanquam quænam illa est triumphandi ratio Christe Iesu? ubi erant igitur Archangeli tui? quid agebant Cherubim? quo abiverat universa millia cœlestis? ubi erant ô Daniel militia militum ministrantium ei, & decies centena millia assistentium ei? ubi erant, ô David, super quas ambulat Deus, pennæ ventorum? Nimirum pauper & humilis in ortu; mansuetus & egenus in hoc introitu per flores ad spinas, per ramos ad crucem, per triumphum ad supplicium perrexit. Captus est igitur Christus; ubi vero? in horto; proditus est Christus: at à quo? à discipulo & Apostolo, abductus est Christus, à quo rursum? à populo dilecto, captus est in oratione, proditus est osculo, abductus est in catenis. O immanem duramque terram! ô imitatum nimis hoc tempore cœlum! quid agam hic, aut quid tandem protestabor? unde opem homo pro Deo & adversus homines requiram? Si in cælum oculos attollam, ultionis è cœlo signum apparet; si per terram illos agam & intuear universa, in terris coniuratio est, & ubique fraus ac dolus, Quis est

Comparatio a dissimili.

Modus triumphi Christi

Apostrophe.

Confirmatio

Prima pars de captivitate Christi.

Subiectio.

Exclamatio.

Dubitatio.

est, qui periculum reformidet in horto orante Deo, dormientibus profunde securèque discipulis? Et tamen capitur in horto Deus. Quis est, qui non auxilium hoc in discrimine à discipulis exspectet? & tamen prodit unus illum, alter negat, cæteri fugientes derelinquunt. Quis est, qui non populi nuper applaudentis sibi polliceatur auxilium? & tamen ille vincula non amoris sed furoris iniicit, captivum adducit, & illudit, ad flagella, ad crucem, ad mortem deposcit. O fallacem rerum humanarum amœnitatem! ô fidem male fidam! ô fraudulentum hominum amorem! in amœnitate periculum est, in fide perfidia, in amore captivitas. Noctis tenebras flammis scelerum depellunt, sceleris flammas detegit signum amoris, amore fictum vincula injecta declarant. Infœlix parricida; insensate Iuda, ergo tu omnium proditorum caput es & princeps? perfide, fatue, detestande Iuda, ergo tu ex Apostolo proditor, ex principe Ecclesiæ electo hostis, ex doctore sacrilegus factus es & latro? quo te faces furiarum ardentes impellebant? quo furioso præcipitis insaniæ impetu procedebas? non agnoscebas quam horrendum detestandumque facinus tentares? non amplius convivii illius recordabaris, in quo paulo ante sacratissimum corpus eius ore impurissimo degustatas? ô pestilentissime prædo! ô impiissime sicarie! ô infernalis furia! Ille te blanda voce amicum compellabat; tu armatis circumquaque sceleris tui ministris & emptoribus, tenere eum, acclamabas: ille venerabilem vultum suum inclinabat, ut te oscularetur, tu impudentissimum proditoris osculum offerebas, & inimicorum simul manibus tradebas. Ita non tibi divini oris eius attactus consilium nefandissimum mentemque sceleratissimam immutabat; non ille cœlestium oculorum coniectus amabilis ardentes furoris

Locus captivitatis.

Proditor discipulus.

Similiter desinens.

Agnominatio.

Invectivam in Iudam proditorem.

Expolitio.

Contentio.

roris concepti flammas exstinguebat ; non vocis suavissimus sonus ferreum saxeumque cor tuum percellebat, ut ab impia sacrilegaque Domini tui ac Dei venditione abhorreres ? sed erat in te mens obdurata, & agitatus iniquitate tua hoc agebas, ut omnis ætatis labes esses, omnium sæculorum portentum appellareris ac tandem infami laqueo, justissima nimirum pæna turpissimam vitam tuam terminares. Quanquam dum ingenti compulsus indignatione justi impetu doloris abripior, in illo olivarum horto videor mihi exspatiari. Et nunquid, ô Christe, tu illa vitæ arbor insignis, angustiarum doloris, afflictionum fructibus gravida ? Nunquid tu ille rubus ardens, ac non amplius sublimis illa cedrus, non amplius divinitatis alta cyparissus ? ut exhorrescis & artubus omnibus contremiscis ? ut illud clarissimum vultus tui corporisque totius jubar sanguineis nubibus obscuratur ? O natura, quam horrendos perpetreris dolores ? ecce prodigiosi sudores emanant, ecce sanguineus guttatim imber decurrit. O quanta divinæ mentis conturbatio ! confusa in se natura dominante timore lachrymas in sanguinem commutat. Vbi es Magdalena ? Vbi sunt crines tui, lachrymæ tuæ, unguenta tua ? nihil hic nisi ruborem, nisi cruorem conspicio ; nihil hic nisi diluvium sanguinei sudoris intueor. Quid dicam ? amor est, Auditores, amor est, egreditur è corde Dei, rumpit venas, naturam premit, diluvio quodam exundat, ut piæ cogitationis sudario abstergamus, submissæ mentis velamento excipiamus. Enimvero (tempus est enim) quam potestis immanissimæ crudelitatis cogitationem assumite, B. Auditores, Aperiam jam scenam illam quæ non aureis arenis est strata, non ebore prætexta, non varietate colorum adumbrata, non argentatis choragiis adornata, sed sanguine conspersa, spinis hor-

Brevis digressio.

Apostrophe ad Christum.

Ad naturam.

Ad Magdalenam.

Causa sudoris sanguinei amor.

Transitio ad secundam partem de crudelitate Iudæorum in Christum. Similiter cadens.

horrenda, ſputis deformata, flagellis conciſa, blaſphemiis convitiiſque tota reſonans. Concipi te igitur immanem illam Carthaginenſium crudelitatem, qui ut in Attilio Regulo, carnificando furorem omnem defatigarent, corpus eius totum ſtimulis, clavisque ferreis, reſectis antea palpebris laceraverunt, & quas pati amplius oculi non poterant lacerari cadaveris reliquias in mare præcipitaverunt. Sed illum vicerunt Iudæi furorem. Repræſentare veſtris animis rabiem efferatam Romanorum Senatorum, qui ut odium ſuum incertatiſſimum ſatiarent, immaniſſimo ſcelere conditorem ſuum ac parentem Romulum membratim in curia diſcerpſerunt, ſed ad huc crudeliores in Meſſiam ſuum Iudæi extiterunt. Putate vos intueri Cannibalos aliquos aut Anthropophagos, qui truci vultu, oculis inflammatis, mente barbara, dentibus exertis, manib. cruentis ſpirantem adhuc hominem aliquem iugulent, confodiant, dilanient. Quis talia fando temperet à lachrymis! ſed adhuc ſanguiſugas iſtos & barbaros immunitate Iudæi vicerunt, & omnino nullo exemplo crudelitatem poſſem eorum explicare. Vt aliquid tamen dicamus, ſit in mentibus veſtris Sampſon, cui poſteaquam vincula ac funes. Philiſtæi iniecerunt, crudeliter excæcarunt, irriſerunt deinde, & ſcommatibus proſciderunt: fortaſſis hac imbuti cogitatione aliquid in hoc truculentiſſimo tribunali aſſequimini. Quid in hominum tribunali Deus? quam obrem ergo Iudæi? Populum ad turbas ſeditioſus impellebat? ſcilicet cum ubique pacem doceret. Dignitati Cæſaris adverſabatur? Nimirum cum tributa reddi Cæſari iuberet. Regnum ambitioſus affectabat? tunc credo cum regnum ſuum de hoc mundo non eſſe fateretur. Vere, vere Chriſte inſurrexerunt in te teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Confixit iniquitas in te

Proponũtur exempla crudelitatis.
1. Carthaginenſium in Attilium Regulum.
2. Romanorum ſenatorum in Romulum.
3. Cannibalorum. Demonſtratio.
4 Philiſtæorum in Samſonem.
Obliqua. Proſopopæia. Amplificatio per remotionem cauſarum.

in te crimen, audacia evomuit crudelitas pœnam inflixit. Scinduntur Iudicum vestes, sed mentes obdurantur; lavantur manus, sed animus sacrilega crudelitate coinquinatur. Obsecro, confirmatis animis hic adstare, & debacchantem barbara insolentia furorem considerare. Ita æstuant, fervent, ardent, frendent, oculis fulgurant, ore tonant, manibus, flagellis, ferro sæviunt atque insultant. Colaphum sacratissimis Christi genis sceleratissimo ausu impingunt. O sacrilegæ manus! Dominum servus, Deum homo percutit? Illum vultum, in quem prospicere desiderant Angeli, quem cæli cives honorant proniq; adorant, impiæ manus attingunt? sacræ illius faciei putentia fætentiaque sputa tore ingerunt impudentissimo; æternæ sapientiæ oculos obuelant, verbis lacerant, & maledictis insectantur, virgis corpus totum teterrima audacia concidunt; ut è venis omnibus copiosissimus sanguis emanet; coronam hamatis aculeatisq; contextam spinis divino vertici (ô, ô dolor, ô scelus nefandissimum) divino vertici ad contumeliam ac dolorem intrudũt Vincor, Auditores, & confuso perturbatus affectu modum ignoro. Non illas flammas tuas, ô cælum emittebas, ut hæc impia capita cælesti igne conflagrarent? non in vindictam fulgura tonitruaque descendebant? non dehiscebas, ô terra, non illam immanem audaciam inferorum lacunis coercebas? non volebas ipse, nimium amabat ipse. Egredimini Angeli, videte igitur Regem vestrum colaphis lividum, sanguine fœdatum flagris concisum. Contemplemini animæ nostræ Creatorem vestrum, à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Cerne sol iubar illud, à quo lucem mutuatis, obscuratum est iam in terris, nec adhuc satiata crudelitas conquiescit. Audio clamores ac minas, condemna, tolle, crucifige, moriatur. Video volitantes lictores immissi-

Demonstratio. *Affectus.* *Conquestio ad cælum terram.* *Evocatio Angelorum, Animarum.* *Obliqua Prosopopaia.*

issimos, belluasque sanguinarias. Intelligo fe-
alem mortis acerbissimæ sententiam, prospicio *Demonstratio.*
ocum omnem patibulis; crucibus, totis, axibus
leniffimum, cerno Christum cruce onustum,
ictoribus stipatum, funesto spectaculo Calvariæ
montem ascendentem. Audio rursum malleo-
um ictus, carnificum verbera militum expro-
rantium contumelias, illi membra funibus du-
issimis extendunt, manus ac pedes clavis obtu-
is transfigunt, latus crudo lancea: vulnere ape-
iunt, interim solutis circumquaque vulneribus
orrentis instar uberrimi, sanguis exundat. Non
ossum AVDITORES, non possum amplius, & *Transitio ad 3. partem de morte Christi*
um omnia lacrymas quærunt, vox mihi obmu-
escit; dum astra lucem admittunt, universum
oncutitur, sanctissima delubra tremunt, viribus
atera suis destituuntur. Impudentiæ est hic lo-
ui, pietatis silere, amoris lachrymari. Quid?
ed silentium doloremque Christus evincit. Au-
ite, media in morte reliquias vitæ cogens, ita
ocem plenissimam amoris emittit Magnus est,
hominies, dolor meus, sed maior est amor meus. *Prosopopæia.*
Ecce ut exundant vulnera latusque? diluvium
st hoc amoris. Vt extensi sunt pedes ac manus?
oc ego vos amplexu redemptos invito: ut in-
linatum est caput meum? sic ego vobis oscu- *Subiectio.*
um pacemque præsento. Vt hianti pectore mix-
us aqua sanguineque fluvius erumpit? Vnguen-
um est hoc meum, & vestrorum medicina pec-
catorum. Vt affixum clavis immanibus corpus
neum? ut vobis adhæream, nunquam à vobis re-
edam. Videte si dolor est sicut dolor meus, quia
on est amor sicut amor meus. Sanatum est iam
ulnus Adami, expurgata est humani generis le-
ra, placata est æterni patris ira. Venite ergo, in
æc vulnera intrate, sub hac cruce conquiescite,
er hanc mortem meam vitam ac cælum possi-
ete. Quod potui, tuli si quid est ultra, vitam ac
spi-

spiritum iterum pro vobis emitto. O amor im mensus! O incredibilis omnino Charitas! non possumus incorporibus illa pati, AVDITORES at animis compati valemus. Non audemus sub ire mortem? at flere non reformidemus. Flet a crucem prostrata mater filium; ploremus indi gnissima cruce mulctatum salvatorem ac paren tem; si non sanguinem at amorem reddamus; il lius est ipse prodigus, huius ne simus avari. Simu grati, simus memores, simus eius amantes, ho ille reposcit. Age vero restitutor vitæ & salutis author vitæ, si pulchrior per te gens humana re surrexit, imprime nostris animis tuæ mortis do lorem, tui nominis amorem. A mare te volumus & tecum simul dolere. DIXI.

Actio Iudicialis.

DE HOMICIDIO

Constans Accusatione, Defensione, e Deliberatione Iudicum.

IVDEX.

Declarat quæ sit fœlix Resp.

FElix ea profecto Respublica est, quæ com positos ita civium animos habet, ut quie sit; ita leges vim suam & authoritate obtinent, ut legibus omnes optemperent; i iudicia exercentur, ut boni præmiis donent cum de Republica bene meriti sunt, mali su plicio puniantur, cum Reip. authoritatem viol verunt. Eiusmodi cum Rempublicam nostra votis omnibus exoptem, tum vehementer dolec cum in ea accidisse aliquid intelligo, quod i dic

diciorum severitatem requirit. Id cujusmodi sit ut intelligamus, dic tu, qui Accusatorem hic agis, & ad hoc tribunal nos convocavisti.

Dat accusatori dicendi veniam.

NOBILIS JUVENIS JOANNIS TILINGII HAGÆCOMITANI.

ACCUSATIO.

Viri Nobilis homicidæ.

CVm vestros illos vultus intueor, Iudices, perturbatos sane & indignitate quadam confusos, non dubito, quin animos vestros diei illius recordatio subeat, quo hic Reus summa vir audacia in omnium civium conspectu nulla causa miserum urbis huius civem crudelissime contrucidavit. Nam si mihi de vestrorum animorum sensu judicare liceat, adhuc mihi videre videmini abjectum, confossum, sanguinolentumque, calamitosissimi hominis cadaver, omnium tristitiam civium & nescias teneri lachrymas; concurrentes ac complorantes matronas, omnes omnium ordinum homines facinus indignissimum detestantes, pœnamque ac vindictam reposcentes. Et vero cum ea cogitatio perfodere vestros animos ingenti dolore possit, tum eosdem excitare omnium civium lætitia debet, qui dum animadvertunt, non licere in hac urbe homicidis impune volitare, inque tribunali eos Iudices sedere, qui tantum scelus inultum pati nec possint, nec velint, quantum antea perpetrato homicidio doluerunt, tantum hodie justissimæ pœnæ opinione concepta lætantur. Quæ causa est, cur ego hodie ad hanc accusandi provinciam

Exorditur commovendo Iudices recordatione facti.

Amplificat per hypotyposin.

Excitat ab opinione expectatæ iustitiæ.

Causa accusationis.

ciam consurgam, cum & hoc officium exigere à me iure quodam suo tristissimæ civitatis querelæ videantur, & ex mœstissima contrucidati civis nostri coniux, nuper honestissimo marito felix, nunc vidua & multis cum prolibus relicta hoc saltem sibi dari solatium deposcat. Sed vestrum est, Iudices, in quorum summa æquitate nostra omnis sita spes est, forti esse in hac causa animo, & qua par est constantia iudicare nihilque huius rei nobilitati tribuere, ne expressa nobilitatis manu iustitia videatur, & ut omnes intelligant in hac urbe cives, nihil ibi furorem armatum posse, ubi iudiciorum severitas facinorosorum audaciam coercet. Quanquam vero rem universam ignorare non possitis eam tamen quemadmodum gesta est, vobis, quonam audire favereque parati estis, exponam.

Docet quales esse iudices debeant.

Ingressus in narrationem

Narratio.

Erat, Iudices, civis ille cuius hodie mortem deflemus, honestissima natus familia, eaque indole præditus singulari, ut cum honesta arte vitam sustentaret, tum pacifice cum omnibus viveret, adeo ut nullæ unquam de eo querelæ apud magistratum audirentur. Cum vero solitus esset operam suam, ut erat officiosissimus, perlibenter omnibus offerre, tum eandem obtulit huic rei, proque eo multo tempore ita operatus est, ut non tantum gravissimos labores suos conferret, verum etiam magnam profecto facultatum suarum partem impenderet. Vbi operi finem imposuit, pro labore, proque expensis fieri sibi satis ab hoc reo non semel postulavit; ille nunc solutionem in tempus aliud differebat, nunc illum tanquam importunum indignabundus à se reiiciebat. Perlibenter sane vir modestissimus expectavisset, sed cum nuper gravissima necessitate premeretur, reum hunc in foro convenit, comiter salutavit, summa modestia debitum exegit: at ille vehementer primum excandescens illum à se reiecit, tum

Conditio occisi.

Bene meritus de homicida.

Petit mercedem operæ.

Reiicitur.

Dictum homicida.

rum nihil se daturum, aut daturum profectò quod nequaquam expectaret, jurejurando affirmavit. Taceo quæ præterea dixit, ne vestris auribus sim gravis. Quid ageret autem, qui sua modestia submissioneque nihil obtinebat? Aditurum se dicit magistratum: vix dixerat, educit ille gladiam, & miserum civem adhuc pene loquentem transfodit. Habe, inquit, hanc tui laboris, & importunitatis mercedem, adi nunc magistratum. & me accusa. Mox è foro celerrima fuga, sese proripit, abiectum prostratumque cadaver relinquit; fit populi universi concursus, adsunt ex urbe tota Cives, homicidam requirunt, facinus indignissimum damnant, justitiam implorant, libertatem amissam clamant, vindictam reposcunt. Hæc quemadmodum exposui, ita gesta sunt. Nunc illud à vobis, Iudices, contendo, considerate miseri hujus civis uxorē fletu pene exhaustā, considerate tot parvas ejus proles morte patris pene exanimes, fiet profectò ut quid judicare hac in causa debeatis, facile intelligatis. Considerate etjam Populum hunc universum; nemo civium omnium est, qui non violatam hodie libertatem deploret, nemo est qui ab hoc judicio vestro non solatium aliquod expectet. Nolite vero, Iudices, ad huius rei Eloquentiam, multo sane minus ad eius Nobilitatem attendere; quæ profectò si aliquid hic valere deberet, cederem confestim & recederem, cum reum hunc absoluere aliud nihil sit, quam perditorum hominum furori civium optimorum vitam obiicere. Sed quoniam me jubetis de vestra justitia pene sperare, pergam illud à vobis postulare, ut gravissimo homicidam hunc supplicio mactandum esse judicetis. Cædem factam esse jam constat; factam ab eo, nec ipse negat. Quid igitur restat? Hæc apud omnes nationes lex est non hominum judicio conscripta, sed naturæ ipsius instinctu consignata eos om-

Cædes.

Fuga homicida.

Clausula narrationis.

Excursio ad movendum post narrationem.

Monet ne aliquid nobilitati tribuant.

Confirmatio.

Probat mactandum homicidam

à lege Gentium. nes, qui hominem aliquem à se occisum fateantur, lucem intueri fas non esse. Etenim si ferro *Ratio à consequentibus.* in hominum quorumcunque vitam grassari licet, quomodo, obsecro, stare illa poterit hominum societas, in qua mutuis auxiliis ita vivimus, ut tueri invicem iuvareque non debeamus? Equidem ita evenire nonnunquam potest, *Removet omnem causam.* ut quis alteri iustissima causa vitam auferre cogatur, ut eum sui potens non est, cum aliqua vis infertur, cum iniuriam pati necesse est; at vero quid hic tandem fingi eiusmodi potest? iniuriamne fecit civis? non fecit: vim intulit? non intu- *Subiectio. Probat à voluntate.* lit, potens sui reus non fuit? fuit sane, & libera deliberataque voluntate ad impiissimum hoc facinus processit. Age vero quid hic tu re tandem dices? fuisse illum tibi fortassis importunum? *Praeoccupat quod obiici posset in excusationem.* nimirum summa modestia debitum suum exigebat. Iratum te fuisse? Profecto nunquam ira apud æquos iudices in criminis excusationem adfertur. Tibine, quod nobilis sis, ac de Rep. bene meritus, ignoscendum esse? O scilicet optime, de Reip. meritum, qui Reip. libertatem violat, *Transitio.* qui cives occidit, qui se miserorum hominum innocentissimo sanguine saturat. Adhuc ne aliquid est? nihil est. Causam Iudices, videtis; civis occisus est, iustitiam omnes petunt, quam cum æquissimi homines negare non velitis, soleo hac de vobis spe concepta mœstissimam miseri civis uxorem consolari, quæ cum ad me quo- *Peroratio figurata per prosopopæiam uxoris inducta.* tidie veniat, ad pedes se meos obiiciat, tum multis lachrymis, ita iustitiam implorat. Et ille, ille maritus meus itane inultus obibit? non tu eius apud Iudices innocentiam declarabis? non illi sceleratum homicidam debito supplicio coercebunt? aut me ille cum marito, meas proles cum parente trucidet, aut libera ei vita non sit, cuius furore effectum est, ut miseram cum miserrimis prolibus meis senectutem meam viderem,

rem. Et nullam ubi vivimus, iustitiam inveniemus? Plura sane illa tot illis suis lachrymis, solatur se tamen cum à me vos datos esse. Iudices intelligat homines iustissimos & prudentissimos, qui iustitiam illi miserisque prolibus nunquam negabitis, id vero præstabitis, quod à vestra integritate cives omnes expectant. Id facite Iudices, & hominis unius furibundi sanguine libertatem omnium & securitatem sancitote. DIXI.

Petit iustitiam.

NOBILIS IVVENIS IOANNIS de LAITTRES VERTONENSIS DEFENSIO

Rei Nobilis.

NVnquam ita destitutus animo fui, Iudices ut tribunal ullum aut iudicium reformidarem. Horreant illi, quibus animus male conscius est, ego vestram sententiam & libenter & intrepidus expectabo. Quod si imperita ista multitudo statuere de vita mea deberet, mallem profecto honesta aliqua morte iudicium prævenire, & hic coram universa plebe mihi quocunque etiam ferro vitam adimere, quã iniquissimã furibundæ multitudinis sententiam expectare. Nunc autem cum vos habeam prudentissimos sanè Iudices, qui & rationem habere meritorum uniuscuiusque possitis, nec eos quorum auxilio stat incolumis civitas nostra, perdere, aliquid etiam concitatæ iracundiæ libenter indulgere velitis, magno animo ad defensionem hanc meam accedam, Rogo interim vos & obte-

Exorditur à constantia sua.

Conciliat Iudices sibi eos laudando.

Excusat in se, de-

ctum eloquentia. obtestor, ut quoniam non ea dicendi facultate praeditus sum, quam accusator reformidare videtur, eius vos in me defectum vestra sapientia supplere velitis, eaque apud animos vestros cogitare, quae vobis pro dignitate explicare non satis possum. *Ex conditione vitae militaris.* Ego non in foro hactenus vixi, sed in castris; non inter litigantium clamores, sed adversus hostes pro Patria hac nostra meliorem aetatis meae partem traduxi, non lingua unquam, sed gladio semper pro salute civium nostrorum certavi. *Abducit accusatorem in suspicionem.* Equidem longam ille & artificiosam sane peritus apud vos accusator narrationem adornavit, caedo, ut cum vincere iustitia causae non posset, orationis elegantia artificioque superaret. Non erat, non erat opus longis illis verborum ambagibus; civem illum iam inter vivos esse desiisse, nemo ignorat. Fatentem me reum omnes agnoscunt, & vident. *Fatetur eadem.* At vero quemadmodum optime dixit accusator, est est profecto alterius occidendi iustissima nonnunquam causa, quae mihi cum non tam oblata nuper, quam obiecta fuerit, vere quicquid à me peractum est defendo. *Propositio*

Confirmatio 1. Argumẽ. à conditione nobilium qui honoris sunt amantes. Ita comparatum est, Iudices, ut viri nobiles, quorum in pectoribus generosus sanguis ebullit, amittere vitam millies malint, quam honorem, ideoque cum illum labefactare diminuereque male feriati quidam homines vel impudentis linguae audacia, vel contemptu maligno contendunt, non aliter illum, quam vitam nostram in discrimen adductam tueri propugnareque solemus. Nimirum non propter hanc hominum consuetudinem vivimus, sed propter honorem; non ut lucem intueamur respiramus, sed ut honore pleni & gloriae titulis ornari Rempublicam nostram iuvemus. *Repetitio. Distributio. Comparatio.* Si quis contemnat, irascimur: hoc. n. est sanguinis non plebei: Si quis importunus sit accendimur, hoc enim est generosi: si quis con-

contumelia non afficiat, vehementer commovemur; hoc enim est animi honorem amantis: si quis minetur, ad arma provolamus; hoc enim est nobilis: si quis infamiæ maculam illustri nomini inurere contendat, non ferimus, non patimur, & vivere non debet, qui contendit; hoc enim est plus honorem, quam vitam amantis. Quid? contemni sese Nobilis pateretur? non potest: contumeliam quietis auribus audiret? nunquam: vibrata in se convitia contortasque minas sentiret? cum infamia viveret? O ô sine vita potius? Hæc est causa nostra, Iudices, accusor, qui accusare deberem, læsus ille dicitur, qui læsit, & de me supplicium petitur, qui si alterum supplicio non affecissem vivere profectò non deberem. Ego vos testes appello, quotquot estis hic cives, egone ferre potui, cum plenissimis contumelia verbis vilissimus homo in me consurrexit? egone cohibere iram animumque potui, cum impudentissima ille lingua conviciorum in me plaustra effunderet? cum me superbum, cum mercedis defraudatorem, cum civium oppressorem, cum publicum latronem appellaret? egone tacere ac nihil agere debui cum in omnibus nobilium virorum congressibus, cum in foro, in curia, in templis, ubique ita me insectaretur, ut cum aliis agere non permitteret, expectare ipse non vellet, famam meam apud omnes iniquissimis mendaciis laceraret? Per me equidem licet, nec tanti hæc vita mihi est, de me supplicium sumatur, moriar profectò libenter, si convitiis petitus irasci non debui; si cum ille mihi minaretur, & honorem meum, quâ poterat, infami contumelia pessumdaret, perturbari vehementius, & commoto nimium fortassis animo ulcisci non debui. Feci, Iudices, quod omnes in hoc discrimine fecissent; feci quod facere me, dum honorem meum propugno, nescivi. Vixit ille

Articulus.

Culpam in occisum transfert, & à se amovet.

Apostrophe & probatio à testimonio.

Repetitio.

Amplificatio ab effectibus conglobatis.

Permissio.

Probat causas ira sua.

Transitio. qui vivere me sine honore volebat. Quanquam non audiantur illæ à vobis causæ, quæ iustissimam in me iracundiam concitaverunt, at quis ipse sim, *2. Argum. à nobilitate sua.* Iudices, videte. Non ego ex illo hominum infimorum ordine, sed Nobilium, quos quæ bene constitutæ civitates fuerunt, servare semper contenderunt. Illos Augustus Cæsar undique in urbem revocabat; illos, si pauperiores essent, novis censibus iuvabat; eorum familias, ne deficerent, quantum poterat ipse, curabat. Quamobrem vero? *Subiectio.* Quod fideliores Reip. sint Nobiles, quod ubique generosiores, quod ad patriæ defensionem alacriores promptioresque. Et ego in hac Republica illustri maiorum sanguine oriundus, ac tot nobilissimi splendoris titulis ornatus ad supplicium deposcor? Et hæc vita mea cum vilissimi hominis vita comparatur? Quia ille vita excessit, ego vitam dabo? Quod si me mea Nobilitas tueri, Iudices, apud vos non posset, tueri *3. Argum. à meritis suis.* sane tot mea in Remp. merita iam debent. Recordemini, obsecro vos, (neque enim oblivisci unquam potestis) recordemini, per Deum immortalem, quoties meo ac hostium sanguine purpuratus in hanc urbem sum reversus? Quoties tot illa vulnera mea, mihi quidem gloriosa, sed vobis salutaria non siccis sane oculis vidistis? Quoties cum me aut gravissime læsum, aut rumore *Amplificatio ab effectibus conglobatis.* incerto interfectum audiebatis, ingemuistis? Audiebatur hæc omnium vox in urbe, iam concidit bonorum præsidium, iam Reip. spes est extincta; iam vitam amisimus, cum amissus est ille, per quem vitam tenebamus. Nullus erit amplius, qui hostium à nobis furorem avertet; cecidit ille, per quem vincebamus: nullus erit, *Obliqua Prosopopæia.* cuius sub tutela respiremus; factum est scutum nostrum. Hæc homines de me nuper non usitato cum dolore dicebant: sed respiraui, Iudices, non tunc occubui? an vero maligno tunc fato servatus

tus ſum, ut qui hoſtium telis non ſuccubueram, civium mecum ſententiis hodie mactaret? Quid? Et nulla erit toties effuſi à me pro Rep. ſanguinis gutta, quæ levem aliquem (concedamus profecto aliquid) levem aliquem, ſi tamen eſt ullus, ſed levem tamen aliquem errorem abluat? Quid dicetis? ô filii mei, quid dicetis? Ego in ſpem Reipublicæ vos genui; vivite ſane illi, & pro illa etiam moriamini; ſed tamen quid dicetis, cum pro tot in Remp. meritis adimi vitam Parenti veſtro intelligetis? Quem animum in Rempublicam concipietis? Sentio lachrymas veſtras, & deprecantem pro me vocem audire videor. Ipſa vos etiam audit Reſpublica, ita enim illam compellatis. Noli, noli ô patria, eum perdere, qui ne perires toties ipſe perire deſideravit. Nolite cives eum vita privare, qui ne vitam amitteretis toties ipſe ſuo ſanguine perfecit. Parens eſt noſter; & nos vobis, & in ſpem Reipublicæ genitos orbare tali parente velletis; Servator eſt veſter; & illum ingratiſſimi cives mactare velletis? Concedite aliquid ejus ſanguini pro vobis effuſo: renuitis? aliquid filiorum eius lachrymis indulgere non vultis? Tollite igitur cum parente filios, extinguere familiam univerſam, exterminate eos, qui, pro quibus hodie ſupplicium apud vos accipiunt, honores ampliſſimos apud barbaras etiam nationes reportaviſſent. Sed ſatis ſit, ô filii, ita vos quidem dicitis, me tamē, Iudices, pro patria tot exanthlaviſſe labores, nunquam pœnitebit. Condemnate ſi ingrati eſſe vultis, trahite ad ſupplicium, ſi ſervatorem veſtrum odiſtis; mactate ſi crudeles eſſe deſideratis, nunquam ſane, nunquam me bene vobis feciſſe pœnitebit.

Peroratio.

Apoſtrophe ad filios.

Eorundem proſopopœia.

Repetitio figurata.

Gloriatur in meritis ſuis.

DIXI.

JUDEX.

Sententias requirit.

PEroratum est utrimque: dicta est ab illis causa, & à vobis, ut arbitror, intellecta, Quid igitur, Assessores mei, sentitis?

ASSESSOR I.

Repetit causam utrimq. Quid in iudicium veniat.

NIsi fallor, nulla veniunt ponderanda à nobis hujus causæ momenta. Cædem factam Accusator urget, non infitiatur Reus; Constat igitur. Ex lege pœnam Accusator reposcit; veniam Reus deprecatur; An igitur puniendus hic sit, an illi ignoscendum, hoc vero quæritur.

Rationes accusatorú.

Accusator è re Civitatis esse hominum audacium furorem coercerit, & facinorosorum supplicio civium libertatem securitatemque sanciri debere contendit: reus merita sua in hanc Rempub. nostram sane ingentia velut ex altera parte appendit,

Merita rei.

& errori suo præponderare declarat. Si meritis conniveamus, & eorum intuitu ignoscamus, justitiam neglexisse videri possumus; si punimus,

Dubium.

merita contemnere dicemur. Rem ambiguam prudentia tua Iudex, determinet, laudare factum, quod factum nollem, non possum: excusare non

Rationes pro pœna infligenda.

debeo. Statue ergo pœnam mereri. Et vero ubi rigor est justitiæ, ibi vigor est Reipublicæ; cumque maleficia sint, quæ Civitates interimunt, tum ea coercere est civitates conservare. Quis erit in penatibus suis tutus ac securus, si homicidia tolerentur? Frustra tot erecta ubique patibula, tot cruces, tot aliorum cruciatuum genera, si supplicio delicta careant. Imo frustra magistratibus gladius est concessus, si legum violatio non cohibeatur. Florebat Spartana olim Resp. sed crucibus, gladiis securibus, omni denique genere tormentorum

Ita-

Itaque dissimulandum hic non esse censeo, puniatur reus. Quoniam vero de Rep. nostra benemeritum esse confitemur, ita puniatur, ut & se male fecisse sentiat, & sua merita non sine gratia esse intelligat. Vitam habeat pro meritis suis, mulctam sentiat pro delicto. Viduæ ac relictis prolibus vim pecuniæ persolvat, iustitiam agnoscat, Reipublicæ vivat, Ita iudico.

Aliquid meritis indulget.

Sententia.

ASSESSOR II.

Excusat.

VIX sane ullus est ita indolæ semper evecta excelsaque quem non aliquando errare contingat. Erravit sic reus culpam confitetur, igiturne vita privandus? Privandus profecto, si iusti sumus. Ast idem vitam nobis non semel servavit, suo periculo periculum à nobis depulit, igiturne conservandus? conservandus sane, si grati sumus. Neque enim minus civitas bonorum præmiis, quam malorum pœnis florere solet. Quam multi sunt qui venalem morte vitam habent, quod præmium à Rebusp. expectent? Aluntur Reip. gratitudine virtutes, & qui sui sanguinis mercedem videt, perfundere sanguinem nõ reformidat Sane id agamus cum iusti esse desideramus, ingrati ne simus. Vivimus eius beneficio, vitamne illi auferamus: ut vivant posteri nostri, eos nobis genuit filios, qui parentem imitati pro Rep. nostra mori, aliquando non recusabunt: Demus illis parentem, demus ipsum meritis suis. Neque ego à iustitia recedendum esse idcirco sentio. In errorem inductus est perturbatus, lacessitus, pœne impulsus. Adeo vim impotenti iracundiæ & commori iuste animi agnoscimus. Quod cum ita sit, ut dictum iudicatumque à collega meo est, ita dico iudicioque mulctetur & vivat.

Dubium causam ostendit.

Benemeritis favendam docet.

Assentitur sententiæ antea dictæ.

IVDEX.

Assentitur Assessorib.

CVm ambo merita Rei præponderarem hoc iudicio sentiatis, in eandem opinionem abitis, neque ego à vobis discedam, ut & iusta sit Resp nostra, & grata. Itaque ut ex vestra meaque opinione pronunciabo. Te Reum cædis factæ iudicamus utque delicti pœnam aliquam des, ad tria nummum millia, quæ pro arbitrio nostro viduæ prolibusque persolves, condemnamus. Interim beneficium hoc ego tuis meritis à grata Rep. reportabis, vives, & Reip. amplius prodesse contendes.

Sententia

ACCVSATIO FILIORVM HERODIS APVD CÆSAREM Augustum & eorum reconciliatio.

Per modum Dramatis.

Herodes Rex Iudæorum.
Alexander & } Filii Herodis
Aristobulus }
Cæsar Augustus.
Mœcenas.
Agrippa.

Herodes. Cæsar Augustus.

HERODES.

MIraris fortasse Cæsar, tam remotis è terris Regem tuos ad pedes supplicem intueri. Quan-

Quanquam si tuum inde mandatum evocasses, venissem, nunc tamen indigna me fortuna præsentem sistit, supplicemque constituit. Vix opus esset uti voce, cum filios ante tuum tribunal intueris, aut abiectum me vides ad tribunal; facit ipsa hæc conditio suspicionem & miseriæ se prodentes facies arguit indignitatem. Rogo te tamen, iustissime Imperator, permitte mihi vocem aliquam apud te, & omne, quod premit, infortunium cognosce.

AVGVSTVS. Optandum esset nemo iustitiam in imperio violaret, & à tribunalibus, qui regimus, abstineremus. Sed impedire quis fraudem potest? doleo, Rex Herodes, tantis se molestiis ac periculis ad tribunal nostrum accessisse; dic tamen, non invitus, infortunium tum omne cognoscam.

HERODES. Vtar igitur facilitate tua, Invicte Cæsar, & tuis auribus miseri Regis, miserioris parentis fortunam exponam. Sisto filios; indignum est pro patre; reos facio: miserrimum est. Sed quorum odia eousque processerunt, ut satiari & extingui sine sanguine parentis non possent, eorum vita non potuit à parente tolerari. Vide filios, Cæsar, & crede parenti, Illi, illi (filii tamen mei) in parentis caput conspirantes, ut regno nostro potirentur, tollere è vita Patrem veneno tentaverunt. Nunquid, Cæsar, eam mihi potestatem fecisti, ut successorem illum relinquerem, qui in parentem constantior pietate reperiretur? Non placet hoc filiis, rapere volunt, non expectare Principatum. Imo vero non placeo filiis, & sola sui parentis nece, quamquam Principatus non accedat, sunt contenti. Ita immane, ita scelestum & inveteratum est odium hoc in animis eorum, ut suæ etiam periculo vitæ vitam nostram delere contendant. Et hanc quidem calamitatem, toleratam tam diu,

nunc demum tibi cogor aperire Cæsar, & sermonibus hisce meis tuas aures inquinare: Obsecro quo merito tandem? qua injuria? Dicite vos, si parentem intueri me potestis; æquumne esse putatis regnum à me tot periculis partum à vobis occupari? Per vos regni mei Dominus non ero? per vos libera mihi potestas non erit successorem eum relinquendi cujus pietas promerebitur tantum honorem? vos ne salvo naturæ jure de parente deturbando fas esse putatis cogitarem, Nemo profecto parentis affectare regnum potest, nisi qui parentis optet interitum cum succedere vivo non detur. Sed agite rursum, quid est tandem, quod in parentem tam crudeliter vestros animos attollit? Egone vobis deesse quicquam sum passus? nunquid quæ regiis liberis præstari possunt ab amantissimo parente præstiti vobis? nunquid ornamenta, ministeria, delicias, conjugia procuravi? Nunquid tibi Alexander, regis Archelai filiam collocavi? Nunquid tibi Aristobule, sororis meæ filiam? Videte amplius & cognoscite benignitatem in vos meam. Ausi in me estis facinus atrox & immane Quid ego? patria potestate punire debuissem; non punivi: ad communem benefactorem nos adduxi; in Cæsaris oculis constitui: decessi è jure meo vel violati patris, vel regis per insidias appetiti, ut vobiscum ex æquo, sed apud hunc arbitrum disceptarem. Oro te justissime Cæsar, ne permitte tantum facinus impune sit illis, qui pœnam nullam vereri videntur: effice tua illa æquitate, ne vitam in perpetuo metu degere cogar, cum nec illis filiis meis, post nefarios illos in parentem conatus solem amplius expediat intueri. Si pietatis jura omnia proculcarunt, non auferant impunitatem: si vivere parentem non volunt, non vivant ipsi superstites parenti. Obtestor te rursum Cæsar, utere quâ debes filios meos severi-

tate,

tate, vindica patrem adversus liberos; si vox mihi in atroci hac necessitate desit, loquitur satis fortuna mea, & hæc vultus mei, quem videre non possunt, confusa serenitas.

AVGVSTVS. Confusa quoque vestra facies est, O Regii Adolescentes, premite paulisper dolorem, & pro innocentia vestra, quam potestis, colligite excusationem.

ALEXAN. Quid à nobis vocem quæris Clementissime Cæsar? Vocem omnem pater accusator interclusit. Etiamne contra patrem tam severe accusantem filii vocem inveniant? Quis libere se contra parentem defendat?

AVG. Ipsa vobis innocentia vocem dabit, ego vobis libertatem concedo.

ARIST. Turbatur innocentia lachrymis suis, Clementissime Cæsar, & hæret libertas, ubi indignitas nimium excitat dolorem. Tentemus aliquid dicere; hærendum erit in gemitu, & cum expedire defensionem non poterimus, rei judicabimur.

MEC. Iuvenili consternatione, Cæsar, impediuntur regii isti adolescentes. Sic nimirum est comparatum, ut innocentia hæreat in verbis, cum nimia indignitas defensionem omnem lachrymas reservavit.

AGRIP. Ancipites hærent lachrymas inter & vocem; innocentia defensionem à verbis quærit, indignitas verba lachrymis confundit. Nec dicere causam tutum putant, nec deserere, hinc tacent, & hinc lachrymantur.

AVG. Aude tamen aliquid Alexander, non obest accusator pater, nec tamen etiam satis lachrymæ defendant.

ALEX. Quo nos animo, quam benevolentia Pater complectaris, judicium hoc ipsum declarat. Cur in nos sontes pro regia patriaque potestate non animadvertisti? non istam sævitiam

descendere potuit amor tuis : Romam nos adduxisti, omnium Servatori nos præsentasti; illum testem & arbitrum fecisti. Et nunquid est hoc servare volentis argumentum ? Nemo certe, quos perdere evertereque cupit ad aras & templa Deorum adducit. Quanquam non causam tantum nostram, sed & hanc quoque vitam fortuna gravat, & omnino vita nos indignos censemus, qui læsæ erga parentem, læsæ, inquam pietatis erga te parentem nostrum tam benignum opinionem sustinere debemus. O cur non potius innoxios mori, quam tanti sceleris vivere suspectos contingit ? Sed si tamen veritati satis patrocinari poterimus, felices nos vel tuo judicio, vel evitato discrimine, quod si vero calumnia vincat, frustra solem hunc amplius cernemus, cum sceleris suspicione non amota jucunda esse vita non possit. Non inficior suspicionem ætas hæc habet, & in hos annos nostros affectati regni crimen cadere videtur; calamitosiorem quoq; conditionem nostram misera matris infelicis fortuna facit. Vixit illa nescio, an ut nos liberi ejus vivere amplius non deberemus; sed vixit & miseræ calamitatis ejus hæredes in judicium à parente perducimur. Nondum animum depone frater, & mortuæ matris vulnus aut lachrymis ablue, aut constantia tege: ego in clementissimi Cæsaris conspectu tuam meamque causam audiente charissimo parente deducam. Quod est enim crimen illud, cujus arguimur, quod non in quemvis nostri similem torqueri possit ? Quis liberos defunctæ matri superstites Rex habet, qui non in suspicionem vocari possunt, quod insidias struant parenti ? Quanquam in impietatis crimine parum omnino suspicio potest. Agedum proferat, qui potest, tentati facinoris argumentum ; adstruat calumniæ fidem qui potest. Quisquamne paratum venenum indicabit ? quisquamne conjurationem aut

cum

cum æqualibus initam ostendet, aut corruptos pretio famulos, aut scriptas contra parentem litteras producet? Gravis omnino res est diffidens inter se Regia; & vere spes illa Principatus ad nefarios sæpe conatus prava ingenia propellit. Nos facinoris alicuius convinci non possumus; calumnias autem refellere apud aures obturatas qui possumus? Sed liberius quasdam voces effudimus. Verum non in te pater, quod nefas esset, sed in eos, qui quicquid audiunt, effutiunt. Matrem aliquis nostrum deflevit? At non quod vitam cum morte commutarit, sed quod etiam post mortem, à quibus minime deberet, male debeat audire. Principatum affectamus, quem pater habes; quid ita? Si nobis honores regii contigerunt, & revera contigerunt, an non frustra Principatum affectaremus? Sperare licet, an rapere contenderemus? Te interfecto (sic enim fortasse cogitas) libuit nobis Principatum occupare. O misera conditionis nostræ fortuna! Cum post facinus illud atrox nec maria nos ferrent, nec terræ, Principatus fastigium ascenderemus? Vbi esset subditorum omnium pietas? ubi gentis totius religio? Scilicet scelere parto nos parricidas regno potiri & sanctissimum à te templum instauratum ingredi permisisset. Quid si cæteros contemneremus, etiamne vivo Cæsare tui interfectores pœnam evaderemus. Non iam impios, ò Pater, nec tam stultos genuisti, sed infortunatos; Tui sumus sed miseri, sed infelices tua voluntate non malitia nostra aut crimine. Quid est igitur quod accusas? Nam indignitas iam vocem intercludit, & miseria tantum lachrymas subministrat.

ARISTOB. Quod si, Pater, quod accuses, non habes, nec quicquam adhuc deprehendisti, quid est tandem quod impietatis tantæ fidem sibi facit? An quia mater periit? ô fatum, sed nobis

liberis eius fatum deplorandum ! Crede Pater, cautiores nos potius, quam irritatiores reddere debuit miseræ mors parentis. Sed nunc Clementissime Cæsar, omnium domine, Arbiter æquissime, te rogamus, & obtestamur, ut si de nobis ponere suspiciones pater non possit, vivamus tamen infelices, vivamus miseri, siquidem nihil esse miserius potest, quam ficti criminis insimulari.

ALEX. At tu, O Parens, (neque enim hoc nomen unquam plenum amoris, plenum benignitatis, vel in ipso supplicio invocare reformidabo) ô Parens, si à nobis timere tibi pergis, tua pietate salva, nostra sententia damnemus; neque enim usque adeo cara nobis est vita, ut eam cum authoris molestia retinere velimus. Si condemnare filios, Pater, non audes; ecce tamen parati sumus; si vivos videre filios pater non potes; moriamur.

ARISTOB. Moriamur.

AVGVST. Etiamne ille animus vester est Adolescentes? Etiamne mori conscientia suggerit?

MOECEN. Generosæ indolis conscientia Cæsar, adolescentes vincit, non ut sceleris pœnas petant, sed innocentiam turpitudinis nesciam testentur. Nondum à parente criminationis allatæ vident argumenta, & iam mori volunt, ut honesta indoles suspicionem evitet.

AGRIP. Tuum est Cæsar, mœrori consulere, & calumniam ab innocentia, qua potes æquitate, depellere. Non fert ipse iam puer filiorum aspectum tam mœstum, tam abiectum. Qui potuit accusare, defensionem ferre iustam non potest, & iam dolet in dolore filiorum.

AVG. Vt tristes & deiecti estis Adolescentes? nunquid erigit innocentia bene conscios, deprimit error male conscios?

MOEC. Illa ætas adolescentum florida Cæsar, illa

illa indoles in hoc flore ætatis æquitatem tuam pro innocentia implorat.
AGRIP. Fac esse reos suspicionis; certe facinus nondum accusatio probavit. Hoc efficere non potuerunt qui tantam impietatem ignorant; nec illam evitare.
AVG. Equidem insontes estis Adolescentes peccastis tamen, qui tales vos parenti non præstitistis, ut in vobis nulla suspicio hæreret. Non satis parentem amare videntur, in quos licet insontes, læsæ pietatis suspicio cadit. Et ut parva nubecula solem alioquin serenissimum obscurat, ita minima suspicio filiorum in parentes lædit officium. Nihil à vobis factum credo, nihil tentatum arbitror: tamen ecce nata est è moribus suspicio, & quod non est, videri potest. Innocentia vera non satis habet carere culpa, careat suspicione oportet. Tu tamen Rex Herodes, desine jam male de filiis tuis suspicari; & qui suum in te amorem nunquam deposuerunt, innocentes tuo non careant. Reconciliare filiis tuis, & in gratiam tecum vel hodie revertantur. Nimis est iniquum talibus calumniis fidem habere. Si offenderunt te filii tui, nondum esse pater desiisti medebuntur prioribus offensis in posterum, & pristinum amorem redintegrabunt, si suspiciones illas tuas deleveris. Colatur hinc pietas diligenter, & inde diligenter. Incipite vos & estote primi Iuvenes, ALEX. Amantissime Parens, etiam dum male de nobis suspicaris, amamus te tamen, & in tuo amore, si vis, moriemur.
ARISTOB. Potius tamen, Amantissime Parens, recipe te amantes filios in amorem, & tua pietas non eos dedignetur, quos odisse non potes.
HERODES. Imo vero, vicistis filii parentem, venite rursus in amorem, & hoc pectus pignus amoris habere. Desino suspicari, ut sitis mei, jam imo mei estis cum desii suspicari. Flexerunt calum-

lumniæ quædam iracundiam, sed innocentiæ vestræ vera pietas permovit amorem.
MOEC. Gratulor vobis, Regii, Iuvenes. Macti illa pietate vestra, & generosa pectora nunquam impietatis fraus subintret; vivite rursum digni parente.
AGRIP. Vivite digni servatore vestro Cæsare; multum est sola innocentia defendisse, nec parum judice Cæsare accusationem evitavisse.
ALEX. Erit hoc beneficium tuum perpetuum apud nos Æquissime Cæsar, nec eius laudationem ulla ætas obliterabit; Reddidisti parenti filios.
ARISTOB. Reddidisti filii Parentem. Gratias agimus. O Cæsar, siquidem nos tua æquitate, & gratia dignos judicasti.

AVGVSTVS CÆSAR.

Ita in posterum amate Parentem filii, ita tu Parens in posterum ama filios. Liberam tibi potestatem concedo; ut aut è filiis successorem eligas, quem voles; aut, si malis, regnum in filios distribuas.

HERODES.

IMO vero, Cæsar nunquam committam, quin in tua quam diu vivam potestate, & regnum meum sit, & filii mei.

F I N I S.



NICOLAI VERNVLÆI HISTORIOGRAPHI REGII ET PVBLICI Eloquentiæ Professoris.

ORATIONVM SACRARVM VOLVMEN SINGVLARE.

IN FESTA DEIPARÆ VIRGINIS, ET ALIQVORVM DIVORVM.



COLONIÆ,

Apud IODOCVM KALCOVEN,

ANNO M. DC. XLVIII.

INDEX

ORATIONVM SACRARVM

ORA-



Oratio Prima PANEGYRICA IN CONCEPTIONEM Virg. Deiparæ



CVM arduum omnino, ac supra omnem Eloquentiæ humanæ conatum esse semper duxerim, AVDITORES, de excelsa divinæ Matris ac Virginis dignitate vel robustæ facundiæ subsidio loqui, vel calami diserti officio immortalitati quicquam consignare, tum hodie omni animi constantia destitutus, & vehementissimis insuper perturbationum fluctibus agitatus volens nolens experior. Etenim dum animum ac mentem admiratione quadam sopitam excito, ut arcanam Virginis Deiparæ in utero materno formationem, qua potest cogitatione, complectatur inardescit ipsa, & ferventissimi amoris cupiditate concitata, parum existimat tanti mysterii sublimitatem admirari, nisi etiam soluto animo & ore, quantum fas est, possit evulgare: at vero dum in secreta illa operantis divinæ Maiestatis adita introspicere admirationis argumentum sumptura conatur, & vel hiscere tantum præsumit, quantum amor audet & impellit, tantum formido detrectat & retrahit. Ita nimirum comparatum est, ut cum ingenia humana, quantumvis acuta & subtilia, ad rerum divinarum, quæ omnem Natu-

Exordium à materiæ prauitate.

Excitatio ad operis incepti continuationem.

Extenuatio ex constitutione naturæ

ræ vim & modum exſuperant, contemplationem accedunt, inuſitata quadam luce ſubito perſtringantur, ac cæcutientia nihil videant, multo minus prædicare quicquam poſſint: quod earum rerum conditio communes Naturæ vias ſupergreſſa nullo hominis ingenio cognoſci, nulla vocis humanæ facundia extolli, ſolis vero æternitatis ipſius oculis comprehendi poſſit, & uſurpari. Accedit etiam quod quemadmodum excellentes ingenio arteq; pictores cum eximium aliquod Artis ſuæ opus, quod ſolo propemodum aſpectu poſteritatis omnis admirationem & invidiam concitet, elaborare perficereq; contendunt, intra veli obducti latebras ipſi pingendo deliteſcunt, nec prius publicæ luci & multitudinis oculis elaboratam à ſe tabulam exponunt, quam ſupremam ab ea manum removerint: ita prorſus in efformanda ea Virgine, quæ omnem pulchritudinem ſua venuſtate complecteretur, Divina Maieſtas feciſſe videtur. Nam cum eam fingere talem ipſa vellet, quæ omnium divinorum ornamentorum quoddam eſſet compendium, ſapientiæ infinitæ theſaurus, miraculorum omnium miraculum, & divinitatis cuiuſdam vmbra, non prius in communem hanc orbis univerſi lucem produxit, quã eam intra maternum ſanctiſſimæ Annæ uterum, quali intra velum obductum, æternæ ſapientiæ ſuæ penicillo, & cœleſtium omnium gratiarum coloribus pulcherrimam perfectiſſimamque reddidiſſet. Quod cum ita ait, quid inter hos piæ cupiditatis & iuſtæ formidinis fluctus agam, dum hinc amor ad dicendum impellit inde timor ab oratione deterret? imo vero quid de Virginis Conceptione eloquar, ubi nihil video, & velum Divina Maieſtas obduxit? Permitte tamen ô Maria, ita enim te obteſtor, permitte hodie curioſum me eſſe, ſed pie, ſed ſanctè; non protinus imprudens vel verius Impudens velum reducam,

Amplificatio à ſimili. *Applicatio.* *Propoſitio.* *Apoſtrophe ad B. Virginem.*

cam, & in sacra hæc arcana irrumpam, verum propius tantum adstabo, & quæ pia curiositate velut per rimam aliquam ducta ad efformandum corpus tuum animamque poliendam à divinæ Maiestatis manu lineamenta animadvertam, quantum fas est & permittes Auditoribus meis, ut tui amore inflammentur, manifestabo, vos vero Ornatissimi AVDITORES, curiosam hanc pietatem meam aure inprimis, tum benignissimæ, voluntatis aura excipitote: & quanquam non is sim, qui tam eruditæ coronæ splendorem sustinere dicendo possim, dabo tamen operam, ut quod assequi facundia non possum, rerum dicendarum, & sublimis argumenti dignitate videar obtinuisse.

Captatio attentionis.

Sed in primis priusquam ad hæc arcana propius accedam, illud à vobis inquiro, quidnam tandem præpotentem illum universitatis totius pictorem ac fictorem Deum divina ejus latitante sub velo sapientia providentiaque pinxisse formavisseque existimatis? An famosam illam Noemi Arcam? An evolantem ex ea pacis nuntiam & viridem ore ramum gestantem columbam? An Iridem versicolorem & pulcherrimum fœderis æterni in cœlo signum? An excelsam illam quæ polum cœlumque tangat, Iacobi scalam? An tabernaculum illud quod Altissimus ipse sanctificavit? An Salomonis ex ebore thronum? Ezechielis portam orientalem? Danielis arborem præcelsam? Non hæc hodie, ista olim nec vivis coloribus, sed umbris duntaxat veteris ævi Patribus, Patriarchis, Prophetis, ut suam illis aliqua in tabula matrem adumbraret, repræsentavit. Quid si formosissimam Iuditham? quid si venustissimam Saram? quid si speciosissimam Estheram? Quid si gratiosam Abigaelem, aut amabilem Susannam? Vmbræ illæ, & huius, quam investigamus, pulchritudinis umbræ fuerunt.

Transitio, ad rem ipsam & primum argumentum.

Repetitio ex ævi prioris monumentis.

Alia à veteris testamenti venustissimis personis desumpta.

Nolo

Nolo iam inquirere: quanquam quid inquirere: nolo suspicari vos hic aliquam Helenam Paridis Idolum cogitare, aliquam Ariadnam Bacchi delitium, aliquam Europam Iovis delirium, aliquam Deianiriam Herculis exitium: non Argiam, non Cinthiam, non Lauiniam, non Lucretiam, non Cleopatram, non Cassandram, non alias prisci ævi sexcentas, quæ quanquam pulchritudinis quædam inusitatæ portenta fuerunt, vitiorum certe monstra vel virorum charybdes extiterunt. Forte Lunam aliquam, forte Solem, forte saltem Auroram. Nolite, nolite id arbitrari; pallescit ad hanc imaginem sol ipse, deficit luna, non apparet Aurora. Mariam, AVDITORES, Mariam hodie cœlestis ille fictor effinxit, quam cum nomino, dico Arcam, per hanc enim ad salutis portum homines appulerunt; dico columbam, hæc enim prima pacem suo exortu nunciavit; dico Iridem: fuit enim reconciliatæ nobis divinæ Maiestatis signum; dico scalam, gradum enim nobis ad excelsum illud cœlestis imperii Palatium præbuit; dico tabernaculum & thronum, in hac enim habitavit æternus Imperator, & in ea sedens largitatis infinitæ thesaurum hominibus omnibus sd ssimulata maiestate communicavit.

Amplificatio Mariæ pulchritudinis.

At vero ubi tandem tantum hunc & tam admirandum pulchritudinis omnis & venustatis eximiæ thesaurum præpotens ille Artifex efformavit? Commemorant Historici, quorum calamis ut virtuti suus honor habeatur, sæculorum oblivio debellatur, quod cum Tyriorum servi dominis suis ferro oppressis & occupata Republica de Rege creando consilium inirent, consultantibus hæc regni capescendi ratio inciderit, ut is, qui die insequenti solem Orientem primus vidisset, Rex ab omnibus salutaretur. Erat inter eos mitioris quidam ingenii, qui dominum suum Stratonem non truci feritate, sed piæ misericordiæ humanitate

Ab exemplis

Tyriorum mos regem creandi.

tate respiciens ab eius vita crudele ferrum removerat, & latentem fovebat. Rem igitur ad illum defert, quod ingenua servilibus ingenia præstare existimaret, moneturque ab eodem, ut cæteris in Orientem spectantibus solus ipse occidentis regionem intueretur. Abit & Domini consilio acquiescens cum cæteris in campum procedit, ubi cum in Occidente solis ortum quærere videretur eiusque stultitiam vel potius, ut existimabant, furorem passim omnes sugillarent, ecce dies adventare cœpit, editissimisque culminibus urbis Oriens splendere, expectantibus aliis ut ipsum solem aspicerent, hic primus solis fulgorem omnibus in summo civitatis fastigio ostendit. O te senem ingeniosum & prudentem, non illa tantum, quam expertus es, commiseratione, sed diademate, quod tum tibi, ut prudentissimo servi detulerunt dignissimum. Ita sane cum esset quoque ea Patrum ætate Diva Anna virtutum sublimitate mons quidam excelsus; & in ætatis jam inclinantis, Occidente positus, ubi adventare, mortalibus salutis dies & justitiæ sol exoriri cæpit, primi ejus in ea radii terris omnibus per Mariam apparuerunt. In hoc monte tanquam in superbo præclarissimorum ornamentorum fastigio primus nascentis Auroræ fulgor est exceptus, ut cum illum mortales intuerentur, certissimam tandem aliquando orituri solis spem non dubiis animis conciperent. Atque hæc est AVDITORES, Sanctissima Anna, cuius castissimum uterum velut tabulam pulcherrimam hodie sibi Deus elegit, ut in ea Matrem suam cœli terræque Reginam efformaret. At quomodo? qua temperie? quibus coloribus? qua venustate : Non quemadmodum Zeuxis olim Helenæ illius famosæ famosam imaginem ad quinque puellarum spectandæ pulchritudinis exemplar, ut quicquid esset in iis admirandæ venustatis, in hanc trans-

Exclamatio.

Comparatio.

Collatio pulchritudinis Helenæ à Zeuxe depictæ virginis.

pulchritudo præfertur. ferret, depinxit, sed ad illud quod æterna mente complectebatur, pulchritudinis infinitæ simulachrum ita effinxit, ut quicquid in omnibus seu terræ seu cœli civibus decoris inusitati gratiæque reperiretur, totum illud & amplius, & amplius in sacratissima hac Genitrice sua congereret atque ita congereret, ut non tantum pulcherrimarum pulcherrima videretur, sed sola pulchra, sola formosa, sola speciosa diceretur. Et quoniam jam inardescit animus in vobis, quantum quidem animadverto, hoc excellentissimæ formæ prodigium cognoscendi cupiditate, vestræ illi cupiditati libenter favens, & huic meæ curiositati aliquid indulgens iniiciam jam in tabulam oculos, & pictore ipsum intenta acie considerabo. Quin ecce jam inspicio, & sacratissimæ Virginis sacratissimum corpus tam excellenti temperamento, tam apta membrorum omnium conformatione, tam firma constantique complexione à Deo componi formarique animadverto, ut nulla ei nocere contagio posset, in nullum ipsa incidere morbum, qui quidem morbus esset appellandus, valeret. Ita Galatinus, ita Card. Caietanus, ita plures alii crediderunt, & tradiderunt. Neque tantum ea corporis eius firmitas fuit optimaque compositio, verum etiam tanta præstantia, ut desideratissimum suavissimi cujusdam odoris ex se fragrantiam exhalaret, ut Divus ipse Dionysius attestatur. Non mihi jam Alexandrum suum Macedonia jactitet, cuius è corpore non insuavis odor efflabatur. Non extollantur veterum quidam Ægyptiorum, qui cum summa victus parsimonia uterentur, nec ullis essent unguentis delibuti, auram quandam suaveolentem emittebant. Fuit hoc Virgini Deiparæ debitum, adeoque etiam divinitus illi concessum, ut odorifero corpore esset, & in suavitatis suæ odorem jam tunc mortales inusitata fragrantia pertraheret. Iam vero si ea

Ostenditur B. Virginis pulchritudo.

Testimonium Galatini & Caietani.

Aliud Dionysii de sua vis odoris fragrantia Virginis.

si ea fuit tam admiranda, tamque divina corporis eius constitutio temperiesq; quã existimatis elegantem ad venustam totius oris ac vultus eius speciem exstitisse? Habuerit aurum in comis Galatea argentum in pedibus Thetis, violas in palpebris Venus, rosas in digitis Aurora: fulserit in aliarum gentis Ostrum, micuerit in fronte narcissus extinxerint oculi violam, comarum cirri hederis fuerint implicatiores, totius corporis pulchritudo cum prati floribus certaverit: imo etiam fuerint in aliis omnia aurea, argentea, eburnea, lactea, gemmea, corallina, cuiusmodi in meretriciis illis idolis turpiter ingeniosa luxuria insidiosis coloribus comminisci solet: illud dico tantum in sacratissima Virgine totius orbis ac corporis venustatem elegantiamque fuisse, ut viva ac spirans esset non humanæ sed divinæ pulchritudinis imago. Nimis essem curiosus, si ad præcellentis huius formæ dignitatem vobis ostendendam comas supercilia, frontem, oculos, cervicem, collum, si singula denique membra numerando exornandoque consectarer; quod erant in ea membra, tot erant supremæ pulchritudinis simulachra; quod erant in ea corporis partes, tot erant novæ cælestis illius pictoris Artes. Quod si evocandi sint ad fidem testes, prodeat Gregorius Nazianzenus, hanc Virginem fœminas omnes formæ dignitate longe antecelluisse proclamabit. Adsit Andreas Hierosolymitanus, illam statuam à Deo sculptam, rectè descriptam, & eximiæ pulchritudinis appellabit. Audiatur Richardus, Victorinus, eam vultu Angelico tam corpore quam mente decoratam fuisse protestabitur. Veniat huc Damascenus, & quid obsecro dicet: audire videor. O digna Deo Filia, humanæ Naturæ venustas, primigenæ matris Evæ correctio, mulierum ornamentũ, pro qua tot inter se sæcula certaverunt, quodnam tuo tandem ortu

Virginei vultus descriptio.

B. Virgo imago Divinæ pulchritudinis.

Confirmatio à testimoniis Apostrophes

Definitiones conglobatæ

gloriaretur. Citentur huc etiam Alber Mag. & Antoninus, nihil aliud profectò dicent, quam id omne quod summum & perfectissimum esse potuit in formæ dignitate Deo ac Natura in hoc vitæ statu operante, in hac Virgine cumulatissime reperiri, cuius corpus fuit, Dionysio teste, divinæ sapientiæ circino formatum, pulcherrime circumcisum plenissime ac speciosissime operatum. Quanquam dum hæc considero attentius, & ab hac virginei corporis formositate avelli vix possum, iam in animæ lineamenta festinantes oculi inciderunt. Venio quo me trahunt, & ô bone Deus! si nulla virgineo corpori Eloquentia describendo par esse potest, quæ non hic facundia obmutescit? Rex Sapor, ut Historici referunt, cum in lucem nondum editus intra materni uteri angustias latitaret, & Proceres, quod eius è vivis parens excessisset, de Principe novo consultantes quorundam augurum coniectura masculum eum esse deprehendissent, posito supra uterum maternum sceptro ac diademate in Regem est coronatus. Ita ille Rex fuit antequam natus, sensit prius coronam, quam lucem, & ubi vitæ initium sumpsit, ibi gloriæ suæ thronum invenit, quique homines nunquam viderat, homines habuit obsequentes & adorantes. Sed nunquid hæc quoque Virgo, cui cæli terræque sceptrum ac diadema debebatur, quæque ab æterno iam erat ordinata priusquam communis auræ beneficio frueretur intra uteri materni compages coronata fuit? Ita ita prorsus existimo: coronam accepit, non illam auream, sed virtutum omnium gemmis intertextam: sceptrum accepit, non illud eburneum vel auro rutilante fabricatum, sed divina quadam arte compositum, & puriori gratiæ cælestis argento vestitum. Audire vultis quanam virtutum coloribus Virginis animam cælestis ille Pictor exornet? Modestiæ laudem olim

Animæ B. Virginis descriptio Rex Sapor antequam natus Rex creatus est.

Comparatio huius cum B. Virgine.

Declinatio virtutum quibus ex-

olim Aspasia, prudentiæ Livia, maiestatis & gravitatis Sulpitia, patientiæ Cornelia, verecundiæ Lucretia, fortitudinis Porcia, diligentiæ Tanaquil, frugalitatis Plotina, retulerunt; sed apage errorum istorum & desipientis ævi non miranda miracula. Non fucata hic sed vera virtus, non umbra, sed lux immensa, non gratiæ rivus, sed Oceanus non ornamentum apparens, sed supra conditionem humanam exornans. Dico ergo tantam ac tam copiosam virtutum omnium ac divinorum charismatum vim in hanc virginem nondum natam collatam esse, ut in matris adhuc utero dignitate superaret quicquid post Deum admirandum esset in cœlo. Dico iterum, & quia vere audacter, quia de Maria libenter, ita præpotentem illum Deum in ea exornanda laboravisse, ut cum conferre nihil amplius propemodum posset, conferret tamen semper amplius, & quod olim de Protogene celebri pictore celebrior Apelles dixit, manum de tabula tollere nec posset nec sciret. Adhuc erat in utero, & iam cœlo excelsior formabatur; nondum lunam intuita fuerat, & iam pulchra ut luna resplendebat? nondum solem aspexerat, & iam electa ut sol mundo exoriebatur; nondum infans, & iam regina; nondum nata, & iam Dei mater destinata; nondum vitam ingressa, & iam vitæ ianua constituta. Quid dicam de divino eius intellectu? quid de ardentissima promptissimaque voluntate? in illo rationis usus singulari Dei providentia fuit acceleratus. in hac divinæ bonitatis charitas inflammata, ut Deum in cælo vix concepta in utero cognosceret, & Deum priusquam homines amaret. Talis quippe iam in vtero fuit,

ornata fuit Maria.

Contrapos. 13 conglobata.

B. Virgo antequam nata castitatē vovit.

——Cui nitenti matris ab aluo
Protinus inconcussum & ineluctabile votum
Virginitas fuit una.

Cum enim primo illo suæ Conceptionis instanti Virginitatis decus eximium agnosceret, concepto voto Virginitatem suam divinæ Maiestati obstrinxit. Talis fuit, ut singulari cælestis gratiæ prærogativa non prius vitam susciperet, quam eam divinæ providentiæ custodiam tutelamque, ut delicto aliquo nunquam posset contaminari. O si illam videre qui iam vixerant, veteris ævi Patres, clarissimi eius Maiores potuissent! Vidisset tum in ea fidem suam Abrahamus, obedientiam suam Isaacus, longanimitatem suam Iacob, patientiam suam Iob, castitatem suam Ioseph, Mansuetudinem suam Moyses. Cessisset illi innocentia Abel, fiducia Noe, inimicorum dilectione David, prudentia Abigail, virginitate Sunamitis, magnanimitate Iudith: hæc enim omnia in Virginem nondum natam divina quadam munificentia confluxere. Imo vero si qui vitam nondum adspexerant, videre illam tamen in utero adhuc delitescentem orientis tum ætatis novæ Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines potuissent, nunquid ab eius puritate puritatis suæ facem Agnes accendisset, ab ea fortitudinem Apollonia didicisset, constantiam Agatha, sapientiam Catharina, modestiam Cæcilia, zelum Vrsula denique Apostoli charitatem, Martyres invictum robur, cæteri omnes sanctitatis omnis initium ac documentum accepissent? Nihil enim, Bernardo teste, virtutis est, quod ex ea non resplendeat, & quicquid singuli habuere Sancti, id omne sola possedit, ut non immerito gratiæ abyssus à Damasceno, Collegium Sanctitatis à Petro Chysologo nominetur. Sed verborum iam satis, videre curiosa pietas magis exoptat, quam audire, & quæ pulchra sunt non tam explicari, quam oculis aut animis debent usurpari. Erigite animos igitur, AVDITORES, & quam hactenus non ab homine, sed à Deo tam operosè formatam

Amplificatio virtutum B. Virginis.

Testimonium

Transitio.

tam ac condecoratam intellexistis, animo vos intueri putatote. Ecce enim velum reduco, & ut nō tam audiatis, quam ipsi videatis cortanas aperio. O mulierum decus! ô cœleste prodigium! ô vere pulchritudinis omnis, omnis gratiæ, omnis virtutis compendium! Nulla, dicam cum erudito Bernardino: *Exclamatio.*

Nulla fuit tanto mulier redimita decore.
Quæ speciem superet Virgo Maria tuam,
Candidior niveo rutilas Regina colore,
Et radiis cedit clara Diana tuis.
Luna suum perdit tecum sociata nitorem
Atq; comes nullum sol tibi lumen habet.

O quas non amoris divini faces illa corporis animæque formositas jaculatur, Illam cum intuitus esset præpotens ipse rerum omnium moderator, tantopere in eius amorem exarsit, ut de ea non tam verbis quam affectu loqueretur, & cum loqui quasi non posset amore victus, nunc illam speciosam suam, nunc formosam suā, nunc amicā aut columbam suam tantū appellaret, nonnunquā etiam in admirationem ejusdem abreptus plenissimā hanc amoris vocem emitteret. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es. Non ignoratis apud Indorum venatores ita usu arteq; receptum esse, ut cum illaqueare Monocerotem contendunt, formosam aliquam & excellenti decoratam venustate Virginem obviam ei sistant, quæ ubi sinum aperit & expandit, confestim deposita ferocitate Monoceros in eo caput reclinat sequi capiendū prosternit. Hæc est, hæc est illa virgo, non humana sed divina plane pulchritudine donata, cuius ubi sinū expansum cælestis Imperator aspexit deposita protinus, quam in hominum genus conceperat iracundia, & divinæ propemodum maiestatis oblitus, in eo caput reclinavit. Illa erat formæ eius maiestas, ut cum in divinum eius vultum intentam oculorum

Mos Indorum capiendi Monocerotem.

Deus Mariam pulchritudine capitur.

aciem contorquere ſanctiſſimus Ioſephus vellet, nimio fulgore perſtrictus reducere vultum cogeretur. Vidit illam aliquando Divinus ille Dionyſius, verum cum nimia eius pulchritudine captus non mulierem, ſed Deam exiſtimaret, prolapſus in terram propemodum adoravit. Videre illam voluit aliquando, ut Sylvanus Razzius atteſtatur, clericorum neſcio quis, & ut videret multa precum aſſiduitate contendit. Annuit eius votis piiſſima Virgo, ſed ita, ut quibus oculis pene divinum eius decorem intuitus eſſet, uſurpare aliud nihil unquam poſſet. Quam ille conditionem cum accepiſſet, & jam oculo uno clauſo virgineæ pulchritudinis plane cœleſtis ac divinæ conſpectu frueretur, in eoque defixus nunc in ſe deficeret, nunc extra ſe raperetur, tandem etiam & alterum oculum aperuit, utriuſque oculi jacturam pati potius paratus, quam tam eximiam pulchritudinis inuſitatæ gloriam non utroque oculo conſpexiſſe. Hac pulchritudine ita detinebatur Margaretha Dominicam ex illuſtriſſimis Hungariæ Regibus oriunda ut quoties Deiparæ ſacram imaginem præteriret, hæreret amore capta, genua flecteret, humi proſtrata ſalutaret. Hac pulchritudine ita animo percellebatur Fridericus III. Princeps Auſtriacus & Romanorum Imperator, ut quoties de ea cogitaret, ciborum omnium obliviſceretur. Hac pulchritudine ita medullitus ſauciabatur Henricus II. Bavariæ Dux & Imperator, ut cum urbem aliquam ingrederetur, primam in templo Deiparæ ſacro noctem ejus animo decorem eximium contemplando tranſigeret. Quid dicam de Ludovico Francorum Rege, cujus animum Deiparæ dignitas ita permovit, ut dato impoſterum meridie publico campanarum ſigno ab eam omnibus toto regno præceperit ſalutari? Quid de Stephano Hungariæ Rege? Non potuit ille, niſi ſub Virgine, quam de-

S. Dionyſius eam ut vidit adoravit.

Sylvanus ut eam vidit oculo privatur.

Alia exempla aliorum qui Virginis pulchritudine capti, multa & magna fecerunt.

peri-

peribat, regnare ideoque tutelæ eius ac potestati Hungariam uniuersam, quam Mariæ familiam appellabat subiecit. Quid de Hedvvige Poloniæ Duce sanctissima. Hæc sacratissimam Dei matrem ut par erat, ita ardenter amabat, & in eius pulchritudinis admirationem rapiebatur, ut illius semper imaginem circumferret, oculis usurparet, manibus contrectaret, avelli omnino ab ea non posset. Innumeros alios & alias omitto, ne vos Auditores omittam. Quid? & illæ, illæ emissæ ab hac divina pulchritudine sagittæ non omnium animos, nō alicuius saltem animum suauissimo amoris vulnere sauciabunt? Et illæ, illæ, faces ab oris decore, ab animi splendore vibratæ non omnium pectora, non alicuius pectus inflammabunt? Imo, imo sauciabunt, non ferrea aut ænea sunt hic corda; imo inflamabunt, non saxea, nō adamantina sunt hic pectora. Amamus, ô Maria, nec diffitemur, pulchritudinem aliquam excellentem at tu omnis pulchritudinis dignitatem tibi vendicasti: amamus in pulchritudine virtutem, in virtute maiestatem, in maiestate humilitatem; at tu pulchritudini virtutem admiscuisti, & in te raro miraculo pulchritudinis & pudicitiæ, maiestatis & humilitatis concordia est. Quis ergo ita ferreus reperiretur, qui tuis ardere flammis non optaret? Non non hic amor noster rivales timet aut odit. *Interrogatio ad auditores*

Omnibus una potes, simul omnibus una placere.
Omnibus una simul plus satis esse potes.

Invocatio & conclusio.

Hoc petimus, ut quæ hodie in utero materno concepta es, hodie quoque in nostris animis ac pectoribus ferventissimi amoris desiderio, concipiaris, ut, inquam, nos ames tuæ pulchritudinis amantissimos, mutuoque amore, tu tuo in nobis, nos in te nostro vivamus. Cuius affectus si testi-

monium ac fidem requiris, en ipsum vide Sodalium tuorum effectum, qui quoniam plus amando dicunt, quam loquendo, suum amoris silentium resigno, & conticescens hoc unum pro omnibus protestor, Te ô Maria amamus. DIXI.

ORATIO II.
In eandem.
CONCEPTIONEM
B. MARIÆ VIRG.

Exordium à magnitudine omnipotentiæ divinæ.

VEritatis ille Philosophus ingeniorumque Phænix & Princeps Theologorum Aquinas cum magnitudinem Omnipotentiæ divinæ ac operum Conditoris æterni præstantiam dignitatemque, quantum homini fas erat, solerti mente perscrutaretur, tria reperit Naturæ vim omnem superantia, & excellentiam quandam infinitam spirantia opera, quibus Vniversum hoc illustrare, suamque mortalibus omnipotentiam manifestare testarique Deus desideravit.

Tria maxima quæ fecit Deus.

Est in primis beatitas illa sempiterna, quam oculus non vidit, auris non audivit, in cor hominis non ascendit; summum, inquam, bonum illud, contemplatio fruitioque DEI, qua velut torrente voluptatis inebriantur, quotquod Curia cælestis æternitatis amplexu recepit.

Primum.

Est homo Deus mortis Dominator, Orbis Reparator Christus Iesus, cuius humanitas unita Verbo hærente Natura cælorum omnem admirationem evicit, & ipsam impulit æternitatem.

Secundum.

Est Maria Virgo, amica, sponsa, genitrix hominis & Dei, quæ dum intumescente Virginitate casta intra viscera Dei Filium, Verbum æternum sapientiam Patris concu-

Tertium.

clusit humanæ vires Naturæ supergressa infinitæ dignitatis opus & omnipotentiæ cœlestis exemplar admirandum sese manifestavit. Atque hæc est, ut Verbum æternum hic tantum dotem, ad illud vero sempiternæ beatitudinis bonum gestienti animo anhelem: hæc est, quam hodie orbis Architectus atque idem Imperator Deus, dum à terris elati gemitus divinum Amorem impellunt, & clementiam miseriis humanis inclinant, efformavit, ac in qua providentiam omnem deposuisse prudentiam infinitam attrivisse, universos cælestium gratiarum thesauros consumpsisse Divina Maiestas, exhausisseq; videtur, ut meliorem, digniorem, præstantioremque producere, ne dicam excogitare, non possit. Quod cum ita sit, quo me tandem hodie convertam qui sacri Oratoris officium, tantique operis ac Dei matris præconium suscepi, ut paribus humeris ac justæ vocis dignitate miraculum illud admirandum aggrediar ac deprædicem? Eritne vox ulla aut oratio quæ cælestis etiam facundiæ pondere immensam operis illius excellentiam adæquet, quo nihil unquam excellentius factum est à Deo, nihil unquam fieri potest præstantius ab eodem? Sed quoniam premenda vox non est, ubi lucis illius exortum videmus, à cujus aurora cæterorum omnis ævi dierum vesper Solem accepit, quamque geniales inter dies numerare mundus jure potest, nobilissimum pictorem Timanthem imitabor, qui Cyclopis ingentis parua in tabula magnitudinem expressurus, pollicem duntaxat ejus, quem Satyri juxta picti thyrso metirentur, penicileo adumbravit. Nolo enim facundiam hic ostentare, ubi omne vocis officium rei miraculo Omnipotentia pervicit; mallem quippe pii laboris officium impia taciturnitate detrectare, quam jactantiæ jungere temeritatem. Designabo igitur Conceptam hodie Virginem, & si mihi

Amplificatio à præstantia Virginis.

Exemplum Timanthis sequitur.

Propositio cum capta

tione atten-tionis. cogitationum vestrarum usum concedatis, Ornatissimi Viri, (neque enim de attentione aut favore dubitabo, quem iam alias ex hoc loco sum expertus) tantum admirabor, sed vobiscum excellentem illam Conceptæ Virginis structuram, in qua non homini, sed Deo habitatio præparabatur. Et vero mutuari hic lucem aliquam ab illo splendidissimo utriusque mundi sole, cuius radiis ac fulgore quicquid est natum aut creatum illustratur & coruscat, deberem, sed ne Lunæ luminis magnitudo oculorum aciem perstringat, ad te Maria, Luna nostra,

Apostrophe ad ipsam Virginem. hodie salutis Aurora recurro: tu, dum mihi de te sermonis huius principium & exitus erit ille publicæ fælicitatis auspex dies qui te primus animavit, facundiam hodie tibi ancillantem aliqua gratiæ derivatione iuva auge, continua. Nam si divinis rebus operantes in eam cœli plagam ora convertimus, à qua lucis exordium est, jure tibi præconium hoc soluturus gratiam à te posco, à qua religionis, libertatis & omnis felicitatis lux incepit. Equidem qui audent de te dicere, magnitudinem tuam ignorant: sed & qui non audent, humanitatem.

Confirmatio à more principum huius sæculi. Solent qui lege sua ac nutu frænant Orbem Principes ac Monarchæ, cum civitatem aut deliciarum domum aliquam à fundamentis excitare concupiscunt, in qua aut maiestates suas ab onere respirantes oblectent, aut ipsi quietem inter ac voluptatem novis ad gubernationem consiliis animum adornent, inprimis ex peritissimorum Architectorum consilio peritiaque futuri operis typos quosdam ac figuras vel ex cera, vel ligno, vel gypso conficere; deinde vero locum illum eligere, qui aeris salubritate conservet, fructuum ubertate sufficiat, rerum omnium ac præsertim hortorum, rivulorum, sylvarum amœnitate delectet. Vbi autem iam excitanda moles est universa, & in auras palatium educendum, ditionis

suæ

suæ regnique totius Barones, Comites ac Principes, ut novam hanc domum suis muneribus & donis exornet, invitant. Ita quondam Iudæorum Hercules & delitium omnipotentis Rex David, cum illud æmulum cœlo templum, vere mundi miraculum, non humano, sed divino conceptum consilio in Principe civitate præpararet, voluit & imperavit, ut quotquot suo in populo dignitate iuxta & potentia Principes excellerent, sua dona ac munera hoc in templum inferrent. Equidem non hominum consuetudines, & imbecillem humanæ mentis prudentiam infinitæ sapientiæ DEVS imitatur; sed tamen non ab hoc Principum ac Regum more hodie recessit, cum illam, quam ab æterno habitationis suæ structuram Matrem, inquam, suam ordinat, Sapientia providentiaque laborante formavit. Vidit & adoravit maiorum ætas typos eius ac modulos; obstupuit locum electum habitationis huius Natura, structuram omnem, postquam eius compages divina sapientia composuit ac fundavit Sanctorum omnium dignitas adornavit. Quas igitur figuras admirabiles. Æterne Deus, quos obstupescendos mundos typos ostendisti, ut futuram illam domum tuam nascens orbis intueretur & adoraret? Profecto cum in voluptatis innocentis horto scaturientem è medio fontem excitasti, iam tum generis nostri parenti primo Matrem tuam veræ fontem salutis adumbrasti: cum vero occupantibus orbem aquis, & iam imperante Clementia retrocedere gestientibus, ex Arca Noe provolans columba gratissimum illum intulit pacis ramum, tandem secundo hominum parenti designasti. Quid erat æterni signum fœderis, Arcus in cœlo? Quid erat Rubus ardens & incombustus? Quid erat Moyses Virga serpentes devorans, Aaronis Virga florens; Scala Iacob cœlumque solumque tangens, Deum loquentem ac discursan-

Applicatio ad Deum.

Apostrophe ad Deum.

Amplificatio per applicationem omnium.

prisci sæculi signorum ad B.Virginem tes sustinens Angelos? Quid erat Liber ille grandis Isaiæ? Arbor illa portentosa Danielis? Aquila illa excelsa, & Orientalis porta Ezechielis? Nondum illa sunt omnia. Quid erat ergo rursum Salomonis ex ebore thronus? Quid ejusdem de Libani lignis & argenteis columnis ferculum? Quid testimonii tabernaculum? Quid Arca testamenti illa admirabilis, quam solidissima & corruptioni nunquam obnoxia ligna componebant? Erant, ô Deus, tu huius operis ac Matris imagines admirandæ, typi mortalibus omnibus adorandi. Ita Solem præcedit Aurora, fulmen anteit fulgur, fructum flos designat; & quicquid est tandem, quod aut ab æterna mente productum dignitatem quandam infinitam ostentat, aut Naturæ vi secreta formatum excellentiam rerum superat cæterarum, miraculo semper aliquo, & signo mirabili præcedente suum ortum impellit. Non nascuntur sine tumultu ac fragore tonitrua, audiunt homines & contremiscunt. Non oriuntur sine prævia luce maiora sydera; sentiunt Elephantes & adorant. Enimvero quantæ dignitatis esse debuit illa Mater, quam omnes sæculorum omnium ætates intelligere, videre, sentire debuerunt? Intellexit Patriarcharum ætas ac Prophetarum, & hinc tanto affectu ex puteo viventium aquarum fonteque signato sitim explere desiderabat. Hortum conclusum ac Paradysum intueri, Palma, Rosa, Oliva recreari; Myrrha, Cynnamomo, Balsamo perfundi; sub Cedro ac Cupresso quiescere, Davidicæ turris propugnaculo defendi concupiscebat. Vidit Apostolorum ætas, & Virginitatis eius florem obstupescendo fructum eius admirabilem debuit adorare. Sentit ætas hæc nostra, & dum per eam cœlestis in nos gratiæ rivi exundant, vitam, dulcedinem, misericordiæ Matrem appellat. O vere felices illi, quibus in ista senescente per peccatum mundi pueritia Virgini-

Enumeratio eorum quotquot B. Virginem viderunt.

Exclamatio ex fructu.

ginis imagines ac typos contigit agnovisse! O nos vero feliciores, quibus in hac iuvenescente per gratiam mundi senectute tantæ Matris amorem ac favorem contingit experiri! Quanquam non in figuris istis, ac umbris oratio tota delitescat; veniamus ad locum, & admirabilis huius ædificii situm omnem agnoscamus. O quam incomprehensibilia sunt iudicia Dei? Quam investigabiles eius viæ! Tot erant pomposo fastu superbiæ matronæ, tot vivebant opum affluentia numeroq; liberorum glorioso, tot triumphabant in oculis orbis radianti sceptro ac diademate spectabiles Reginæ non has sed unam eligit Annam Deus. Quam Annam? humilem ac modestam; displicet enim inanibus illa ventis vanitas inflata. Quam Annam? sine magna opulentia divitem & sterilem; neq; enim aut opes orbis, aut fæcunditas cælum inclinant. Quam Annam? Regum è sanguine oriundam, non Reginam; nam non stirpium Regiarum stemmata, sed insignia virtutum nobilitatem declarant. Hic est ergo locus Honorandi Sodales, uterus Annæ, in quo domus delitiarum omnipotentis tacta hodie sunt fundamenta. Neque vero aut orationem, aut affectum continere, quin evager, & ruptis quasi repagulis insolescenti propemodum animo locum hunc omnem percurram. Desideratis amœnitatem? Lachrymarum hic rivuli strepitum edunt quem cœlum audit; precum hic Zephyri cœlestem auram impellunt, & divinum recreant amorem. Requiritis ubertatem? hic virtutum omnium plantæ florent ac producunt. Poscitis salubritatem? In Anna tanta fuit, ut eam nulla aut opprobrii contagio, aut invidiæ pestis contaminarit. Audite quid dicam. Nullius esse potuit Anna mater, nisi Mariæ; nullam potuit Maria matrem, nisi Annam, habere. Dicam amplius, non potuit Anna Mariã edere nisi sterilis; non potuit nisi steri-

Mariana visionis.

Transitio ad alteram partem confirmationem.

S. Anna demonstratur locus domus delitiarum Dei Amplificatio à circumstantiis domus ineunda.

Maria non potuit nasci nisi ex sterili sterilem Annam Maria fœcundam efficere. Nimirum, qui ex sterilitate nascuntur, miracula sunt quædam, & dum hæret ac deficit confecta iam ex sanguinisque Natura, vim omnem ac dignitatem hauriunt è cælo. Edere debebat Anna Mariam ætate postremam, donis primam, ut Mosaicæ servitutis ævum clauderet ultima, & viam libertatis Evangelicæ prima patefaceret. Nata scilic. est ad serviendum fœcunditas ad dominandum sterilitas. Produxerat Sampsonem sterilitas; ille officio multitudinem continuit. Produxerat Isaacum sterilitas; ille patris Abrahami progeniem præceptis informavit. Produxerat sterilitas Samuelem; ille Iudæorum clero servitutis calamitatem prædixit sanctitatis leges indixit. Produxerat sterilitas Iosephum; ille consilio suo totam Ægyptum temperavit. Produxit sterilitas MARIAM; illa Serpentis caput contrivit, Iustitiæ Solem peperit, currere nos hodie fecit in odorem unguentorum suorum. Atque utinam (sine voto enim præterire hunc locum non possum) utinam Sodales, steriles essemus & peccatis omnibus exuti! conciperetur in animis nostris illa, quam hodie conceptam in orbe lætamur; nasceretur in pectoribus nostris Deus, qui hodie in sterilis utero matronæ habitationem suam præparavit. Utinam etiam humiles essemus, dum sterilis humilitatem Annæ cælestium gratiarum imbribus irrigatam fuisse videmus. Æsopus sciscitanti olim cuidam, quid super æthereos orbes Iupiter ageret, Excelsa, inquit, humiliat, & humilia extollit. Etenim

Confirmatio ab exemplis.

Effectus sterilitatis S. Annæ.

——— Celsæ graviore casu
Decidunt turres, feriuntq; summos
Fulmina montes.

Ite nunc Ixiones superbi, in montibus vanitatum humanarum extruite, Excelsus Dominus hu-

humilia, respicit & alta à longe cognoscit. Inserite nubibus capita, & sublimi ferire sidera vertice; superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Non in validissimis lacertis, sed in crinibus vilissimis Sampsonis robur erat; non in membrorum immanitate ac proceritate, non in armis gravissimis contra Goliath spurium illum Gigantem, spem suam David collocarat, sed in funda paruisque lapillis. Quanquam ne locum hunc tantum, quem in humilitatis valle Deus elegit, structuræ ipsius obliti consideremus, ad structuram ipsam accedamus. Quid hic eloquar aut admirabor? qua voce dictionem impellam, ubi silentium miraculum imponit? qua ratione silentium tuebor, ubi dignitatis magnitudo dictionem extorquet? nec loqui licet, nec silere, fortassis admirari licebit. Cum Salomonis toto orbe templum celeberrimum divino imperio, humanâ vero opera ædificaretur, quoniam dolati jam ac perfecti lapides erant, non malleus, non securis, non instrumentum quodvis aliud intra consignata templi spatia fuit auditum. Ita etiam vel egregii pictores, vel excellentes sculptores cum rarum aliquod & admirandum opus moliuntur, velis obductis in silentio ac secreto laborant. Et obsecro quis perscrutetur, qua naturæ vi secreta intra aluearium favus existat? quo artificio uniones atque aurum intra terræ viscera Natura producat? quomodo gemmæ ex rore cœlesti intra conchas recepto concrescant? Nihil dico de rosis, nihil omnino de floribus aliis, qui cum intra tenerrima vascula tanquam in secretis conclavibus Naturæ formentur, ubi prodeunt in lucem, gratissimo conspicientium aspectu mentes atque oculos oblectant. Igitur Divina Maiestas, cum Domum suam ac Matrem intra Annæ uterum formaret, non aliquo cum tumultu, sed silentio summo atque attentione; non apertis velis,

Humilitatis effectus.

Sustentatio.

Comparatio ædificii huius cum ædificio templi Salamonis similitudo.

Applicatio.

lis, sed obductis, illinc Prouidentia Gratiarum cœlestium thesauros ministrante, hinc sapientia consiliis æternis omnia ac singula componente, cessantibus Naturæ ac senectutis viribus, stupentibus Angelis, est operata; ut omnino quid fecerit nesciamus, eloqui etiam nunquam possimus. Scilicet, qui scrutator est Maiestatis, opprimetur à gloria. Vnde quemadmodum nobilissimus pictor Appelles in Iphigeniæ sacrificio dolorem ingentem Agamemnonis patris expressurus, velo faciem eius obduxit: ita vobis, Sodales Conceptæ Virginis structuram omnem silentio tectam relinquam, ut cum eam intelligere atque assequi non poteritis, tum prius Naturæ vires excedentem diuinamque prorsus fuisse cogitetis. Sed tamen si non impia curiositate liceat hic aliquid velut per transennam intueri, videre videor pulchritudinem illam admirandam, claritatem, & decorem excellentissimum, quem Deus suæ Matris membris omnibus induxit. Erant capilli eius sicut greges caprarum, dentes ut greges tonsarum; sicut vitia coccinea labia eius; sicut fragmen mali punici genæ illius; collum turris instar Davidicæ, ubera sicut hinnuli capreæ gemelli: Nigra ipsa, sed formosa? electa ut sol, terribilis ut castrorũ acies ordinata. Quid ergo potuit aliud, cum pulchritudinem hanc tantam diuina Maiestas intueretur, quàm affectu soluto in vocem illam erumpere: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es? Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis?* Ipsa vero quid potuit dulci eloquio suo respondere? Credo iam intra istas materni uteri angustias submisso vultu atque animo Conditori suo acclamabat: *Ecce Ancilla Domini.* Addebat etiam exultans & subsiliens; *Magnificat anima mea Dominũ. Quia fecit mihi magna qui potens est:*

Alia similitudo.

Descriptio pulchritudinis B. Virginis.

O Ioseph beatissime, iam ego tuam infirmitatem libenter excuso, qui in Virginis faciem, cum illa Filium utero gestaret, nimio pulchritudinis eius fulgore confusus, oculos intendere non valebas. Tuum errorem, Sanctissime Dionysi, si non amplector, certe non arguo, qui cum primum Virginem hanc almam vidisti, corruisti, & nisi fides prohibuisset, tanquam Deam adorasses. Erat enim ipsa pulchritudinis Miraculum; erat imo, ut cum Ignatio loquar, sacratissimum monstrum, & cæleste prodigium. Restat nunc illud, ut qui à fundamentis excitatam hanc domum Altissimi consideravimus, picturam eius omnem atque ornamenta contemplemur. Adeste imprimis ergo Cælestes Spiritus, Angeli purissimi, dona vestra in hoc palatium inferte: confirmavit sua gratia vos Deus, ut peccare non possitis: concedendum est illud Mariæ; sed & insuper, quod non potestis, possit mereri. Adeste Patriarchæ & Prophetæ. Depone hic Abrahame fidem tuam, Isaac obedientiam tuam, David mansuetudinem tuam. Relinque hic Ezechia iustitiam tuam, Iosia pietatem tuam. Filiæ Sion congregate huc divitias vestras, ut una Maria supergressa sit universas. Adeste Ecclesiæ Principes Apostoli, Religionis Antesignani, ubi vos divini Numen spiritus afflavit, nulla mentem lætifera labes potuit contaminare: concedendum est amplius Mariæ, ut eam nec culpa venialis invadat. Quid habetis purpurei Martyres, qui tot in tormentis constantes eluxistis? Ecce Maria, Martyr amoris patientiam vestram induit, ut septuplici gladio transverberatus eius animus non superetur. Quid habetis candidati Confessores? Ecce pietas vestra MARIAM exornat. Quid habetis egregii Virgines? Ecce Virginitatis in MARIA flos pullulat illibatus. Ita Concepta Virgo virtutum est omniũ imago; reliqui vero Divi spiritusq;

Apostrophe ad Iosephum.

Alia ad S. Dionysium.

Tertia confirmationis pars in qua recensentur ædificii extincti Mariæ &c. ornamenta.

cœleſtes expreſſiones ſunt tantum ad illius ſimilitudinem conformatæ. Ita Deus ſanctorum omnium excellentias & prærogativas una in Maria cumulavit ac conſummavit, ut iure dicere poſſet *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Hæc eſt igitur admirabilis illa Conceptæ Virginis ſtructura, quam hactenus, Sodales, aliqua vobis orationis luce demonſtravi; nunc vero date mihi cogitationes illas veſtras, ut in ſacratiſſimam hanc domum introducam; imo emittite totos animos veſtros, ut non ad fores ſubſiſtant, ſed admiſſi in penetralia tantæ domus opulentiam venerentur, & non niſi unguentis ac pigmentis Mariæ perfuſi recedant. Potens illa Æthiopiæ Princeps Regina Saba, cum à Meridie in Iudæam deſcendens Salomonis regiam intraviſſet, Regem ſalutaſſet, Sapientiam eius & ornatum domus univerſæ ſplendorem intuita fuiſſet, confeſtim corruit conſternata, & animi deliquium aliquandiu paſſa, tandem ſimile ſe nihil vidiſſe vel audiviſſe, proclamavit. Eodem modo curruendum eſt hic animis in tantæ Virginis aſpectu; ſed ô gratum deliquium in admiratione Mariæ! utinam etiam emori liceret in amore! Reſurgamus tamen animis; at vero quid admirabimur? Heroes illi Homerici, qui ad Menelai palatium ad convivium erant invitati, ubi Aulam ingreſſi fuerunt, interiorem domum totam, quæ regali ſplendida luxu patebat, prius ſunt admirati, aurata tricliniorum laquearia, laboratas omni arte picturaque columnas, multam ac lautam ſupellectilem, periſtromata, ſonantes auro thoros, quicquid denique ſuperba Regum magnificentia ſtupentibus populorum oculis proponit. Sed iſta ſuſpiciant, qui vanitate paſcere oculos concupiſcunt: nos hic animis hauriamus in Maria ſimplicitatem mentis, cogitationum altitudinem & munditiam innocentiam vitæ, divini amoris ardo-

Peroratione adhortatione ad ſodales.

Laus ab exemplo.

Applicatio.

Quid in Maria V. ſuſpicere debeamus.

ordorem, obedientiam, pudorem, modestiam, humilitatem. Harum omnium in hac aula Dei virtutum insignia, non leones, non leopardi, non expansis dracones alis, non arces excelsæ, non cristatæ galeæ, quibus humana se prodit nobilitas, cernuntur. Ad præsentiam Virginis adhuc in utero latitantis saliunt Angeli; & nos, Sodales torpebimus? Pulchritudine eius capitur DEVS ac vulneratur, & nos non movebimur? Licet edere nondum vocem conclusa possit, nos illi tamen acclamemus: *O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, vulnera corda nostra tua pulchritudinis amore.* Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te; trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Quanquam quoniam vos Viri Ornatissimi, cæterique Auditores, in hoc splendidissimo Regis Æterni palatio cogitationibus per universas conceptæ Virginis virtutes discurrentibus, occupatos animadverto supersedebo tandem, & ab officio tam pii laboris nequaquam delibantes animos abducam. Nondum tamen possum, & prius mihi vestris in animis est acquiescendum, Iuvenes Optimi; vos enim Conceptæ Virginis Sodales estis, & vobiscum participatione quadam meritorum solemnitatis huius lucem veneramur. Macti igitur, Patronam vobis vestram hodie repræsento & offero, non Solem aut Lunam, quid oculos subducitis? non castrorum aciem ordinatam, quid exhorrescitis? sed in utero matris Annæ conceptam, tenellam, nondum vagientem, iam tamen pulchris ocellis dissuavientem. Et nunquid illis oculis, vestris mentibus subiicit faces amoris? Amate illam tenellam tenelle, sanctam sancte, & Conceptam hodie renovata mente concipite. DIXI.

Contrapositа conglobata.

Vltima exhortatio ad Sodales.

ORA-

ORATIO III.

In PURIFICATIONEM B. MARIÆ VIRG.

Exordium ab exemplo Eudoxi. EVdoxus, ut in veterum est Historiarum monumentis, Ornatissimi & Humanissimi AVDITORES; cum intellexisset aliquando tantam esse Solis pulchritudinem lucisq; puritatem, ut nihil universa suo ambitu Natura venustius excellentiusque complecteretur, nec eam tamen positus hic in terra, quenquam irretortis oculis, intueretur, percipere satis posset, nuncupato Diis immortalibus voto paratissimum se fore ardentibus ignibus concremari promisit, si eorum beneficio pulcherrimam solis faciem, & incredibilem radiorum eius puritatem posset intueri. Quod votum stultissimæ temeritatis & vanissimæ curiositatis plenissimum dum probare *Applicatio.* non possum, tum existimo neminem hic adesse, qui, si inusitatam Deiparæ Virginis sole pulchrioris excellentiam & sanctissimæ vitæ puritatem posset intueri, non illico paratissimus futurus esset ardentissimis suavissimi amoris eius ignibus concremari. Quippe ea demum est iucundissima vitæ iactura in eius augustissimæ Imperatricis amore mori cuius divina formæ præstantia, & nitidissimus purissimi animi candor non tantum hominum omnium animos, verum etiam cæle- stes illas Mentes, atque adeo divinam ipsam Maiestatem in sui admirationem amoremque convertit. Et ecce quam voto vestro fortunatissimam adesse concupisceretis occasionem, præsens *Propositio.* hoc ultro tempus præsentat. Illuxit enim Purificationis illa dies, qua cum Serenissima cæli Regi-

Regina inaudito profundissimæ submissionis exemplo jam ad templum quasi purificanda procedat, si erigere placet animos, & mentis aciem intendere, divinam ejus pulchritudinem puritatemque in transitu contemplari licebit. Cogitate vos hic ad spectaculum effusos, & per medium hunc locum divina utrimque corona jam jam futurum illi ad templum iter; ego, quoniam ita visum est, ut hodie Marianæ laudis præconem apud vos agerem, protenso velut digito, quantum quidem fas erit, cœlestis illius pulchritudinis ac puritatis ornamento vobis omnibus commonstrabo. Quod si deficiant ac caligent oculi nimia fortasse luce perfusi, ad nos ipsos caligantium oculorum aciem de nostra quoque puritate solliciti convertemus. Tu vero, ô sanctissima Virgo, quoniam difficilius est rectis animis splendicantem illam purissimæ excellentiæ tuæ dignitatem, quam radiantem irretortis oculis solem intueri *Invocatio Virginis.*

—— Circum caput omne micantes
Deponas radios, propiusq; accedere manda.

Si curiosus est amor hic noster, certe est magnus? quippe unum est oculorum nostrorum desiderium ad fulgentissimos puritatis tuæ radios hebescere, unum est animorum nostrorum votum præstantissima venustatis tuæ specie nunquam satis satiati, Vos Sodales, date locum, & erectis estote animis, jam, jam adest. *Captatio attentionis.*

Ingeniosissimi Poetæ, qui fabularum involucris sapientiam quandam arcanam tegere semper consueverunt, Auroram Nympham & Deam esse speciosissimam comminiscuntur, quæ aureo vecta curru, quem elatus Pegasus trahit, sparsisque per lacteam cervicem aureis capillis, & ardentem manu tædam gestans universum terrarum orbem illustrat Ita quidem fabulantur illi, sed *Descriptio auroræ ut à Poetis fingitur.*

est

B. Virgo vera aurora est. est tamen vera salutis Aurora Maria, quæ hodie ab ortu justitiæ Solis consurgens, tota aurea, & igne charitatis inflammata, intraque vlnas suas non tædam aliquam flammulis quibusdam micantem, sed lumen ad revelationem Gentium, Christum Iesum, complectens, ac primos in terras omnes salutis radios emittens ad templum procedit. Quam profectò dum attentius inspicio, video illam esse, quam mundus olim prope depositus, & in æternis sordibus ingemiscens tot votis ac precibus expetivit. Illam, inquam, quam universæ Naturæ Arbiter quinquaginta propemodum sæculis (tot enim ab incunabulis huius mundi ad eius usque cunas effluxerunt) tanta quanta potuit arte & omnipotentia dignam filio suo matrem, dignam mundo Dominam, dignam perditæ vitæ reparatricem efformavit. *Amplificatio eiusdem speciei.* In cuius venustissima specie non cervatas genas, non vibratos ferro crines, non purpurissam, muernulas, baccataque monilia, non pretiosam ineptiarum scenam, non vanum muliebris mundi choragium, sed demissionem cum gravitate, simplicitatem cum Maiestate, constantiam cum facilitate, verecundiam cum venustate videtis. Siquidem ejusmodi est, in quam cœli nunquam antea sic omnium ornamentorum copia diffluentes sese totos effuderunt; ut jam omnino persuadere nobis debeamus, summum illum rerum Artificem ac Moderatorem Deum in hac una Virgine conformanda non alio, quam æterno Divinitatis suæ exemplari usum fuisse, ita ut quæ in ipso per naturam sunt, ea Propemodum omnia in hac Virgine per gratiam efformata expressaque videamus. *Confirmatio à conditione Matris.* Nam cum inter omnia infinitæ suæ Sapientiæ & Omnipotentiæ opera, nihil splendore augustius, nihil conditione maius, nihil ornamentis magnificentius esse matre sua vellet, meliori pollice in hoc unum opus efformandum incubuit, & summo illud

illud virtutis ac gloriæ fastigio coronavit. Quam speciosus est & vere divinus in ea color, vivus sane Dei color, quem purissima mentis integritas (sola vera & optanda pulchritudo) solet adferre; cui cum virtutum omnium integer & illibatus decor est adiunctus, dignum est opus, quod in summa rerum humanarum arce positum homines omnes admirentur. Quid illustrius aut purius unquam illa esse posset, cui in lucem prodeunt. Natura parens, quod eam intueretur è cujus utero fons ipse lucis erat emersurus, arrisit? Cui, ut cum Sannazario dicam: *Repetitio cum interrogationibus.* *A testimonio.*

——— nitenti matris ab aluo
Protinus inconcussum & ineluctabile votum
Virginitas fuit?

Virginitas, inquam, quam amantissima puritatis Virgo tanti fecit, ut si in eius arbitrio positum fuisset, aut Virginem esse sine matris honore, aut matrem cum virginitatis jactura, (dicam de ea confidenter quod ad eius est gloriam) Virgo esse, quam Dei mater maluisset. Atque idcirco nec concipiendo potuit maculari, quia virum non cognoscebat, nec pariendo coinquinari, quia sine viro conceperat. Admirabilis est Angelorum puritas, cui adhærere nulla unquam labes potest, sed admirabilior in hac Virgine puritatis omnis candor elucet, quæ non tantum nulla potuit vel naturæ vel vitæ labecula contaminari, sed eam etiam divini cuiusdam nitoris speciem præ se tulit, ut qui sacrum vultus eius splendorem oculis usurparet, ab eo virginitatis perpetuæ flammas hauriret. Plane ita pura erat, ut intueri nemo attentius illam posset, quanquam divinitas ipsa formæ perstringeret aspectum, & dulces oculorum faculæ emicarent, quin esse purissimus desideraret. Concupiverunt hanc aliquando veteris ævi Patres intueri, sed umbras tantum ac fi- *Virginitatem antiqui*

Patres in signis tantum viderunt. guras viderunt. Rubum aliquem, sed medias inter flammas (tanta vis est puritatis) incombustum: Vrnam aliquam, in qua cœleste manna recondebatur, sed ex auro purissimo, vt huius puritatis esset typus, efformatum; Arcam aliquam, sed ex lignis Sethim, quæ corrumpi nunquam poterant, ut inviolatam hanc virginem declararent, compositam; Virgam aliquam, sed flores germinantem; vellus, sed rore plenum; portam sed clausam, & soli Cœlorum Monarchæ patentem. At vero ubi tandem divina sapientia magnificentissimum hoc opus absoluit, & cum addere nihil amplius ad perfectissimam ejus pulchritudinem posset, manum de tabula sustulit, tantus puritatis eximiæ splendor affulsit, ut excellentissima sui operis forma ipse summus rerum Architectus *Similitudo.* caperetur. Et quemadmodum cum illaqueare monocerotem venatores volunt, formosissimam aliquam illi puellam obiiciunt, cujus aspectu cum in subitum amorem exardescat, naturæ suæ ac feritatis oblitus in ejus sinum caput deponit, seque *Applicatio pulchritudine Virginis capitur Deus.* capiendum venatoribus relinquit; ita ubi virginis hujus plusquam Angelicam puritatem, & divinam animi pulchritudinem intuitus est, seque ipsum in perfectissima sui imagine quodammodo conspexit magnus ille hujus universi monarcha, confestim maiestatis oblitus æternæ, justissimoque furore deposito in ejus sinum non caput tantum, sed se totum insinuavit, & humanæ Naturæ se capiendum abjecit. O vere potens puri- *Exclamatio.* tas! ô efficax intemerati animi pulchritudo! Eu- *Delineatio Virginis ex S. Ioanne.* angelista Ioannes, cœlestis illa Aquila, cum toties præsens ipse augustam hanc Virginem contemplatus esset, eamque puritatem ipsam esse non dubitaret, ubi illam describere universo terrarum orbi debuit, pro cyclade stolaque solem; pro soleis lunam, pro vitta stellarum illi duodecim, corona assignavit. Quod si sole amicta est, nullam pati-

tur ecclypſim,nullam admittit obſcuritatem ; ſi lunam ſub pedibus habet, iam ſupra lucem poſita eſt.& inconſtantiam varietatemque non novit ; ſi ſtellis eſt coronata, omnem cæli pulchritudinem ſplendoremque ſibi vendicavit. Iactitent quaſcũq; volunt excellentiſſimi pictores efformatas luxuriantibus induſtriæ ſuæ lenociniis imagines, ſuas Thimantes proponat,ſuas Appelles exhibeat, nullam unquam ſine umbra aliqua, nullam ſine obſcuritate producent. Vna eſt hæc Virgo divinæ manus penicillo, & cæleſtibus puriſſimorum ornamentorum coloribus ita mundo repræſentata, ut tota ſit pura, tota lux, tota pulchra, tota aurea ac divina. In illam cum Eccleſia oculorum aciem attollit, tanquam turrim eburneam admiratur; quid ebore nitidius? tanquam Domum auream adorat; quid auro purius? tanquam ſpeculum ſine macula contemplatur; quid eiuſmodi ſpeculo pulchrius? tanquam ſolem in quo tabernaculum divina Maieſtas poſuit, intuetur: quid ſole ſplendidius. Bene igitur ſanctiſſime Hilari benedictam hanc Virginem idcirco proclamaſti, quod Angelos puritate ſuperaret. Bene tu quoque D. Anſelme, tantam in ea, quæ Deum erat paritura, puritatem eſſe iudicaſti, qua ſub Deo nulla maior intelligeretur. Neque vero ſpecioſa tantum eſt hæc puritas, ſed etiam pretioſa, & omnium virtutum gemmis, cæleſtiumque chariſmatum auro condecorata. Videte quanta mihi dignitatis & gloriæ eius lux oboriatur, dicam & Divorum omnium pace, & ipſa audiente veritate dicam, minimum cœleſtis huius Reginæ ornamentum aliorum eſt ſumma ſanctitas & perfectio Divorum. Quippe fundamenta eius in montibus ſanctis, nimirum in Regibus, in Patriarchis, in Prophetis, in Divis quibuſcunque, quorum ſummum perfectionis faſtigium primum fuit, ad ſecundam in rerum Natura dignitatem huius Sacroſanctæ

Repetitio cũ diſtributione

Apoſtrophe ad S. Hilarium. Alia.

Tertium argumentum gloria Virginis.

Virginis fundamentum. Omnes in ea pariter virtutes certabant, & omnes vincebant. Nihil mediocre tantus animus capiebat; quicquid exornabat, summum erat; summa charitas, summa pietas; summa obedientia, summa Virginitas summa omnia. Apud Plinium illum Naturæ à secretis auctorem tanta opali gemmæ dignitas est & pulchritudo, ut eam explicare summa sit difficultas. Parte una fulgentem Amethysti purpuram ostendit, alia splendicantes carbunculi flammas; hinc Smaragdi virens mare repræsentat, inde lacteum candidissimi marmoris colorem. Egregium profecto Naturæ opus, quod hæc sanctissima Virgo cum similitudine aliqua referre videatur dico gemmarum, hoc est, perfectionum omnium gloriam ipsam & compendium extitisse; in qua charitatis Smaragdus ardebat, prudentiæ carbunculus scintillabat, spei topazius eminebat, virginitatis chrysolithus affulgebat, obedientiæ achates sese diffundebat, temperantiæ iaspis rutilabat. Nihil in ea, præter divinitatem, defuisse videtur, ad quam naturæ excellentia tam prope accedebat, ut cum illam Dionysius Areopagita primum intuitus esset, confestim velut exanimis in terram corruerit; ubi vero respiravit, admiratione ingenti victus ita exclamavit. Nisi me ratio fidesq; doceret aliam esse Deitatem, præter hanc nullam esse putarem. Quippe inusitatos ab eius vultu radios hauriebat, cinctam illam frequentissima Angelorum corona videbat, ac tantam excellentissimæ eius Naturæ cum Deitate similitudinem animadvertebat, ut firma opus esset fide ne Dea quædam crederetur. Sed non possum amplius, Auditores, caligant oculi, & intenta acies ad tantæ puritatis lumen hebescit; cogor vel in terram obtutum defigere, vel in hanc mortalitatis nostræ conditionem oculos retorquere. Reflectite vos mecum oculos parumper ab hac Virgin

Repetitio.

Comparatio.

Naturæ à Plinio descripta cum Virgine.

Amplificatio à testimonio D. Dyonysii.

Transitio.

Virginis puritas o·

giae, & quaqua versus in Naturam universam circumferre, omnia sane mihi puritatem quandam ac nitorem spirare videntur. Purissimus serenissimus radiis sol mundum illustrat: luna candida est & argentea, Stellae immaculato splendore fulgentes impurae noctis obscuritatem depellunt. Quicquid in illo mundi fastigio positum est à Natura, purum est, purissimus est ignis, purissimus aer, purissima caetera omnia inferioris naturae elementa, quae ut simplicitatem purissimam retinent, aut propter nos quandoque miscentur. Inter rosas, inter lilia, inter flores alios pulcherrimos & fragrantissimos tam niveus candor reperitur, ut puritatis quendam sensum habere videantur. Ipsa animantia, quae rationis expertia pronaque ad pastum Natura finxit, sensum etiam puritatis quendam ab ortu suo hausisse creduntur. Leaena si permixta alteri fuerit, redire ad leonem, nisi lota non audet, ne aliquo impuritas odore deprehendatur; Cygnus si foemellae sociatus fuerit, non prius pastum resumit, quam multis aquae aspersionibus sese expiarit. Elephas ab aliarum congressu foemellarum abstinet, ne fiat impurus. Nihil dico de columbis, de turturibus, de dapibus, de bestiis aliis sexcentis, quae ad puritatem ab artifice Natura factae esse videntur. Illud dico, & Natura ipsa teste dico, mortalium omnium animis non tantum sensus quidam, verum etiam puritatis amor ita est ingeneratus, ut ea, quae pulchra sunt, amemus, & ab iis, quae inquinata sunt abhorreamus. Quod cum ita sit, fierine posset? (non potest fieri) sed tamen fierine posset, ut homo aliquis, (quid hominem dico) ut Christianus aliquis (quid etiam Christianum dico,) ut purissimae Virginis alumnus & sodalis de candore puritateque mentis sollicitus, vel inhonestarum voluptatum luto, vel inani ambitionis fumo, vel foedis avaritiae

mnem naturae puritatē excedit.

Puritas natura in brutis.

Testimonium naturae.

fordibus fefe coinquinaret? niveum illum innocentiæ primæ colorem fpurcis delicti alicuius maculis defœdaret? fplendidiffimam illam castiffime mentis lucem turpium cogitationum nubibus obfcuraret? Hoc profecto qui facit, aut puritatis nitorem odit, aut vim eius ignorat. Illa tamen eft, quæ tyrannorum arma furoresq; vincit, quæ cruciatus omnes & mortem ridet, quæ horrendas ferarum iras emollit, quæ fulphuris picisque rogos illæfa pervadit, quæ adverfa omnia fugat, fuperat, conculcat. An non fanctiffimus Laurentius mediis, in flammis exultans effrænatum tyranni furorem irrifit? purus erat. An non Diva Catharina, vera illa virago & Heroina, infanam fecantium rotarum fubftructionem effugit? pura erat. An non Cunegundis Imperatrix ardentes nudo pede prunas calcavit? pura erat. An non fæviffimos Dæmonum impetus D. Antonius fuperavit? purus erat. An non Hilarion infultantem tergori fuo Dæmonem & opprimere fe magna vi conantem tandem expugnavit? purus erat. O quam multi funt, qui fub Auguftiffimis aliquando diadematibus abiectam ad pedes fuos multitudinem frenaverunt, aut martiali revincti laurea populorum admirantium plaufus in fe converterunt! At vero quia vitam impuram duxerunt morte nunquam moritura cruciantur. Quam multi funt, qui cum inter vivos effent, fcientiarum quadam organa, & ipfa Sapientiæ Domicilia, nec tam in terris nati homines, quam è cælo delapfi videbantur? at nunc quia vitæ puritate non claruerunt, & æternis mancipati tenebris impuram illam fapientiam fuam deteftantur. Quanquam quid hæc attinet deplorare? Teftor ipfam fceleratorum hominum confcientiã. An non cum male fibi confcii tènebras & umbras expavefcunt, cum hominum de fe rumores reformidant, cum

Amplificatio à dignitate & effectu puritatis.

Repetitio cũ teftimonio & exemplo Sanctorum.

Exclamatio.

A contrario.

A teftimonio

Affi-

——— *Assiduis circum volat alis*
Sæva dies animi, scelerumq́ in pectore Diræ,

Cum furiis quibusdam peccatorum de sanitate mentis deturbati concitantur, an non, inquam, tunc animi puritatem, quam turpissimè defœdarunt, mille votis exoptant? Testor iterum & eosdem ipsos puritatis hostes appello, cur cum migrandum est è vita & supremi Monarchæ jussu moriendum, ita oculi ardent? ita dentes colliduntur? ita membra nunc in hanc, nunc in illam partem contorquentur? quid isti tot eiulatus? quid tot suspiria? quid tot lamentationes volunt? ad sunt amici qui solantur, præsto sunt Medici; qui sanare contendunt, quid igitur regredi vult, progredi anima non audet? quid ipsi toties, quid tam trepidè? quid exhausto pallore vultu respiciunt, circumspiciunt, multa agunt, nihil agunt? & cum laruæ tantum horribiles circumstent, Angelos frustra ductores exoptant? O miseros homines? una est vitæ impuritas, quæ mentem ita turbatam vastat; unum est conscientiæ fœde scelus, quod æternam secum mortem trahens inusitatis terroribus animam flagellat. Quæ omnia cum ita se habeant, & certissimum sit divinæ Maiestatis decretum, neminem unquam; nisi mundo corde DEVM visurum, non ad puritatem omni conatu contenderemus? non augustissimæ Virginis huius ac Reginæ vestigiis insisteremus? Sed jam transiit, & ingressa templum ad Pontificem & aras accessit. Si placet parumper mecum intrare, Sodales, hic ipsum puritatis fontem & ad illum certissimam viam inveniemus. Non vos hic diu remorabor. Quæritis ubi tandem ille puritatis fons sit? En illum purissima Virgo suis in ulnis gestat, & mortalibus omnibus ostendit. Ipse fons est IESVS, qui postquam copiosissimo sanguine

Ab effectu impuritatis repetitio.

Peroratio cum exhortatione ad vitæ puritatem.

Interrogatio.

in Caluariæ monte fluxit, septem ingentia puritatis & gratiæ flumina in Ecclesiam universam redundaverunt. Hic abluere se, hinc haurire oportet. Quæritis quænam certissima sit ad hunc fontem via? En illa est, in qua cœlestis hujus Reginæ vestigia, humilitatis, obedientiæ, charitatis ad sempiternam ejus gloriam nostramque doctrinam impressa videtis. Mater erat Dei. Angelis ipsis excelsior, & supra id omne, quod infra Deum est, humiliavit tamen seipsam, ut ad puritatem nos invitaret. Supra legem erat, nec ullo purificationis edicto astringebatur, obedire tamen legi voluit, ut ad legum observationem

Virgo Maria suo nobis exemplo praivit.

nos animaret. Sole splendidior erat, nive candidior, rosis ac liliis pulchrior, stellisque rutilantior, quæ culpam nec origine contraxerat, nec voluntate adsciverat, numerari tamen inter immundas mulieres ipsa summæ charitatis puerpera voluit, ut exemplo nobis esset ad charitatem, & nemini scandalo ad perniciem. Nimirum quæ fœcunda virginitate salutem orbi pepererat, nihil agere, quo non Orbem ad salutem adipiscendam erudiret, unquam desiderabat. Atque ita non tam mihi subiisse templum purificationis, qua non egebat causa, quam scholam quandam, ut in ea mundum universum doceret, intravisse hodie videtur. Cuius si vocem aliquam ac doctrinam percipere fortasse vultis, ita non tam verbis, quam exemplo loquentem audite. Equidem Clientes

Prosopopœia qua Virgo ipsa excitat fideles.

mei, ea mihi summa semper cupiditas fuit, ut quam simillima filio meo viderer; cujus profundissima humilitas est & obedientia perfectissima; vobis tamen etiam sum natat, nec peperisse me salutem mundo putarem, nisi quomodo illa vestra esse possit, docerem. Primus ad salutem gradus humilitas est, & obedienti secundus: ut illam filius meus institueret, è cœlo descendit, ut hanc commonstraret, patri usque ad mortem

obedivit. Per utramque mentis puritas & animi candor exsurgit; neque enim qui humilis est, amat culpam, & qui legibus obtemperat impurus esse non potest, à me si exemplum vultis, en dedi. Cum Regina sim cæli, ut humilis puerpera ad templum processi; cum immaculata non suscepto virili semine pepererim, ut immunda ad purificationem accessi; cum legibus exempta sim, ut obnoxia me submisi. Hæc mea ad summam virtutis gloriam est via, eadem aliquando tandem ad salutem sit vestra. Ita agite, ita vivite; mei erunt filii ac clientes, qui ita vitæ suæ rationes instituent, ut quam purissimi reperiantur. Sic illa nobiscum agit, sic loquitur. Quid restat, nisi ut voti nostri nos reos confiteamur, & purissimos animos exhibeamus? Age igitur, ô sanctissima Virgo, quoniam eam nobis singulari tua benignitate facultatem concessisti, ut eximiam tuæ puritatis lucem intueremur, ecce tui amoris ignibus concremari paratissimi sumus. En animos nostros, tu flammas iniice, en mentes, tu radios tuæ lucis immitte; en corda, tu charitatem accende, en nos totos præsentamus, tu puritatem infunde. Cum vivere tuo in obsequio gratissimum sit, tum in amore tuo iucundissimum est mori. Vtinam ita moriamur.

Contraposita

Apostrophe ad sodales.

Alia ad ipsã Virginem.

DIXI.

ORATIO IV.

In

ANNVNCIATIONEM B. MARIÆ VIRG.

Exordium desumptum ab Adriano Imp.

ADRIANVS Imperator, cum aliquando concitato curiosæ voluntatis affectu percussus orientem intueri Auroram desideratus, montem Æthnam, Martiano teste, conscendit, atque inde surgentem tremulis primo radiis velut arcum in cœlo pulcherrimum, tum aureum quasi circulum non sine incredibili gestientis animi lætitia conspexit. Imitabor curiosum hunc Imperatorem hodierna die, Ornatissimi & Humanissimi Auditores, Sodales Parthenii, & dum orientem videre iustitiæ Solem, visumque vobis demonstrare concupisco, in excelsos Scripturæ sacræ colles verecundo modestæ orationis conatu conscendam; atque inde prodeuntem è cœlo primam legatione suscepta Gabrielem, tanquam Auroram, tum exortum iustitiæ solem Iesum Christum, atque in uteri virginalis orbe apparentem; vobiscum intuebor. Quid enim hic assecuturum me sperem, si in Philosophiæ humanæque rationis oceanum vela dictionis expandam, cum Salomon admirabilis ille Metaphysicus, & humanæ sapientiæ miraculum *viam viri in adolescentul.i*, hoc est, Verbi æterni ex Virgine generationem ignorare sese penitus fateatur? Quid artium omnium humanarum arcana hic evoluam, cum Prophetarum linguæ sileant, sapientia ipsa hebescat, summa ingenia tenebris involuantur, ratio nihil videat præter admirationem, eloquentia nihil meditetur præ-

A præstantia rei.

præter silentium? Et vero humani ingenii vires consulere, cum divina Maiestas submittitur, arrogantis est: ad rationis argutias confugere, cum altitudo deprimitur, & immensitas coarctatur, temerarii est: facundiæ rivos aperire, cum Æternitas tempore concluditur & gloria pœnis immergitur, nimium est sibi confidentis & stulti. Nam si inter tot rerum naturalium causas, quas è Naturæ sinu diligens eruit investigator, repertanondum est Rhinocerotis origo, desperat hic humana industria, quanquam omnium ingeniorum alis sublata, vel unquam Verbi incarnati originem invenire, vel ejus in tempore generationem atque ortum explicare. Quod cum ita sit, & plus admirationis, quam Eloquentiæ mysterium hoc divinæ legationis cœlis admirandum, terris obstupescendum & adorandum requirat, vos mecum quicunque hic adestis, Mariani Sodales, in sublimes illos Scripturæ Sacræ montes cogitatione conscendite. Hinc inprimis intueri fas erit, quanto amore Divina Maiestas sauciata, arctissimo vinculo, (quidni dicam matrimonio?) cum Natura nostra conjungi copularique desideraverit; deinde etiam, nec sine gaudio videre licebit venientem è cœlo divini illius sponsi Legatum, ut obtento castissimæ Virginis Mariæ consensu, cum Natura nostra matrimonium consummetur. Opus est amore, Sodales, Sponsalia, imo nuptias Dei Naturæque nostræ celebramus: opus est animi puritate, consensum Virgo præbet, nec famam lædit: concipit Virgo, nec pudoris jacturam facit: mater sit virgo, nec virginitatis candorem amittit. Sed tu illum amorem tuis flammis accende, *Augustissima Cœli Regina*, tu illam animi puritatem tuæ Sanctitatis radiis immitte, *Serenissima mundi Advocata*, ut & inflammati Deitatis tuo in utero incarnatæ mysterium,

Distributio.

Attentionis captatio.

Propositio

Invocatio ipsius Virginis.

qua par est pietate veneremur, & puri serenis animis maximam salutaris huius Legationis lætitiam hauriamus. Neque enim sine amore fas est Numen aliquod adorare, & impuris animis sacra tractare sacrilegium est, & plusquam nefas. Solent qui ad regnorum & imperiorum gubernacula Monarchæ sedent, cum alterius potentissimi Regis filiam sibi uxorem, imperio Reginam, copulare adsciscereq; concupiscunt, suum inprimis amorem clarissimis signis & argumentis manifestare; deinde sponsæ suæ nuptiarumque futurarum effigiem ac tabulas in oculis ferre, suis amicis ostendere, de iis persæpe colloqui: tum ut conceptum felicibus auspiciis amorem nutriant, munuscula quædam tanquam oscula sponsæ suæ futuræ transmittunt: ac tandem maturo iam amore, confirmatoque conjunctionis desiderio principem aliquem è nobilitate sua virum, qui sponsalia contrahat, nuptiasque paciscatur, ablegant: eodem plane modo Rex ille Regum, & universi Monarcha Deus, cum funesta pereuntis Naturæ clade per motus nostram sibi desponsare naturam statuisset, & jam filium decreto suo Pater Æternus honoraret; suo amore Spiritus sanctus inflammaret, plurimas futuri sui matrimonii, futuræ suæ Incarnationis tabulas universo mundo, sed suis inprimis amicis ostendit. Ostendit Adamo nostri generis ac originis authori, cum ex ejus dormientis costa mulierem viraginem efformavit, proque ea carnem aliam supplevit. Nunquid enim Æternus ille Pater proferens è sacrario sui intellectus tanquam è sinu suo verbum æternum, illud carnis nostræ paludamento vestiuit, eamque arcto vinculo copulavit, ut in unam duntaxat Verbum & Caro personam coalescerent? Ostendit Moysi Israelitarum Duci ac Legislatori, quando eius educta de sinu dextera visa est lepram contagione fœda maculis erumpentibus con-

Primum argumentum confirmatur ab amore desumpta ab exemplo amantium huius sæculi.

Applicatio.

Ab enumeratione Repetitio.

contraxiſſe: Nunquid enim *hæc mutatio dexteræ excelſi?* Nunquid eductus è ſinu Patris æterni Chriſtus Dominus, carne veſtitus, maculis peccatorum noſtrorum notatus, quaſi leproſus apparuit? Oſtendit Davidi, Iudæorum Herculi fortiſſimo. Regi ac Prophetæ ſanctiſſimo, cum ille poſitam medias inter pelles fœderis Arcam non ſine pudore ſuo conſpexit. Nunquid enim tum medias inter pelles poſita eſt fœderis Arca cum Deitas Humanitatis noſtræ pellibus eſt contecta? Oſtendit Eliſæo Prophetæ, cum ipſe, ut puerulum exanimem ac vita functum rurſus ad vitam revocaret, ſuos oculos ejus oculis ſuum os eius ori, ſuas manus ejus manibus, ſuum corpus ejus corpuſculo ita conjunxit, ut æqualis puero vir procerus videretur, donec morte frigidum vita reducta calefecit. Nunquid enim divina illa Maieſtas, ut mortuæ Naturæ noſtræ vitæ calorem inſpiraret, ita ſeſe incurvavit ac depreſſit, ut ejus Deitatis altitudo humanitatis noſtræ parvitati æqualis videretur? ita membris noſtris incubuit, ut os hominis os eſſet Dei, oculi hominis oculi Dei, manus hominis manus Dei? En illæ ſunt, & quam admirandæ futuræ verbi incarnationis imagines! En illæ ſunt celebrandarum cum Natura noſtra nuptiarum Dei ipſius adumbratæ penicillo tabulæ? Sed nunquid grande hoc arcanum cum aliis quoque communicavit? Communicavit cum Noe fecundo illo generis humani conditore, quando ipſe vino obrutus, & ad oſtium tabernaculi ſui denudatis jacens membris ludibrium primo fuit, poſtea filii ſui optimi Iapher chlamyde eſt contectus. Erat nimirum filius hic hominis, qui Naturæ noſtræ peccati vino obrutæ nuditatem fœditatemque humanitatis ſuæ velamento contexit. Communicavit cum electo dilectoque ſuo Patriarcha Iacob

Exclamatio.

Amplificatio imaginũ incarnationis Dei.

cob quando ille nepotibus suis Iosephi filiis benedictionem moriturus impertiit, & virgæ ejus fastigium adoravit. Nam, ut Beatus inquit Chrysostomus, suo in typo Christum adoravit, qui è radice virgæ Iessæ flos erat ascensurus. Communicavit cum Moyse familiari suo, qui cum rubum ardentem & incombustum vidit, quid aliud, quam in vepribus ac spinis humanitatis nostræ, divinitatis ardentem ignem conspexit? Communicavit cum Ezechia Rege, qui cum intra fauces mortem anhelans copiosissimis lachrymis Divinam Maiestatem obtestaretur, sanitatem longioremque vitam recepit, atque hoc signo confirmatus est, quod ad decem retrogradus, quos jam erat emensus sol abiret ac reverteretur. Nimirum verus erat hic justitiæ Sol, qui ubi depressæ per mortem jacentisque Naturæ lachrymas & squalorem animadvertit, ut ejus ægritudini medicinam adferret, & gratum mundo jubar exoriretur, per novem illos Angelorum gradus & ordines, quibus universa cœli militia describitur, ad hominem usque retrocessit, & in hac Natura nostra, tanquam in decima linea, salutarem umbram effecit. Ita cœlestis ille procus Naturæ nostræ moribus, tanquam sagittis quibusdam sauciatum animum gerebat, ita illam deperibat, ita totus flammis eius ardebat, ut in illo suo stellato Pallatio atque Æternitatis delitiis, ubi omnis sincera voluptas sine fastidio, oblectatio sine defatigatione, hilaritas sine fine, his tamen imaginibus ac tabulis, non annis aliquot sed quinque millium annorum intervallo sese recrearet, suos amicos ad novæ dignitatis spem erigeret, languentes tabescentesque consolaretur, & si quandoque ipse loqui vellet, hæc una inflammati ejus animi vox esset, *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* O amorem! ô ardorem! quid dicam? inusitatum, an insolentem? Nec tantus est unquam auditus, im-

A testimonio.

Descriptio amoris Dei erga nos.

Exclamatio.

immaturum, an imprudentem? Nec leviter quicquam agit Deus nec imprudenter. Sed tamen permitte, parumper, ô Deus, ut tuum illum sive amorem sive ardorem examinem? quid dico examinem? ut intelligam. Tu Deus & Creator, hæc Creatura, tu Æterni Patris Filius, hæc primi peccatoris Adami filia; tu vita ipsa, hæc mortis rea; tu omnipotens, hæc inops & egena; tu ab æterno prodiens è mente Patris, par illi maiestate, par omnipotentia, par honore, hæc è stirpe rebellis Adami peccato deformis, miseriis abiecta, servituti mancipata, sceleribus infamis: cuius è familia quotquot aut rubri maris fluctus obruerunt aut cadentes è cælo flammæ Sodomæ ruinis involuerunt, aut ultricis iustitiæ gladii sustulerunt, cuius fratres homicidæ omnes, sacrilegi, adulterii, perfidi, sicarii, virginum stupratores, idololatræ, venefici, tyranni, cuius è cognatione Herodes, quis ille? persecutor aliquando tuus, & infanticida: Iudas; quis ille? hominum scelestissimus, & tuus proditor: Pilatus, quis ille? Iudex tuus, & qui te posteaquam in crucem sustulerit, totis manibus innocens erit. Quamquam quid persequi singulos attinet enumerando? Eius affines impii illi & execrandi carnifices, quorum manus, & flagella tuo sanguine innocentissimo maduerunt: eius consanguinei Nerones, Caligulæ, Domitiani, Maximiniani, Diocletiani. Attilæ, & quotquot virgineam nascentis Ecclesiæ tuæ stolam sacratissimo filiorum eius sanguine purpuraverunt. Itane ergo tuæ maiestatis ac tui ipsius oblivisceb aris, ut ei non tantum tuos amores consecrares, verum etiam in sponsam illam postulares? Illi te totum communicares? ex te atque ex ipsa unicam duntaxat personam efficeres? Sed quid erat ô Deus? Nimirum quemadmodum fortissimus aliquando Sampson visa muliere Philistina, ita vehe-

Contrapositio

Definitiones conglobatæ.

Transitio,

Comparatio divinita.

Moris cum amore. Sampsonis. vehementi correptus est eius amore, ut uxorem illam sibi dari confestim efflagitaret, nec aliam obstupescentibus & obstantibus parentibus suis causam opposuit; quam quod eius amoribus arderet: ita Deus, ita cælestis illæ Naturæ nostræ procus, non aliam ob causam coniungi illi copularique desideravit, proq; illo cælesti imperio miserum hunc mundum pro Angelorum consortio hominum consuetudinem, pro immortalitate mortem elegit, quam quia Naturam nostram amabat, amando deperiebat, deperiendo vulnerabatur, vulneratus exclamabat: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Enimvero, quam amplis muneribus, & quam osculis suavibus suum illum amorem sponsæ suæ voluit esse testatum! Quid concipitis, Auditores? Annulos fortassis aliquos, gemmas, armillas monilia? hæc hominum sunt dona. An currus auratos, thesauros ingentes, familiam auro argentoque sonantem? hæc regum sunt dona: maiora omnino præstantioraque divinam illam Maiestatem decebant: Tunc munus cœleste, misit, cum Israelitas perstantes utrimque rubri maris undas in libertatem eduxit. Tunc divinum omnino donum præsentavit, cum è cælo Manna dimisit, cum è petra salientem aquam excitavit, cum tot victorias depulsis tot hostibus potentissimis concessit. Tunc oscula futuræ illi sponsæ suæ misit; quando per Moysen & Prophetas spem eius abiectam erexit, desiderium pene extinctum rursus inflammavit, inflictas aliquando miserias tanquam plagas quasdam sanavit. Tunc oscula misit, quando fidelem Abrahamum obedientem Isaacum, castissimum Iosephum, mansuetum Davidem, alios sibi dilectissimos Patriarchas, Prophetas & Reges dedit. O oscula plena dulcedinis,

Gradatio.

Signa quib. Deus testatus est suum amorem.

dinis, plena suavitatis, plena divinæ voluptatis : ô oscula, amoris oscula ! sanctitatis oscula ! Sed non his, non his tamen Naturæ nostræ concitatus affectu explebatur. Quousque inquiebat illa, (ut ar Hieronymi verbis) quousque sponsus meus mittit oscula, per Moysen, mittit oscula per Prophetas ? Iam ipsius cupio ora contingere, ipse veniat, ipse descendat, ipse *osculetur me osculo oris sui.* Non à Moyse, non à Iosepho, non à Davide, non à Salomone oscula expetebat : hæc ubræ tantum erant & promissiones. *Osculetur me osculo oris sui.* Nimirum ab ore Dei osculum expetebat, ut aliquando os ad os coniuncta Deo una cum illo persona efficeretur, & in una personæ duæ Naturæ conjungerentur. Verum quemadmodum cum utrimque maturus est amantium ardor, & inflammatum temporis diuturnitate desiderium, illum tandem illucescere diem votis omnibus exoptant, quo parentum obtento consensu nuptiis auspicatis coniunguntur ; ita cum esse amplius sine Deo Natura nostra non posset, & conjungi Naturæ nostræ maturo amore Deus anhelaret ; cum, inquam, tot imaginibus futuræ suæ incarnationis Deus inflammaretur tot muneribus & osculis à Deo missis Natura nostra concitaretur, quid restabat aliud quam ut illum diem cœlo jucundum, terris salutarem sol ille temporum dispensator accelararet, quo missus è cœlo legatus Virginis futuræ matris consensum obtineret, & ornatissimam in terris Aulam, in qua Dei Naturæque nuptiæ peragerentur, inveniret ? Exortus est, exortus est aliquando tandem ille dies, dies ille genialis. O Sodales, & electus è Nobilitate cœlesti Legatus ! cum supremæ Maiestatis, Sanctissimæ Triadis mandato gestienti us civium supernorum ordinibus, parentibus cœlorum valuis exultantibus & famulantibus syde-

Exclamatio.

Hieronymi testimonium

Similitudo.

[illegible]

Exclamatio ob legati præstantiam.

syderibus Angelus Gabriel in has usque terras processit. Attollite animos, menteisq; vestras Auditores, & in illud ascendite cogitationum sanctissimarum culmen, unde venientem Divinæ Maiestatis videre Legatum possitis Videte

Excitatio. Auditorum.

——Ille altum Zephyris per inane vocatu
Carpit iter, scindit nebulas, atq; aera tranat
Ima petens, pronusq; leves vix commovet
alas.

Videte iterum, ille est.

——Cœli alipotens, cui lactea sandi
Copia, diviniq; fluunt à pectore rores
Ambrosiæ, quibus ille acres mulcere procellas
Possit, & iratos pelago depellere ventos.

Anteoccupatio.

Quid: an exhorrescitis fortassis, & non oculos tantum, sed & animos cœlestis ille fulgor perstringit? Non hic est Cherubinus ille, qui fulmineum flammantemq; gladium olim ante Paradisum distringebat. Non est exterminator ille spiritus qui primogenitos omnes in Ægypto ferro suo demetebat. Non est Angelus ille furibundus, qui per medium Sennacherib exercitum cadaveribus cadavera cumulabat, & sanguineos ferro rivos educebat. Non ex illis est unus, qui in Sodomam & Gomorrham ultrices è cœlo flammas proiiciebant. Non ille etjam Angelus, qui ense armatus ardenti Davidi totique regno minabatur, Nolite exhorrescere, Angelus est pacis: nolite timere, Legatus est salutis. Illum pax jam è cœlo remissa præcedit, & hominum lachrymas ac suspiria diffuso gaudio præscindit. Illum veritas è cœlo nata comitatur, & Prophetarum vaticiniis finem imponit. Iterum ergo sed recreatis & imperterritis animis videte. Omniū olim nationum Legati cum in externam aliquam provinciam, ut sui Monarchæ vel Reipublicæ mandatum deferrent, proficiscebantur, certum aliquod suæ gentis signum, quo dignoscerentur, circumfere-

Repetitio cum enumeratione.

Amplificatio à more mundanorum Legatorum.

ferebant, & medio in apparatu, qui plerumque splendidissimus & magnificentissimus erat, ostentabant. Chaldæi flammam ardentem Babylonii columbam, Scythæ fulmen, Persæ arcum & sagittas, Romani Aquilam. Plane etiam illustrissimus hic Legatus, dum è cælo in mundum, Angelus ad hominem, à Deo ad Creaturam proficiscitur, sui Monarchæ cælestis Imperatoris signum ostentat, & Gabrielis nomine, Dei, à quo mittebatur, fortitudinem potentiamq; designat insuper multa ipse luce circumfusus candida refulgens veste, vultu mansueto gratiosoque serenus; diplomate, quod à Divina Maiestate accepit, instructus, in numero Angelorum numero stipatus procedit.

Descriptio huius Legati

Paciferaq; manu ramum prætendit olivæ.

Bone Deus! quonam tandem vel oculorum, vel animorum aciem circumferemus? Si in cælos Vultum attollamus pater cæleste palatium, & inde prospiciens in terras divina illa in Trinitate Maiestas huius suæ Legationis eventum exspectat; Angeli in spectaculum effusi insolitam illam & inusitatam sui Principis legationem admirantur, & maximis gaudiis incedentes votis quasi quibusdam illam prosequuntur, sydera puriores faces accendunt, & quod ignorant, præsentare quodammodo videntur. Si illud quod cælo terraque clauditur spatium oculis dimetiamur, spirituum diffusorum ordinibus repletur. Si in terram oculi inciderint, hæc quasi reviviscens ver novum effundit, & pro lachrymis rorem amabilem, pro spinis rosas & lilia venienti Legato dispergit. Quæritis vero quamnam tandem Legatus hic cælestis accedat? Bene quæritis Auditores, & obsecro parumper hic transeunte interim Legato subsistamus. Audivistis aliquando Vnicornem seu Monocerotem, si naturalium Scriptoribus rerum credatis, asperam omnino feram esse, sed

Eiusdem signum.

Sustentatio ob insolitum splendorem.

Transitio per interpretationem.

quæ

quæ capi nisi virginis fortasse sinu non possit. Nam cum venienti virgo sinum aperit & effunditin eo deposita feritate caput reclinat, & velut internis captivitur. Ecce hæc est illa Virgo Maria, ad quam hodie legatus Archangelus accedit, quæ sinum suum illæsa virginitate expandens unicornem Deum ipsum iratum antea hominum delictis, & in eorum pœnas fulminantem deposita feritate capiet, utero virgineo concludet, partu immaculato in lucem emittet. Hæc illa virgo, in cuius utero nuptialis aula tot virtutum peristromatibus vestita, tot cœlestium charismatum coloribus depicta, tot sanctorum operum tabulis & signis adornata, Deo ipsi præparatur, ut ibi nuptialem Divinitati suæ vestem circumponat, & sponsæ suæ Naturæ nostræ coniunctus in publicam mundi lucem tandem aliquando procedat. Cogitate formosam aliquam Iudith, hæc formosior est, quæ non Holofernis sed caput conteret serpentis. Putatote Esther aliquam dignitate natiui decoris præcellentem; hæc amplius præcellit, cuius non Rex Assuerus, sed Deus immortalis concupiscit decorem. Repræsentate vobis pulchram illam & amabilem Rebeccam, quam filio suo Isaac per obedientiam immolato magnus Abraham uxorem elegit; hæc pulchrior est & amabilior, quam in sponsam & in matrem immolando filio suo cælestis Pater elegit. Sæpe audivistis de Regio illo tabernaculo, in quo Salomon Rex quievit; en hoc est tabernaculum illud, in quo Omnipotentis Filius requiescet. Non raro intellexistis de Davidica illa turri, ex qua mille clypei, & omnis generis arma dependebant; en hic est turris illa excelsa, ex qua virtutum omnium ornamenta dependent. Ne mihi arcam illam Noë cogitate: illa octo duntaxat animas: hæc Virgo, hæc arca Dei mundum universum servabit. Ipsa est Virga Aaron, quæ sine ullo exter-

A simili.

B. Virgo domus nuptialis Dei.

Comparatio pulchritudinis Virginis cum formositate cuiuscunque.

no humore florebit. Ipsa est admirabilis illa porta Ezechielis, per quam gloriæ Princeps ingredietur,& clausa manebit. Ipsa est floridus ille lectulus, qui in Nazareth loco florido Dei filium verum cœli campique florem suscipiet. Si quæratis quanta virtutum dignitate sanctitas eius eniteat? Est ipsa plenitudo Sanctorum; superat Abel innocentia, fide Abrahamum, obedientia Isaacum, mansuetudine Davidem, dignitate Prophetas & Apostolos patientia Martyres, puritate Virgines, denique omni sanctitate Sanctos omnes:adeo ut thesaurus sit miraculorum Dei,& abyssus gratiarum. Si petatis quomodo tandem tantopere Altissimo placuerit? Humilitate, inquit Bernardus, placuit, virginitate concepit. Si scire desideretis, quid tum illa fortassis agebat, cum ad eã cælestis ille Legatus penetravit?

Comparatio eiusdem Virginis sanctitatis.

Testimoniũ D. Bernardi de Virginitate eius.

——Pro quanta alti reverentia cœli
Virgineo in vultu est? oculos deiecta modestos
Suspirat, matremq; Dei venientis adorat.
Felicemq; illam humana nec lege creatam
Sæpe vocat: necdum ipsa suos iam sentit honores.

Nimirum columba erat in foraminibus petræ, in caverna maceriæ: virgo erat, & hinc conclusa privatos intra parietes nullum suæ virginitati periculum metuebat: sancta erat; & hinc sola cum Deo tantum agebat orando, abrepta per cælos discurrebat meditando: pia seipsam adorabat, sed ignara legendo. Quanquam dum his immoramur, pertransiit iam legatus, & ad virginem ingressus cælesti facundia legationis suæ mandatum est exorsus. Irruamus animis & cogitationibus intremus. En hinc flectentem cerno legatum, iam enim Reginam suam adorat; illinc stupore quodam, quem verecundia depinxit, Virginem video confusam & admirantem? hinc Legatus

Transitio.

Annunciatio Virginis. gatus Ave, inquit, Gratia plena, & hoc modo ab amore, sancto nimirum Spiritu, à veritate, Filio videlicet, ab æternitate, Patre scilicet æterno, sese missum declarat: illinc Virgo humilitate sua sese involuens, quo altius extollitur, eo profundius sese demittit: hinc Legatus, Dominus, inquit, tecum, benedicta tu in mulieribus; illinc Virgo sese amplius submittit, & verecundi vultus colore laudes istas recusat: hinc Legatus, Ecce concipies in utero, & paries filium; illinc Virgo de pudore suo sollicita turbatur, trepidat, anxia nunc cælum, nunc terram, nunc Legatum ipsum intuetur & quasi Virginitatem suam propugnatura, *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Vere, vere, ô Virgo, virum non cognoscis,

——Cui vel nitenti matris abalvo
Protinus inconcussum & ineluctabile votum
Virginitas fuit una, nec est cur solvere amata
Iura pudicitiæ cupias.

Apostrophe ad B Virginē Sed tamen da consensum, & Virginitatis non patieris detrimentum. Quid times? *Invenisti gratiam apud Deum.* Quid trepidas? Sanctum est, quod concipies; Deus est, quem utero concludes. Audi Legatum: *Spiritus sanctus superveniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Nulla hic opera viri, securus sit pudor: operatio est tantum Dei Virginitas exultet. Profecto nunquam in te conciperetur Deus, nisi Virgo esses, *Prosopopæia.* nunquam ex te nasceretur Deus, nisi Virgo permaneres. Da igitur consensum, ô Virgo. Audite Virginem Sodales audite. Ecce, inquit, Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum Nunquid videre & audire videmini prudentem & formosam Abigail, quæ ad nuptias Regis Davidis vocata, humi prostrata respondit; Ecce famu-

mula tua, fit in Ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei. Non est Abigail, Maria est: fit mater Dei, & se ancillam appellat; fit Regina cœli, & se famulam humillimam reputat. O felix humilitas! ô fortunata Virginitas! vobis duabus tanquam oculis duabus intuens Virgo Deum duplici vulnere cor ejus ita sauciavit, ut è Patris æterni sinu suum in uterum dilectissimum ejus filium attraxerit. Commendabat Humilitatem Virginitas, Virginitatem Humilitas exaltabat. Sed bene est, abunde est, consummatum est matrimonium, conjunctus est Naturæ Deus, conjuncta est Natura Deo; intra uteri virginalis orbem justitiæ Sol est exortus. Aurora lucem suam jam soli resignat, Legatus re perfecta discedit, Deum hominem in terris re inquit, in cœlis cœli Reginam cum gaudio, Dei matrem cum admiratione deprædicat. Ite nunc ô stellæ, sed facibus novis instructæ, sed crinibus pexis ornatæ, & exspectantes in Oriente Reges ad has nuptias vocate, adducite, dirigite. Ite Angeli & morantes in Iudæa Pastores in occursum novi Regis ac Sponsi vestris cantibus attrahit. Ite, inquam, & vel jam cytharis vestris atque organis divinum illud Genethliacum nascituro Deo, Epithalamium cœlesti sponso aptare & præparare, GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBVS BONÆ VOLVNTATIS. Nos vero, nos Sodales in hac tanta cœlestium nuptiarum lætitia torpebimus? in hoc tam jucundo tamque festivo Iustitiæ Solis exortu non excitabimur? Si mihi fas sit in animorum vestrorum adita penetrare, & in illis cogitationum vestrarum velа parumper detrahere, videor hoc mihi votum videre, ô utinam ea in me humilitas esset, ut Deo placerem, ea virginitas, ut illum pura mente conciperē! fortassis ab Angelo meo audirē aliquando.

Exclamatio.

Peroratio cum triumpho de victoria.

Apostrophe alia.

Conversio ad Sodales.

Allegoria & optatio seu votum sodalium.

AVE

AVE ANIMA GRATIA PLENA DOMINVS TECVM: & ô quanta dignitas esset mea! fortassis oscularetur me Deus osculo oris sui, & ô quanta suavitas dulcedinis eius totum animum meum pertentaret! fortassis in sponsam suam animam meam sibi copularet; & ô me beatum! ô me felicem! Detrahite, detrahite vela, Sodales, erumpat votum illud ingens, quod tacitus premit animorum affectus. Fas est quod optatis: fieri potest, quod desideratis. Et nunquid cœlestis ille sponsus nescio quo non amore percitus nostras animas procatur? Perditi eramus, & inferorum cruciatibus addicti ipse redemit? infecti peccati lepra vix jucundam auram respirabimus, ipse abluit suo sanguine, & sua morte sanavit, inopes eramus & nudi in hanc lucem exiveramus, ipse præter vitam sanitatem addidit, fortunæ bona cumulavit, quicquid quotidie optamus & habemus adiecit. En munera, & nunquid resipimus? Ipse ab altari orbiculo inclusus, cum ad sacram Synaxin accedimus, in os nostrum atque stomachum descendit, En osculum oris eius & nunquid sentimus? Tot admonitiones, tot inspirationes sanctissimas, quibus animas nostras sibi in sponsas deposcit: in cor nostrum atque animum immittit. En eius legati. Quid restat ergo nisi ut humili voluntate puraque mente consentiant, & dicant animæ nostræ Ecce ancillæ Domini, fiat nobis secundum verbum suum. Ita vos dicite Sodales, ego. DIXI.

Enumeratio beneficiorum nobis à sponso hoc Christo collatorum.

ORA-

ORATIO V.

In VISITATIONEM B. MARIÆ VIRG.

PRÆCLARE Philosophorum quidam dixit olim. Viri Ornatissimi, Sodales Humanissimi, idcirco hominem à Deo conditum & in has abligatum terras esse, ut spectator & ipsius Dei & operum divinorum esset, neque vero spectator solum, sed interpres etiam & celebrator, ut cum Trismegisto loquar. Animadvertit quippe vir prudentissimus, ut rem unamquamque ad finem alium. Ita hominem orbis huius universi (quem *Templum sanctissimum* appellant) Antistitem ab illo sapientissimo mundi architecto, & ad intelligendum & ad agendum (ut Princeps ait Peripateticorum) procreatum esse. Etenim cum cæteras animantes, potens ille Moderator Vniversi prono corpore ad pastum proiecisset: *Exordium à præstantia humana, idque ex authoritate Philosophorum.*

Os homini sublime dedit cœlumq; videre.
Iussit & erectos ad sydera tollere vultus.

Nos, inquam homines, veluti spectatores pulcherrimæ mundi machinæ, ad cœli sydarumque conspectum excitavit, & suspicere præclarissimum hunc ornatum imperavit, ut admiratione tantarum rerum ipsius Numen investigare, investigatum privatim adorare, publice celebrare assuescerem us. Et certe si hæc est nobilissima divini hominis origo, ut in scena terreni theatri personam agens, non ut insanus ille Salmoneus fulgura tonitruaque repræsentet, sed, quas fas homini est, humili castoque pietatis affectu sempiternæ Ma-

jeſtatis ornamenta, juſtitiam, benignitatem, æquitatem imitetur: quis non eadem cœli providentia Sodales, inſtitutos fuiſſe dicet, ut Reginæ ſuæ, Deiparæ ac Virginis intemeratæ ſpectatores, Paranymphi, interpretes exiſtant? Quemadmodum enim homines, quos æterna bonitas ad effigiem moderantis cuncta Tonantis effinxit, illum admirantur & imitantur Monarcham ſuum; ita Mariani Clientes & ſuſpicere Mariam ſuam, & decora motum imitatione ejus in ſe conformate virtutum ornamenta debent. Atque utinam ea noſtræ vis ineſſet orationi, ut ſicut domitricem illam rerum omnium materiam, ferrum, inquam, trahit ad ſe & complexu retinet magnes; ita illa veſtris animis illapſa, hodierna potiſſimum die ad inſequendam per montana Virginem pertrahere valeret. Vtinam vel potius incantationes eſſent verba mea, quæ eo veſtros animos inflammarent pietatis ardore, ut aſſumptis amoris alis jam jam evolantes è corporibus Patronam inſequeremini. Veruntamen id efficite per vos ipſos, Sodales date mihi cogitationes veſtras, ut dum Regina & Patrona noſtra

Similitudo. *Applicatio ad ſodales.* *Alia.* *Optatio.* *Captatio attentionis.*

———Afflatu divini Numinis aucta
Exſurgit, morteſq; procul contendit in altos
Feſtinans -----

alacri & expedito voluntatis amore comitemini: imo dum hoc iter curſumque Virginis ad cognatam Eliſabetham abeuntis, (ita poſtulante Viſitationis, quam veneramur, recordatione) proſequor brevi dictionis intervallo, veſtros animos verbis meis velut catenis quibuſdam alligate, ut dum in ſacro tantæ Virginis comitatu vobis audientibus & comitantibus ſimul ſermonem habeo, facilius Viſitationis ſignificationem non amabilem tantum, ſed admirabilem, nec admirabilem ſimpliciter, ſed adorandam percipiatis.

Propoſitio.

Ete-

Etenim si heliotropion, solaris herba, ita cum Sole circumagitur, ut eius ortum manè spectet, & omne per diem iter ita persequatur ad occasum, ut ad eum floris sui faciem convertat assidue, quidni etiam Sodales Virginis velut herbæ quædam in sacro eius crescentes horto, Virginem, amabilem illum Solem suum perpetuo spectarent, comitarentur, adorarent? Age ergo, ô Diva potens cæli, quæ velut potentissimus Magnes olim, tuæ castitatis vi admiranda Maiestatis Divinæ Numen in arcum tui sacratissimi uteri pertraxisti, ponderosum Naturæ nostræ nunc evince ferrum, & attrahe nos post te: immo Sol verus & Sole pulchrior dum abis in montana, Sodales tuos, tuos flosculos circumage tecum, ut alacres & afflati numine tuo curramus in odorem suavitatis tuæ. Abeamus ergo, Sodales, & *Comparatio.* *Apostrophe ad B. Virginem.*

——Dum aura sacri iucunda favoris
Nos super irradiat——

Dum Regina nostra indefesso passu montes ascendit, accincti voluntate prompta sequamur euntem. O viam admirabilem! O æternæ felicitatis iter! Valles deserit Virgo pia, & arcano concludens utero Deum festinat ad montes. Quo enim abire posset illa tandem, quæ cæli Monarcham conceperat, nisi ad montes & superiora? quo volaret hæc Aquila cælestis, nisi ad ardua & sublime cacumen orbis? Vbi estis generosæ animæ? Vbi estis Marianæ mentes? Ecce hoc iter est eorum, qui pleni Deo cælestis afflatum gratiæ hauserunt, ima deserunt, terrena contemnunt, suprema petunt, cælestia ambiunt. Ecce hæc est via, quam omnis anima verbo plena Dei sequitur, virtutum celsa cacumina gressu conscendens amoris. Et si lubet semitam ipsam considerare, quot hic sunt vestigia & insignia sanctorum? quã multa beatissimorum signa pedum in hac arena refulgent *Incitatio Sodalium ad sequendam Virginem.* *Amplificatio viæ quã B. Virgo calcavit.*

qua par est pietate veneremur, & puri serenis animis maximam salutaris huius Legationis lætitiam hauriamus. Neque enim sine amore fas est Numen aliquod adorare, & impuris animis sacra tractare sacrilegium est, & plusquam nefas. Solent qui ad regnorum & imperiorum gubernacula Monarchæ sedent, cum alterius potentissimi Regis filiam sibi uxorem, imperio Reginam, copulare adsciscereq; concupiscunt, suum inprimis amorem clarissimis signis & argumentis manifestare; deinde sponsæ suæ nuptiarumque futurarum effigiem ac tabulas in oculis ferre, suis amicis ostendere, de iis persæpe colloqui: tum ut conceptum felicibus auspiciis amorem nutriant, munuscula quædam tanquam oscula sponsæ suæ futuræ transmittunt: ac tandem maturo iam amore, confirmatoque conjunctionis desiderio principem aliquem è nobilitate sua virum, qui sponsalia contrahat, nuptiasque paciscatur, ablegant; eodem plane modo Rex ille Regum, & universi Monarcha Deus, cum funesta pereuntis Naturæ clade per motus nostram sibi desponsare naturam statuisset, & jam filium decreto suo Pater Æternus honoraret; suo amore Spiritus sanctus inflammaret, plurimas futuri sui matrimonii, futuræ suæ Incarnationis tabulas universo mundo, sed suis inprimis amicis ostendit. Ostendit Adamo nostri generis ac originis authori, cum ex ejus dormientis costa mulierem viraginem efformavit, proque ea carnem aliam supplevit. Nunquid enim Æternus ille Pater proferens è sacrario sui intellectus tanquam è sinu suo verbum æternum, illud carnis nostræ paludamento vestivit, eamque arcto vinculo copulavit, ut in unam duntaxat Verbum & Caro personam coalescerent? Ostendit Moysi Israelitarum Duci ac Legislatori, quando eius educta de sinu dextera visa est lepram contagione fœda maculis erumpentibus con-

Primum argumentum confirmatur ab amore desumpta ab exemplo amantium huius sæculi.

Applicatio.

Ab enumeratione Repetitio.

contraxisse. Nunquid enim *hæc mutatio dexteræ excelsi?* Nunquid eductus è sinu Patris æterni Christus Dominus, carne vestitus, maculis peccatorum nostrorum notatus, quasi leprosus apparuit? Ostendit Davidi, Iudæorum Herculi fortissimo. Regi ac Prophetæ sanctissimo, cum ille positam medias inter pelles fœderis Arcam non sine pudore suo conspexit. Nunquid enim tum medias inter pelles posita est fœderis Arca cum Deitas Humanitatis nostræ pellibus est contecta? Ostendit Elizæo Prophetæ, cum ipse, ut puerulum exanimem ac vita functum rursus ad vitam revocaret, suos voculos ejus oculis suum os eius ori, suas manus ejus manibus, suum corpus ejus corpusculo ita conjunxit, ut æqualis puero vir procerus videretur, donec morte frigidum vita reducta calefecit. Nunquid enim divina illa Maiestas, ut mortuæ Naturæ nostræ vitæ calorem inspiraret, ita sese incurvavit ac depressit, ut ejus Deitatis altitudo humanitatis nostræ paruitati æqualis videretur? ita membris nostris incubuit, ut os hominis os esset Dei, oculi hominis oculi Dei, manus hominis manus Dei? En illæ sunt, & quam admirandæ futuræ verbi incarnationis imagines! En illæ sunt celebrandarum cum Natura nostra nuptiarum Dei ipsius adumbratæ penicillo tabulæ? Sed nunquid grande hoc arcanum cum aliis quoque communicavit? Communicavit cum Noe fecundo illo generis humani conditore, quando ipse vino obrutus, & ad ostium tabernaculi sui denudatus jacens membris ludibrium primo fuit, postea filii sui optimi Iapher chlamyde est contectus. Erat nimirum filius hic hominis, qui Naturæ nostræ peccati vino obrutæ nuditatem fœditatemque humanitatis suæ velamento contexit. Communicavit cum electo dilectoque suo Patriarcha Ia-

Exclamatio.

Amplificatio imaginis incarnationis Dei.

cob quando ille nepotibus suis Iosephi filiis benedictionem moriturus impertiit, & virgæ ejus fastigium adoravit. Nam, ut Beatus inquit Chrysostomus, suo in typo Christum adoravit, qui è radice virgæ Iessæ flos erat ascensurus. Communicavit cum Moyse familiari suo, qui cum rubum ardentem & incombustum vidit, quid aliud, quam in vepribus ac spinis humanitatis nostræ, divinitatis ardentem ignem conspexit ? Communicavit cum Ezechia Rege, qui cum intra fauces mortem anhelans copiosissimis lachrymis Divinam Maiestatem obtestaretur, sanitatem longioremque vitam recepit, atque hoc signo confirmatus est, quod ad decem retrogradus, quos jam erat emensus sol abiret ac reverteretur. Nimirum verus erat hic justitiæ Sol, qui ubi depressæ per mortem jacentisque Naturæ lachrymas & squalorem animadvertit; ut ejus ægritudini medicinam adferret, & gratum mundo jubar exoriretur, per novem illos Angelorum gradus & ordines, quibus universa cœli militia describitur, ad hominem usque retrocessit, & in hac Natura nostra, tanquam in decima linea, salutarem umbram effecit. Ita cœlestis ille procus Naturæ nostræ moribus, tanquam sagittis quibusdam sauciatum animum gerebat, ita illam deperibat, ita totus flammis eius ardebat, ut in illo suo stellato Pallatio atque Æternitatis delitiis, ubi omnis sincera voluptas sine fastidio, oblectatio sine defatigatione, hilaritas sine fine, his tamen imaginibus ac tabulis, non annis aliquot sed quinque millium annorum intervallo sese recrearet, suos amicos ad novæ dignitatis spem erigeret, languentes tabescentesque consolaretur, & si quandoque ipse loqui vellet, hæc una inflammati ejus animi vox esset, *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* O amorem ! ô ardorem ! quid dicam ? inusitatum, an insolentem ? Nec tantus est unquam auditus, im-

A testimoniis.

Descriptio amoris Dei erga nos.

Exclamatio.

immaturum, an imprudentem? Nec leviter quicquam agit Deus nec imprudenter. Sed tamen permitte, parumper, ô Deus, ut tuum illum sive amorem sive ardorem examinem? quid dico examinem? ut intelligam. Tu Deus & Creator, hæc Creatura, tu Æterni Patris Filius, hæc primi peccatoris Adami filia; tu vita ipsa, hæc mortis rea; tu omnipotens, hæc inops & egena; tu ab æterno prodiens è mente Patris, par illi maiestate, par omnipotentia, par honore, hæc è stirpe rebellis Adami peccato deformis, miseriis abiecta, servituti mancipata, sceleribus infamis: cuius è familia quotquot aut rubri maris fluctus obruerunt aut cadentes è cælo flammæ Sodomæ ruinis involuerunt, aut ultricis iustitiæ gladiì sustulerunt, cuius fratres homicidæ omnes, sacrilegi, adulterii, perfidi, sicarii, virginum stupratores, idololatræ, venefici, tyranni, cuius è cognatione Herodes, quis ille? persecutor aliquando tuus, & infanticida: Iudas; quis ille? hominum scelestissimus, & tuus proditor: Pilatus, quis ille? Iudex tuus, & qui te postea quam in crucem sustulerit, lotis manibus innocens erit. Quamquam quid persequi singulos attinet enumerando? Eius affines impii illi & execrandi carnifices, quorum manus, & flagella tuo sanguine innocentissimo maduerunt: eius consanguinei Nerones, Caligulæ, Domitiani, Maximiniani, Diocletiani. Attilæ, & quotquot virgineam nascentis Ecclesiæ tuæ stolam sacratissimo filiorum eius sanguine purpuraverunt. Itane ergo tuæ maiestatis ac tui ipsius obliviscebaris, ut ei non tantum tuos amores consecrares, verum etiam in sponsam illam postulares? Illi te totum communicares? ex te atque ex ipsa unicam duntaxat personam efficeres? Sed quid erat ô Deus? Nimirum quemadmodum fortissimus aliquando Sampson visa muliere Philistina, ita vehe-

Contraposita

Definitiones conglobatæ.

Transitio.

Comparatio divinitæ.

moris cum amore. Campsonis. vehementi correptus est eius amore, ut uxorem illam sibi dari confestim efflagitares, nec aliam obstupescentibus & obstantibus parentibus suis causam opposuit; quam quod eius amoribus arderet: ita Deus, ita cælestis illæ Naturæ nostræ procus, non aliam ob causam coniungi illi copularique desideravit, proq; illo cælesti imperio missum hunc mundum pro Angelorum consortio hominum consuetudinem, pro immortalitate mortem elegit, quam quia Naturam nostram amabat, amando deperiebat, deperiendo vulnerabatur, vulneratus exclamabat: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Enimvero, quam amplis muneribus, & quam osculis suavibus suum illum amorem sponsæ suæ voluit esse testatum! Quid concipitis, Auditores? Annulos fortassis aliquos, gemmas, armillas monilia? hæc hominum sunt dona. An currus auratos, thesauros ingentes, familiam auro argentoque sonantem? hæc regum sunt dona; maiora omnino præstantioraque divinam illam Maiestatem decebant: Tunc munus cœleste, misit, cum Israelitas perstantes utrimque rubri maris undas in libertatem eduxit. Tunc divinum omnino donum præsentavit, cum è cælo Manna dimisit, cum è petra salientem aquam excitavit, cum tot victorias depulsis tot hostibus potentissimis concessit. Tunc oscula futuræ illi sponsæ suæ misit; quando per Moysen & Prophetas spem eius abiectam erexit, desiderium pene extinctum rursus inflammavit, inflictas aliquando miserias tanquam plagas quasdam sanavit. Tunc oscula misit, quando fidelem Abrahamum obedientem Isaacum, castissimum Iosephum, mansuetum Davidem, alios sibi dilectissimos Patriarchas, Prophetas & Reges dedit. O oscula plena dulcedi-

Gradatio.

Signa quib. Deus testatus est suum amorem.

dinis, plena suavitatis, plena divinæ voluptatis : ô oscula, amoris oscula ! sanctitatis oscula ! Sed non his, non his tamen Naturæ nostræ concitatus affectu explebatur. Quousque inquiebat illa, (utar Hieronymi verbis) quousque sponsus meus mittit oscula, per Moysen, mittit oscula per Prophetas? Iam ipsius cupio ora contingere, ipse veniat, ipse descendat, ipse *osculetur me osculo oris sui.* Non à Moyse, non à Iosepho, non à Davide, non à Salomone oscula expetebat: hæc ubræ tantum erant & promissiones. *Osculetur me osculo oris sui.* Nimirum ab ore Dei osculum expetebat, ut aliquando os ad os coniuncta Deo una cum illo persona efficeretur, & in una personæ duæ Naturæ conjungerentur. Verum quemadmodum cum utrimque maturus est amantium ardor, & inflammatum temporis diuturnitate desiderium, illum tandem illucescere diem votis omnibus exoptant, quo parentum obtento consensu nuptiis auspicatis coniunguntur; ita cum esse amplius sine Deo Natura nostra non posset, & conjungi Naturæ nostræ maturo amore Deus anhelaret; cum, inquam, tot imaginibus futuræ suæ incarnationis Deus inflammaretur tot muneribus & osculis à Deo missis Natura nostra concitaretur, quid restabat aliud quam ut illum diem cœlo jucundum, terris salutarem sol ille temporum dispensator acceleraret, quo missus è cœlo legatus Virginis futuræ matris consensum obtineret, & ornatissimam in terris Aulam, in qua Dei Naturæque nuptiæ peragerentur, inveniret? Exortus est, exortus est aliquando tandem ille dies, dies ille genialis. O Sodales, & electus è Nobilitate cœlesti Legatus ! cum supremæ Maiestatis, Sanctissimæ Triadis mandato gestienti bus civium supernorum ordinibus, parentibus cœlorum valuis exultantibus & famulantibus syde-

Exclamatio.

Hieronymi testimonium

Similitudo.

Auspicatio

Exclamatio ob legati præstantiam.

Excitatio. Auditorum. syderibus Angelus Gabriel in has usque terras processit. Attollite animos, menteísq; vestras Auditores, & in illud ascendite cogitationum sanctissimarum culmen, unde venientem Divinæ Maiestatis videre Legatum possitis Videte

——— Ille altum Zephyris per inane vocatus
Carpit iter, scindit nebulas, atq; aera tranat
Ima petens, pronusq; leves vix commovet alas.

Videte iterum, ille est.

——— Cœli alipotens, cui lactea fandi
Copia, diviniq; fluunt à pectore rores
Ambrosiæ, quibus ille acres mulcere procellas
Possit, & iratos pelago depellere ventos.

Anteoccupatio. Quid iam exhorrescitis fortassis, & non oculos tantum, sed & animos cœlestis ille fulgor perstringit? Non hic est Cherubinus ille, qui fulmineum flammantemq; gladium olim ante Paradisum distringebat. Non est exterminator ille spiritus qui primogenitos omnes in Ægypto ferro suo demetebat. Non est Angelus ille furibundus, qui per medium Sennacherib exercitum cadaveribus cadavera cumulabat, & sanguineos ferro rivos educebat. Non ex illis est unus, qui in Sodomam & Gomorrham ultrices è cœlo flammas proiiciebant. Non ille etiam Angelus, qui ense armatus ardenti Davidi totique regno minabatur, Nolite exhorrescere, Angelus est pacis: nolite timere, Legatus est salutis. Illum pax jam è cœlo remissa præcedit, & hominum lachrymas ac suspiria diffuso gaudio præscindit. Illum veritas è cœlo nata comitatur, & Prophetarum vaticiniis finem imponit. Iterum ergo sed recreatis & imperterritis animis videte. Omniũ olim nationum Legati cum in externam aliquam provinciam, ut sui Monarchæ vel Reipublicæ mandatum deferrent, proficiscebantur, certum aliquod suæ gentis signum, quo dignoscerentur, circumfere-

Repetitio cum enumeratione.

Amplificatio à more mundanorum Legatorum.

ferebant, & medio in apparatu, qui plerumque splendidissimus & magnificentissimus erat, ostentabant. Chaldæi flammam ardentem Babylonii columbam, Scythæ fulmen, Persæ arcum & sagittas, Romani Aquilam. Plane etiam illustrissimus hic Legatus, dum è cælo in mundum, Angelus ad hominem, à Deo ad Creaturam proficiscitur, sui Monarchæ cælestis Imperatoris signum ostentat, & Gabrielis nomine, Dei, à quo mittebatur, fortitudinem potentiamq; designat insuper multa ipse luce circumfusus candida refulgens veste, vultu mansueto gratiosoque serenus; diplomate, quod à Divina Maiestate accepit, instructus, in numero Angelorum numero stipatus procedit. *Descriptio huius Legati*

Paciferaq; manu ramum prætendit olivæ.

Bone Deus! quonam tandem vel oculorum, vel animorum aciem circumferemus? Si in cælos Vultum attollamus pater cæleste palatium, & inde prospiciens in terras divina illa in Trinitate Maiestas huius suæ Legationis eventum exspectat; Angeli in spectaculum effusi insolitam illam & inusitatam sui Principis legationem admirantur, & maximis gaudiis incedentes votis quasi quibusdam illam prosequuntur, sydera puriores faces accendunt, & quod ignorant, præsentare quodammodo videntur. Si illud quod cælo terraque clauditur spatium oculis dimetiamur, spirituum diffusorum ordinibus repletur. Si in terram oculi inciderint, hæc quasi revivifcens ver novum effundit, & pro lachrymis rorem amabilem, pro spinis rosas & lilia venienti Legato dispergit. Quæritis vero quamnam tandem Legatus hic cælestis accedat? Bene quæritis Auditores, & obsecro parumper hic transeunte interim Legato subsistamus. Audivistis aliquando Unicornem seu Monocerotem, si naturalium Scriptoribus rerum credatis, asperam omnino feram esse, sed *Eiusdem signum. Sustentatio ob insolitum splendorem. Transitio per interpretationem.*

quæ

no humore florebit. Ipsa est admirabilis illa porta Ezechielis, per quam gloriæ Princeps ingredietur,& clausa manebit. Ipsa est floridus ille lectulus, qui in Nazareth loco florido Dei filium verum cœli campique florem suscipiet. Si quæratis quanta virtutum dignitate sanctitas eius eniteat? Est ipsa plenitudo Sanctorum; superat Abel innocentia, fide Abrahamum, obedientia Isaacum, mansuetudine Davidem, dignitate Prophetas & Apostolos patientia Martyres, puritate Virgines, denique omni sanctitate Sanctos omnes: adeo ut thesaurus sit miraculorum Dei, & abyssus gratiarum. Si petatis quomodo tandem tantopere Altissimo placuerit? Humilitate, inquit Bernardus, placuit, virginitate concepit. Si scire desideretis, quid tum illa fortassis agebat, cum ad eã cælestis ille Legatus penetravit?

Comparatio eiusdem Virginis sanctitatis.

Testimoniũ D. Bernardi de Virginitate eius.

——Pro quanta alti reverentia cœli
Virgineo in vultu est? oculos deiecta modestos
Suspirat, matremq; Dei venientis adorat.
Felicemq; illam humana nec lege creatam
Sæpe vocat: necdum ipsa suos iam sentit honores.

Nimirum columba erat in foraminibus petræ, in caverna maceriæ: virgo erat, & hinc conclusa privatos intra parietes nullum suæ virginitati periculum metuebat: sancta erat; & hinc sola cum Deo tantum agebat orando, abrepta per cælos discurrebat meditando: pia seipsam adorabat, sed ignara legendo. Quanquam dum his immoramur, pertransiit iam legatus, & ad virginem ingressus cælesti facundia legationis suæ mandatum est exorsus. Irruamus animis & cogitationibus intremus. En hinc flectentem cerno legatum, iam enim Reginam suam adorat; illinc stupore quodam, quem verecundia depinxit, Virginem video confusam & admirantem? hinc Legatus

Transitio.

Annunciatio Virginis. gatus Ave, inquit, Gratia plena, & hoc modo ab amore, sancto nimirum Spiritu, à veritate, Filio videlicet, ab æternitate, Patre scilicet æterno, sese missum declarat: illinc Virgo humilitate sua sese involuens, quo altius extollitur, eo profundius sese demittit: hinc Legatus, Dominus, inquit, tecum, benedicta tu in mulieribus; illinc Virgo sese amplius submittit; & verecundi vultus colore laudes istas recusat: hinc Legatus, Ecce concipies in utero, & paries filium; illinc Virgo de pudore suo sollicita turbatur, trepidat, anxia nunc cælum, nunc terram, nunc Legatum ipsum intuetur & quasi Virginitatem suam propugnatura, *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Vere, vere, ô Virgo, virum non cognoscis,

——Cui vel nitenti matris abalvo
Protinus inconcussum & ineluctabile votum
Virginitas fuit una, nec est cur solvere amatæ
Iura pudicitiæ cupias.

Apostrophe ad B Virginē. Sed tamen da consensum, & Virginitatis non patieris detrimentum. Quid times? *Invenisti gratiam apud Deum.* Quid trepidas? Sanctum est, quod concipies; Deus est, quem utero concludes. Audi Legatum: *Spiritus sanctus superveniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Nulla hic opera viri, securus sit pudor: operatio est tantum Dei Virginitas exultet. Profecto nunquam in te conciperetur Deus, nisi Virgo esses, *Prosopopœia.* nunquam ex te nasceretur Deus, nisi Virgo permaneres. Da igitur consensum, ô Virgo. Audite Virginem Sodales audite. Ecce, inquit, Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum Nunquid videre & audire videmini prudentem & formosam Abigail, quæ ad nuptias Regis Davidis vocata, humi prostrata respondit; Ecce famu-

mula tua, fit in Ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei. Non est Abigail, Maria est: fit mater Dei, & se ancillam appellat; fit Regina cœli, & se famulam humillimam reputat. O felix humilitas! ô fortunata Virginitas! vobis duabus tanquam oculis duabus intuens Virgo Deum duplici vulnere cor ejus ita sauciavit, ut è Patris æterni sinu suum in uterum dilectissimum ejus filium attraxerit. Commendabat Humilitatem Virginitas, Virginitatem Humilitas exaltabat. Sed bene est, abunde est, consummatum est matrimonium, conjunctus est Naturæ Deus, conjuncta est Natura Deo; intra uteri virginalis orbem justitiæ Sol est exortus. Aurora lucem suam jam soli resignat, Legatus re perfecta discedit, Deum hominem in terris te inquit, in cœlis cœli Reginam cum gaudio, Dei matrem cum admiratione deprædicat. Ite nunc ô stellæ, sed facibus novis instructæ, sed crinibus pexis ornatæ, & exspectantes in Oriente Reges ad has nuptias vocate, adducite, dirigite. Ite Angeli & morantes in Iudæa Pastores in occursum novi Regis ac Sponsi vestris cantibus attrahit. Ite, inquam, & vel jam cytharis vestris atque organis divinum illud Genethliacum nasciturо Deo, Epithalamium cœlesti sponso aptare & præparare, GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBVS BONÆ VOLVNTATIS. Nos vero, nos Sodales in hac tanta cœlestium nuptiarum lætitia torpebimus? in hoc tam jucundo tamque festivo Iustitiæ Solis exortu non excitabimur? Si mihi fas sit in animorum vestrorum adita penetrare, & in illis cogitationum vestrarum vela parumper detrahere, videor hoc mihi votum videre, ô utinam ea in me humilitas esset, ut Deo placerem; ea virginitas, ut illum pura mente conciperē! fortassis ab Angelo meo audirē aliquando.

Exclamatio.

Peroratio cum triumpho de victoria.

Apostrophe alia.

Conversio ad Sodales.

Allegoria & optatio seu votum sodalium.

AVE

AVE ANIMA GRATIA PLENA DOMINVS TECVM; & ô quanta dignitas esset mea! fortassis osculaaretur me Deus osculo oris sui, & ô quanta suavitas dulcedinis eius totum animum meum pertentaret! fortassis in sponsam suam animam meam sibi copularet; & ô me beatum! ô me felicem! Detrahite, detrahite vela, Sodales, erumpat votum illud ingens, quod tacitus premit animorum affectus. Fas est quod optatis: fieri potest, quod desideratis. Et nunquid cœlestis ille sponsus nescio quo non amore percitus nostras animas procatur? Perditi eramus, & inferorum cruciatibus addicti ipse redemit? infecti peccati lepra vix jucundam auram respirabimus, ipse abluit suo sanguine, & sua morte sanavit, inopes eramus & nudi in hanc lucem exiveramus, ipse præter vitam sanitatem addidit, fortunæ bona cumulavit, quicquid quotidie optamus & habemus adiecit. En munera, & nunquid resipimus? Ipse ab altari orbiculo inclusus, cum ad sacram Synaxin accedimus, in os nostrum atque stomachum descendit, En osculum oris eius & nunquid sentimus? Tot admonitiones, tot inspirationes sanctissimas, quibus animas nostras sibi in sponsas deposcit; in cor nostrum atque animum immittit. En eius legati. Quid restat ergo nisi ut humili voluntate puraque mente consentiant, & dicant animæ nostræ Ecce ancillæ Domini, fiat nobis secundum verbum suum. Ita vos dicite Sodales, ego. DIXI.

Enumeratio beneficiorum nobis à sponso hoc Christo collatorum.

):(

ORA

ORATIO V.
In
VISITATIONEM
B. MARIÆ VIRG.

PRÆCLARE Philoſophorum quidam dixit olim. Viri Ornatiſſimi, Sodales Humaniſſimi, idcirco hominem à Deo conditum & in has abligatum terras eſſe, ut ſpectator & ipſius Dei; & operum divinorum eſſet, neque vero ſpectator ſolum, ſed interpres etiam & celebrator, ut cum Triſmegiſto loquar. Animadvertit quippe vir prudentiſſimus, ut rem unamquamque ad finem alium. Ita hominem orbis huius univerſi (quem *Templum ſanctiſſimum* appellant) Antiſtitem ab illo ſapientiſſimo mundi architecto, & ad intelligendum & ad agendum (ut Princeps ait Peripateticorum) procreatum eſſe. Etenim cum cæteras animantes, potens ille Moderator Vniverſi prono corpore ad paſtum proieciſſet:

Exordium à præſtantia humana, id, quæ ex authoritate Philoſophorum.

Os homini ſublime dedit cœlumq; videre.
Iuſſit & erectos ad ſydera tollere vultus.

Nos, inquam homines, veluti ſpectatores pulcherrimæ mundi machinæ, ad cœli ſyderumque conſpectum excitavit, & ſuſpicere præclariſſimum hunc ornatum imperavit, ut admiratione tantarum rerum ipſius Numen inveſtigare, inveſtigatum privatim adorare, publice celebrare aſſueſceremus. Et certe ſi hæc eſt nobiliſſima divini hominis origo, ut in ſcena terreni theatri perſonam agens, non ut inſanus ille Salmoneus fulgura tonitruaque repræſentet, ſed, quas fas homini eſt, humili caſtoque pietatis affectu ſempiternæ Ma-

jestatis ornamenta, justitiam, benignitatem, æquitatem imitetur: quis non eadem cœli providentia Sodales, institutos fuisse dicet, ut Reginæ suæ, Deiparæ ac Virginis intemeratæ spectatores, Paranymphi, interpretes existant? Quemadmodum enim homines, quos æterna bonitas ad effigiem moderantis cuncta Tonantis effinxit, illum admirantur & imitantur Monarcham suum; ita Mariani Clientes & suspicere Mariam suam, & decora morum imitatione ejus in se conformare virtutum ornamenta debent. Atque utinam ea nostræ vis inesset orationi, ut sicut domitricem illam rerum omnium materiam, ferrum, inquam, trahit ad se & complexu retinet magnes; ita illa vestris animis illapsa, hodierna potissimum die ad insequendam per montana Virginem pertrahere valeret. Vtinam vel potius incantationes essent verba mea, quæ eo vestros animos inflammarent pietatis ardore, ut assumptis amoris alis jam jam evolantes è corporibus Patronam insequeremini. Veruntamen id efficite per vos ipsos, Sodales date mihi cogitationes vestras, ut dum Regina & Patrona nostra

Similitudo. *Applicatio ad sodales.* *Alia.* *Optatio.* *Captatio attentionis.*

——— Afflatu divini Numinis aucta
Exsurgit, mortesq; procul contendit in altos
Festinans -----

alacri & expedito voluntatis amore comitemini: imo dum hoc iter cursumque Virginis ad cognatam Elisabetham abeuntis, (ita postulante Visitationis, quam veneramur, recordatione) prosequor brevi dictionis intervallo, vestros animos verbis meis velut catenis quibusdam alligate, ut dum in sacro tantæ Virginis comitatu vobis audientibus & comitantibus simul sermonem habeo, facilius Visitationis significationem non amabilem tantum, sed admirabilem, nec admirabilem simpliciter, sed adorandam percipiatis.

Propositio.

Ete-

Etenim si heliotropion, solaris herba, ita cum Sole circumagitur, ut eius ortum manè spectet, & omne per diem iter ita persequatur ad occasum, ut ad eum floris sui faciem convertat assidue, quidni etiam Sodales Virginis velut herbæ quædam in sacro eius crescentes horto, Virginem, amabilem illum Solem suum perpetuo spectarent, comitarentur, adorarent? Age ergo, ô Diva potens cæli, quæ velut potentissimus Magnes olim, tuæ castitatis vi admiranda Maiestatis Divinæ Numen in arcum tui sacratissimi uteri pertraxisti, ponderosum Naturæ nostræ nunc evince ferrum, & attrahe nos post te: immo Sol verus & Sole pulchrior dum abis in montana, Sodales tuos, tuos flosculos circumage tecum, ut alacres & afflati numine tuo curramus in odorem suavitatis tuæ. Abeamus ergo, Sodales, & *Comparatio.* *Apostrophe ad B. Virginem.*

——Dum aura sacri iucunda favoris
Nos super irradiat——

Dum Regina nostra indefesso passu montes ascendit, accincti voluntate prompta sequamur euntem. O viam admirabilem! O æternæ felicitatis iter! Valles deserit Virgo pia, & arcano concludens utero Deum festinat ad montes. Quo enim abire posset illa tandem, quæ cæli Monarcham conceperat, nisi ad montes & superiora? quo volaret hæc Aquila cælestis, nisi ad ardua & sublime cacumen orbis? Vbi estis generosæ animæ? Vbi estis Marianæ mentes? Ecce hoc iter est eorum, qui pleni Deo cælestis afflatum gratiæ hauserunt, ima deserunt, terrena contemnunt, suprema petunt, cælestia ambiunt. Ecce hæc est via, quam omnis anima verbo plena Dei sequitur, virtutum celsa cacumina gressu conscendens amoris. Et si lubet semitam ipsam considerare, quot hic sunt vestigia & insignia sanctorum? quã multa beatissimorum signa pedum in hac arena refulgent *Incitatio Sodalium ad sequendam Virginem.* *Amplificatio viæ quã B. Virgo calcavit.*

Per hanc olim purpurati Martyres properarunt ad laurum, quæ in sublimi posita generosos animos invitabat ad laborem. Per hanc abierunt Candidati Confessores ad vellus æternitatis, quod aliquando terrenæ fecis sublati contemptu in gloria reportarunt. Per hanc iter arripuerunt Virginum agmina, quæ calcatis mundi voluptatibus ad æterni thalamum sponsi properarunt, & pudicitiæ coronam acceperunt. Quid numerum innumerabilem prosequor? Quotquot olim generosas animas hausto semine de cælis terra progenuit, & nunc decursu vitæ spatio in æternæ felicitatis Capitolio triumphant, hoc iter ad montana virtutum instructæ talaribus peregerunt. Hunc, inquam, viam in auras, cum mundanus ille Minos terras & matris negaret, assumptis virtutum alis, quas amoris divini cera coniunxerant, arripuerunt, & ex hoc immani calamitatum ergastulo felices animæ avolarunt. Vere, vere felices animæ! Vna est enim, ut inquit Cyprianus, placida & fida tranquillitas; una solida, firma, perpetua securitas, si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cælum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admissus ac Deo suo mente iam proximus, quicquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, intra suam iacere conscientiam glorietur. Nihil appetere iam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo maior est. Et si hoc in loco sanctissimo, locum aliquem authoritatis habet scriptor ille, qui in antiquitate cæca vivens, posteritatis illuminatæ sapientiam degustavit, gravissimus Seneca, Ad sapientiam, inquit, (quisquis esse felix voles) te dirige, tranquillissimas res & simul amplissimas pete. Si conscendere hunc verticem libet, cui se fortuna submisit, omnia sub te, quæ pro excelsissimis habentur, aspicies. Sed quomodo verticem

Cypriani testimonium de hac via.

Senecæ testimonium.

illum

illum arduum conscendimus, ô Seneca? Audite modum: Relinque divitias, periculum & onus passidentium: relinque corporis voluptates; molliunt & enervant: relinque ambitum, tumida res est, vana ventosa, nullum habens terminum. O igitur fortunati illi, qui in præmiis humanis (ut inquiebat Scipio) spem non ponentes rerum humanarum, spectant alte & æternam contuentur aulam! O beatæ animæ, quæ sapientes & volentes calcata mundi vanitate contendunt ad montana! Et nos inter illas non essemus. Sodales? nunquam ex depressis huius terræ locis mentem sursum attolleremus? non in cælum, patriam illam nostram aliquando redire gestiremus? Fugiamus ô tandem valles orbis huius; illic hostes nostri, nostræ insidiantur saluti, illic laquei & expansa Dæmonum retia decipiunt incautos; illic tumentes libidinum æstuantium fluctus miseras demergunt animas. Exsurgamus ergo, & mente saltem cogitationeque iuga montiū conscendamus. Quidni in montibus tranquillitas esset & æterna salus? Audebo dicere; omne bonum in montibus, & à montibus emanavit in orbem. Erigite quæso animos & memori mentis cursu iam pridem elapsa perlustrate sæcula. Vbi ille parens innumeræ posteritatis Abraham filii sui præparavit immolationem? In monte. Vbi tabulas divini legis Moyses accepit? In monte. Vbi condita Christus humanitate faciem suam in æternæ vultum gloriæ transfiguravit? In monte. Vbi deniq; profusum idem sanguinem suum, & extractam laceratis membris animam pro scelerum nostrorum expiatione commendavit Omnipotenti? In monte. Quid amplius? Nonne etiam cælum non ad latus nostrum, aut sub pedibus, sed in altum supra capita locatum est, ut erigentes à terra vultum, oculos in æterni Regis domicilium attolleremus? & anhelantes ad patriā

Modus scandendi Virginem.

Exhortatio ad ipsos Sodales.

Montium præstantia.

Ab enumeratione partium.

Transitio à montibus ad vallem eiusq; descriptio. nostram aliquando, procul à vallibus in montana contenderemus? Veruntamen dum aliquousque iam processimus, respiremus parumper subsistentes, & retro oculos contorquentes relictam à nobis vallem consideremus: gaudet enim & recreatur non parum defatigatus viator, cum laborioso confectum itinere rursum visu decurrit intervallum, aut evitatum festinatione periculum agnoscit. Christe bone! quam multiplices in hac mundi valle viarum anfractus? quam itinera multa & diversa, quorum idem exitus quidem, non ad montana cælumq;, sed in scelerum voraginem, & sempiternæ damnationis abyssum Quot sunt enim, qui cum erigere mentem in cælos deberent,

Obstipo capite, & figentes lumine terram

Divites in vallibus habent. divitias respiciunt, & quæ habitant in centro terræ metalla, inexhausta effodiunt aviditate? Et hi, quid aliud sunt, quæso,

Quàm curvæ in terris animæ, & cælestium inanes?

Quot sunt alii, quibus est modulus vitæ culina, nec ullos norunt Deos præter Edusam & Potinam? Et hi curam aliam nullam habent, quam Epicuri, unicum ventris curare dolium, & fumantis stomachi culinam.

Quot sunt denique, qui inani vanitatis aura sublati, superbiæ decurrunt iter? Et hi quid aliud sunt etiam, quam Ixiones superbi, qui cum Iunonis thalamum, id est, gloriam, quærant, cum nube vanitatis interim commiscentur biformium monstrorum, deformium peccatorum, progenitores? Nolim eorum deplorare viam, qui negotiis huma-*Transitio.* nis velut laqueis quibusdam ita sunt irretiti, ut nequeant hanc assumere cogitationem.

Quid sumus, & quidnam victuri gignimur? ordo

Quis datus, aut meta qua mollis fluxus, & unde?

Non eorum etiam prosequar calamitatem, qui velis & remis, ut ajunt, provolant ad officia dignitatesque mundi; nec illud perpendunt Regii vatis, obstante naturæ cæcitate :

Transitio.

Eois coeat viribus occidens,
Coniurent calidæ cum Boreaplagæ,
Frustra divitias, sceptra, potentiam
Cuiquam conciliaverint :
Vnus Rex hominum est, res hominum suo
Versans arbitrio, Deus.

Miseri profecto & infelices omnes: sed ô miseris miseriores illos, qui non tantum in vanitatis arena pedem figunt, sed in spurcissimarum sese voluptatum pelagus demergunt. Quid faciant? aut quæ his effulgeat aura salutis ? Ostende miseris cœlum; non respiciunt. Acclama salutem, vel intona perditionem; non audiunt. Trude tardos & impelle, non sentiunt. Trahe tecum & attolle; iterum recidunt. Sed quid est, ô miseri homines, quod ita sub jugo tenet animos vestros, ut flectere vos ipsos ac respicere non possitis? Vita festinat, mors adest, & in ipso lucis apparatu destituit vos vita, non surgitis tamen, imo nec respicitis in montana Erigunt sese herbæ, & attollunt in aerem ramos arbores, vos homines jacetis, & vosmet [illegible]os deprimitis in perditionem ultro Cœlos admiramini solemque, & ignitis distinctum orbibus Omnipotentis domicilium; displicet attamen virtutis via, quæ trahit ad hoc decus æternitatis sola suis illecebris irretitos. Quin respicitis naturam vestram, & vos semini è cœlis hausisse recordamini? Quin intellectum vestrum nobilem illum cœli civem consideratis? Peregrinus est in corporibus vestris, cui cum decreto Majestatis æternæ ductores sint & custodes assignati, sensus ipsum illi sua gravitate deprimunt deorsum, & in hoc corporis

Amplificatio miseriarum voluptuariorum.

Horum conditio peior herbarum conditione.

poris ergastulo ita vexant fraudulenti satellites, ut in cœlum patriam suam erigere sese non possit. O durum nimis exilium! O longa nimis & ingrata via, in qua labores assidui, otium & voluptates nulla periculum perditionis præsens, salutis vix spes ulla: progressus in miseriam cum acerbitate, nullus ad felicitatem cum gaudio regressus. Sed satis sit respirasse, Sodales, dum subsistentes retorquemus in vallem oculos, abit Virgo nostra, nec abit tantum, sed cum festinatione currens abit:

Via quam hi terunt gra vitas.

Nec mora nec requies unquam; nec lumina flectit,
Cœlicolum quamvis sacra circumdata cœtu,
Donec ad optatum pervenit sedula limen.

Vincit hic Orationem nostram affectus, & exsurgens impellit animum pietas. Obsecro enim, si quotquot hic in sancta Parthenii cœtus congregatione sumus, olim occurrissemus festinanti per montana Virgini, aut certe non procul à via latitassemus in dumetis, gressum explorantes abeuntis, & visu sequentes intenso, quis nostrum non animi gestientis exultatione superatus fuisset? cuius non ex oculis lætitia lachrymas eduxisset? Quis animum suum protinus avolantem, quis imo seipsum retinere potuisset? Non agnovissemus nos ipsos, non locum, non horam, non conditionem: non vincente mox pudorem lætitia, provolassemus è latebris, viam arripuissemus, genibus in terram flexis per Virginis vestigia prorepsissemus. Hæc tangere summa voluptas; lachrymis nostris irrigare, summa jucunditas; deosculari, sola nobis vita fuisset. O animæ nostræ, cur ea contingere fortunata vobis non potuit felicitas, ut Dei Matrem, cœlorum Dominam, terræ Reginam sequeremini? Cur non ista fuit conditio vestra, ut editæ tum in lucem & ni-

Repetitionis conglobata.

nimio plenæ gaudio velut à mentibus alienatæ, Virginem abeuntem, beatam ac fortunatam prædicaretis? Non erat illa, ut Virgines nostræ, lasciviusculè atque superbe ornata; non annulis, armillis, monilibus fulgebat; non cirris & caliendris sese ostentabat; non in vestibus conchyliatis aut crocotulis triumphabat; non segmenta & peniculamenta, non ineptias alias iactitabat. Qualis erat ergo?

Virginis currentis descriptio.

——— Nullos studiosa paratus
Induitur, nullo disponit pectora cultu.
Tantum albo crines iniectu vestis inumbrans

Omnia modestiam insignem, & admirabilem spirabant ubique pietatem: omnia comitantes Angelos & æternæ Maiestatis oculos recreabant; omnia humilitatem incredibilem significabant. Non oculos in se retorquebat amans, non eosdem ad latus respiciens agebat; non hærebat, aut leviter immorabatur. Ibat deiectis in terram oculis, quos humilitas ducebat, mente semper in cælos erecta, quam pietas animabat; pedibus ad cursum impigris, quos charitas impellebat. Et quæso cur aliud quam cælum intueretur illa anima, quæ virtutis ingressa viam festinat ad Deum? Quæ virtutis decurrens iter, Chrysostomo teste, festinat, & à terra redire concupiscit in cœlum, omnia quæcunque deorsum apparent, relinquit, & totum se cur sui dedit, nec prius subsistit, donec verticem conscenderit optatum. Cur oculos deflecteret in latus aut respiciens contemplaretur aspicientes? Scilicet non aspicit cursor egregius ad spectatores, sed ad præmium: in hoc solum est, ut currat, ut præmium consequatur. Cur dubio passu & deliberante ut sic dicam pede, viam ingrederetur? In mora periculum est. Audi tandem quisquis voles, & virtutis pede tardo semitam calcas, audi Deum animabus nostris, ami-

Virginis modestia & pietas.

S. Chrysostomi testimonium.

cis suis acclamantem; surge, propera amica mea. Audi Prophetam, & imitare diligentiam: viam mandatorum tuorum cucurrit, cum dilatasti cor meum. Audi sapientem & sequere consilium eius: Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Audi Apostolum, & aliquando tandem agnosce mortem tuam: surge qui dormis, exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Immo cum audiveris acclama: Trahe, trahe me post te, O Deus curremus in odorem unguentorum tuorum. Vbi sunt ergo illi, qui nullum Dei percipiunt odorem, & propterea cunctantur, perq; rerum creatarum vanitatem aberrantes in illam terræ lacte melleque manantis quietem non ingrediuntur? Vbi sunt illi, qui virtutis sparsam ubique fragrantiam non sentiunt, & ob hoc non currunt, putridi remanent, mortui iacent? Vbi sunt, inquam, cunctatores illi Fabii, qui rem suam non restituunt, sed cunctando destituunt salutem? Nondum Antonios, aut Paulos intellexerunt, quorum audita vox Omnipotentis animos excitavit ad cursum salutis? Nondum Celsos, Bernardos, Alexios, infinitos Heroas alios audiverunt, qui festinantes à mundo felicitatis æternæ bravium reportarunt? Iterum dico & acclamo, in mora periculum est. O quantas hac olim mora calamitates miseris invexit animabus! O quantos peperit gemitus, & abrupto cursu cursu cumulavit dolores! Non festinarunt proficiscentes ex Ægypto Israelitæ, & in brevi substiterunt itinere. Sed quo tandem pervenerunt? quadraginta per annos totos proculaberraverunt. Non festinavit Dives Epulo: & ubi miser remansit ergo? In ardentibus remansit inferorum flammis, guttam inde miseram reposcens, unde fontem dulcedinis haurire cum festinatione potuisset. Non festinavit Chrysaorius ille Venereus; ubi nunc est autem? O sortem abominandam! O mutationem

Enumeratio eorum qui Dei odorem non percipiũt

Exclamationes ob horũ miseriam ab exemplis,

per-

perhorrescendam? Inducias usque mane subsistens olim petebat à morte, mox in bellum incidit æternum: sentit vivaces in pœnam flammas, & sero circumscriptus æternitate suam deplorat tarditatem. Non festinant, impiorum greges. Non festinant? Immo celeri cursu divinæ legis repagula perfringunt, & in Tartarum delabuntur. Non festinant, inquam, impii, & cum honestatis dignitatisque curriculum semel ingressi fuerunt, suam Eurydicem, id est, carnem suam & corporis voluptatem respiciunt, illam omnibus nervis fugacem persequuntur, vanam amplectuntur, mortuam fovent; & interim verissimam illam atque immortalem, quam ex virtute sciunt emanare animi voluptatem, dimittunt. Non ego hoc dico tantum, dicunt docti, proclamant & inculcant sapientes nihil quod retardare quampiam magis queat in semita virtutis esse, quàm corporis voluptatem.

Exitus impiorum.

Malitia voluptatis.

Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostes

Quantum sola noces animis illapsa voluptas.

Apage monstrũ, apage procul à Mariano pectore. Non te virus amarulentum mens sincera degustet; non aspiciat tenebricosam te nubẽ, quisquis ad solem sempiternæ lucis aspirat; non concipiat te pestilentiam atrocissimam anima, quæ aliquando respirare concupiscit in æternitate. Tu sensibus implicata hominũ insides, & dum tui desiderio contabescunt, paulatim excrucias incautos; cœcos amplecteris blanda, & miseros postea demergis severa; venenis linite soles suavissimis, ut aculeis pungas inferorum acerbissimis. Et tamen quam multi te mollibus in stratis suis fovent & amplectuntur? quam multi te suarum libidinum saporem degustant? quam multi te in poculis requirunt, & inesculentis amant? Quam multi

Amplificatio eiusdem.

(O vanas hominum mentes! ô pectora cæca!)

 te sua-

Visitationis Marianæ suavitas, & descriptio. te suarum statuunt cogitationum ideam, pectoris idolum, otii delectationem? Immo; sed occludit indignitas vocem, & in ipsa festinatione cunctamur, Sodales. Subiit jam Virgo cognatæ suæ domum, & ineffabili felicis animæ gestiunt exultatione. Quantus amor! quam gratus tantæ Virginis ac Matris adventus? Occurrit Elisabetha cognatæ suæ, & omnem colligit in verba salutantia vocem; exilit nimio gaudio, & sese vix agnoscens, Domini sui matrem acclamat; illam amplectitur, & in amplexu defixa jam jam evolantem recreat animam. Ille major Prophetis omnibus, nondum puer tamen natus, & adhuc uteri materni cavea conclusus, Virginis adventantis veluti suavissimo philomelæ cantu protinus excitatur; quam non videt Domini Matrem, vocem eius agnoscit; conspecta nondum, in qua vivimus, luce, de luce vera testimonium sonat; qui ambulare conclusus & alligatus utero non potest, currere conatur, & officium exercere præcursoris! Omnia laudibus personant & exultationibus; hinc Elizabetha Virginem laudat, inde Virginis magnificat anima Dominum. O fortunatam ter domum illam, quam ingreditur Virgo parens! O tecta beata, quæ cum matre Christum recipiunt, & cum utroque Spiritus sanctus complentur afflatu! At nos hæremus ubi tandem? ubi remanemus? Secuti Virginem per montana sumus, sed non assecuti, illa supra cœlos, nos in vallibus adhuc mundi respiramus anhelantes. Cur non evolatis animæ? Cur non elatis supra terram affectibus per auras viam in cœlos ingredimini? Cur pascendis sensuum gregibus vallem hanc miseram inhabitatis? Exsurgite tandem animæ, & in amplexus Reginæ vestræ suavissimos properate. Quid? corporumne moles obstat, & conditionis mortalitas nostræ remoratur euntes? Tu, tu Diva parens, Regina mundi, quæ jam exce-

Exclamatio.

Interrogatio, ad Sodales.

Apostrophe ad B. Virg.

excelsis in montibus cœli nectat æternitatis ore deguſtas immortali, quæ virtutum omnium ſublata pennis, & ardentiſſimo Divinitatis amore ſupra cœleſtes orbes evolaſti; Tu, inquam reſpice tuos in valle Sodales; imo ipſa deſcende, & tuos Mater filios, Patrona clientes, Regina ſubditos inviſe. Tui ſumus, ſed mortalitatis adhuc onere gravati penetrare nequimus ad te; Patronam te colimus & Reginam, ſed accedere fragilitas nondum depoſita vetat. Tu veni glorioſa Mater, & cum à Filio ſeparari nequeas, illum deſer egenis animis beatiſſimum fructum tuum. Si viſitaveris, illico tecum nos una trahes, & imbutæ ſemel tuis unguentis animæ noſtræ te cupient ſolam, te ſequentur unam, & per tua veſtigia humili mente, ſed erecto prorepent affectu. Sumamus ergo, Sodales, animum, & dum Virgo ſurgit ad montana, ſurgamus ad virtutem, diſcedamus ab amore mundi, & excuſſa conditionis noſtræ ignavia calcatoque peccandi more ſalutis viam vitæ montem, conſcendamus: dum feſtinat illa, feſtinemus & nos, ut fervido celerique animo mandatorum decurramus iter, & ardente charitate pleni, virtutis opus ſemel inchoatum abſolvamus. Vberiores quippe fructus celerata devotio refert. Non annos alios & ætates exſpectemus non dies aut horas: nunc, nunc hora eſt, cum intelligimus, audimus, videmus, & adveniens nondum moram periculum occupavit. Submittamus animos ergo, & conceptis mente votis, ſolutis amantes æternæ, Virginem Mariam laudemus, cœli Monarcham adoremus. DIXI.

cum ſupplicatione.

Concluſio cum exſtimulatione Sodalium ad virtutes.

ORATIO VI.

In

ASSUMPTIONEM B. MARIÆ VIRG.

Exordium à tribus votis D. Augustini.

FVlgentissimus ille Christianæ Reipublicæ Sol Augustinus, à cujus luce Catholica veritas toto orbe lucem accepit, & cujus radiis dissipatæ hæreticorum omni ævo nubes evanuerunt affectu tria desideravisse, videre nimirum Christum in carne, Paulum in ore, Romam in flore. Et sane nihil contingere optabilius in terris homini posset, quam formosam illam Divini oris speciem, virginalem vultum, roseas ac nitentes genas, divinam, inquam, illam atque æternam Maiestatem humana carne indutam, in qua salutis spem omnem fixam atque locatam habeat, coram intueri: nihil jucundius vero, quam Vas illud electionis Gentiumq; Doctorem inusitato divinæ Eloquentiæ fulmine tonantem, Regum ac Tyrannorum efferatissimos animos facunda voce percellentem, barbaras immanesq; gentes ab Idolorum cultu ad Christum potenti verbi virtute avocantem ac convertentem audire: nihil denique admirabilius, quam eam oculis usurpare civitatem, in qua curia templum quoddam, Senatus Deorum quidam confessus esse videatur; cujus potentiam terrarum imperia reformidabant, Virtutem, Prudentiam, Disciplinam admirabantur, leges ac jura recipiebant. Quod si tamen fas sit mihi sanctissimi Doctoris profundius animi sensum, piamque illam curiositatem perscrutari, vel idcirco mihi optavisse

Christi incarnati pulchritudo.

Pauli prædicantis eloquentia.

Roma triumphantis maiestas.

visse videtur in flore Romam intueri, ut amplissimum illum triumphi honorem, qui victoribus annuente Senatu decernebatur spectaret. Etenim incredibilem animo & sensibus omnibus voluntatem hausisset, in porta triumphali Romæ constitutus vidisset præcedentes tubicines, triumphalesque modus occinentes; post hos boves permultos auratis cornibus, vittis sertisque redimitos, & iam ad sacrificia paratos; tum speciosissimam illam manubiarum ac spoliorum ostentationem, quæ singulari arte composita, partim plaustris vehebantur, partim ab ornatis adole centibus gestabantur: titulos deinde gentium devictarum, imagines urbium expugnatarum, fluviorum, montium promontoriorum, succedentes hostium inde Duces ac Reges catenis onustos, aut ad currū aliquando religatos, post illos & ante currum Imperatoris coronas aureas ab urbibus ac provinciis honoris causa transmissas: ipsum tandem Imperatorem curru sublimi magnificeque exornato vectum, triumphali veste fulgentem, corona laurea redimitum, ramumque lauri manu gestantem: sequentes exinde currum longo ordine equites peditesque laureatos omnes, & data sibi ob virtutem ab Imperatore dona præ se ferentes, urbe denique tota parentes Deorum ædes, coronisque & suffitibus repletas; cives confestim omnes velut in publica eaque lætissima festivitate applaudentes, & triumphum iucundissima aggratulatione cientes. Longum esset universi triumphi invidendum apparatum, quem propius intueri maximæ voluptatis erat, oculis vestris repræsentare; neque sane est opus, cum non illo hodie Augustini voto perculsi triumphantem videre Romam, sed Cœli Terræque Imperatricem Mariam triumphali pompa, & divino prorsus apparatu cœleste Capitolium ingredientem, quantum

Triumphi Romani descriptio.

ani-

Comparatio spectatorum Romani triumphi cum huius Mariani triumphi spectatoribus animis ac cogitatione potestis, spectare desideretis. Et vero quemadmodum olim, qui ex urbe & aliis Italiæ locis ad triumphi spectaculum confluebant vestitu mundo, eoque ut plurimum albo induti pompam ipsam spectabant, transeuntique Imperatori animis gestientes manibus applaudebant; ita plane confido purissimis animis & candidatis pectoribus huc vos omnes ad divini triumphi spectaculum convenisse, ut triumphanti Imperatrici vestræ profusis lætissimi animi desideriis applaudatis. *A materiæ gravitate. Invocatio Virginis.* Vnum vero non mediocriter me perturbat, & Eloquentiæ non satis robustæ conatum deterret, quod Præco & Orator tam infirmus, ad pompam tanti triumphi declarandam vocatus accedam. Sed nimirum, ô Maria, ô cælestis Imperatrix, quicquid humanum est, tua gloria minus est, quæ naturæ dignitate, conditionis excellentia, virtutum maiestate, omne laudis & honoris fastigium excessisti, ideoque omnem humanæ potentiæ & Eloquentiæ conatum deterres. Permitte tamen, ut quæ cælestes in cœlis & Angelicos habes triumphi tui Præcones, in terris & inter homines humano præconio lauderis. Si triumphalem tuum in cælos ingressum pati Eloquentiæ dignitate prædicare non possim, ad tuum in terris triumphum me convertam, in hoc quoque si defecero, pressa voce cæteris me iungam, & tibi tantum animo applaudam.

Mos Romanis triumphi. Qui amplissimum triumphi honorem apud Romanos olim petebant, eos extra urbem subsistere, atque ibi Senatus, quem iam ante laureatis litteris de victoria certiorem reddiderant, exspectare decretum oportebat. Tum enim prudentissimus ille Senatus paucorum intervallo dierum victoriæ magnitudinem, meritaque victoris, ne qua virtus rebus forsitan non satis præclare feliciterque gestis summo illo & magnificentissimo honore ornaretur ponderabat. Cuius

mo-

moris ac consuetudinis præclarissimæ ut aliqua festigia sequamur, consistat velut ante cœli portas Imperatrix nostra, & de triumpho suo Sanctissimæ Triadis decretum agente filio præstoletur. Videor enim mihi jam in illa augustissima Cœli Curia confidente Æterno Patre sollicitum pro triumpho Matris filium ita agentem ac dicentem audire. Si quæ merces est virtutis si quod præmium meriti, si quis victoriæ triumphus jam aliquando tandem & mercedem, & præmium, & triumphum Matri depoſco. Illa est, quam cum tua gratia præservante labes originalis inquinare non potuerit, virtutis omnis sacrum quoddam delubrum exiſtit. Illa eſt, in quam cum omnem cœleſtis gratiæ oceanum profuderis, talemque feceris, qua meliorem ac digniorem non poſſis, quicquid dare largirique potes, meretur. Illa eſt, cui, cum ſerpentis caput contriverit, inductas ab Eva ruinas inſtaurarit, ſalutem, ſalutis authorem me gignendo reduxerit, triumphus ampliſſimus & æternus debetur. Latui in eius virginalis uteri clauſtris, ſinum ejus & brachia gratiſſimo pondere implevi, ubera ſuxi, & virgineo ejus inprimis lacte, tum cibo crevi. Cum prodire incepi, comitata eſt; cum ad mortis cruciatus acceſſi, non deſeruit; cum hanc animam tuas in manus in cruce commendavi ejus animam doloris gladius pertranſivit. Si virtutem requiris, ſpeculum eſt virtutis, & propoſitum in ſæculis omnibus exemplar; ſi innocentiam, nunquam peccavit; ſi integritatem, immaculata eſt; ſi meritum, mereri ab ortu ſuo non deſtitit; ſi gratiam, plena eſt; ſi dignitatem, mater mea eſt. Atque hæc cum in illo cœleſti palatio glorioſiſſimus Filius ab illo ſuo in dextera ſolio commota jam univerſa Curiæ cœleſtis corona plenus ipſe & concitatus amantiſſimæ voluntatis affectu dixerit, an non ſubito Æternus Pater Candidatæ & Victrici Virgini-

Mos hic servandus in triumpho Mariano.

Prosopopæia.

Enumeratio meritorum B Virginis.

Enumeratio virtutum eius.

gini triumphum decrevit? Decrevit sane, & ut illum intueri animis, triumphalemque sequi currum festinantissimis desideriis possitis, concipite, Sodales, non illam dico fœderis arcam, quæ ex Philistinorum terra ad Bethsamitem, hoc est, ad solis domum reducta. Nimis enim parum est, & est tamen ipsa salutis arca. Non dico tabernaculum illud pulcherrimum, quod posteaquam sub tentoriis diutissime delituit, tandem in magnificentissimum illud totoque orbe famosissimum Salomonis templum est invectum. Nimis adhuc parum est, & est tamen ipsa Altissimi Dei tabernaculum. Non dico Bersabeam Salomonis Regis matrem, cujus in occursum ipse Rex assurgens primo eam salutavit, cum in solio thronoque Regio suo dextera collocavit, atque insuper quicquid vellet petendi potestatem concessit. Nondum etiam satis est, & est tamen ipsa veri Salomonis mater. Concipite igitur formosissimam illam Estheram, quæ incredibili pulchritudine ornata omnium oculos atque animos in se converterat, sed ita concipite, ut videre videamini eam in Regis Assueri conclave regalibus indutam vestibus introduci, à Rege salutari, arctissimo complexu stringi, ejus capiti regni diadema imponi, Reginamque renunciari, nuptias ejus cum Rege celebrari, per magnificum Principibus omnibus ac servis conuiuium adornari, populis provinciisque universis dona distribui, ac pacem toti imperio singulari Regis magnificentia concedi. Iam aliquod triumphi hujus simulacrum habetis, (erat enim Maria velut Esthera Regina) nondũ tamen triumphum ipsum videtis. Repræsentate vobis iterum Reginam Saba, quæ ab ultimis Orientis finibus, ut Salomonem videret, & ejus sapientiam, quam fama perceperat, audiret, Hierosolymam venit. Sed quomodo? *Multo,* ut inquit Scriptura, *cum comi-*

Transitiones variæ.

Introductio Virginis, Esthra introductioni accommodata.

tatu, & divitiis, camelis portantib. aromata & aurum infinitū nimis, & gemmas pretiosas: adeò, *ut non sint allata ultra aromata tā multa, quam ea quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* Ita nimirum Regina Cæli ab his remotis terrarum oris in cælestem illam civitatem, & ad filium suum verissimum Salomonem multo cum Angelorum comitatu, multis virtutum divitiis, innumeris gratiarum aromatibus, infinitis bonorum operum gemmis pretiosissimis transcendit. Quid vero amplius exigam à vobis, ut divinum hunc aliquo modo triumphum intueri possitis? An ut Auroram pexis capillis & radiante vultu supra terras mane consurgentem, quam penè Sol admirabili luce perfundat, concipiatis? Concipite per me licet. An ut surgentem è busto Aquilam, sursumque cælos interrupto volatu petentem videre vos fingatis? Fingite equidem. An ut formosissimam illam Saram, quam Principes Ægyptiorum tantopere Pharaoni commendaverunt, inque Regiam perduxerunt, vestris animis obiiciatis? Obiicite sane; sed figuræ sunt, umbræ sunt, & simulachra tantum: neque mea, sed omnium disertissimorum Oratorum facundia verum ipsum Deiparæ triumphum pari eloquentiæ apparatu potest repræsentare. Agite tamen quantum possumus conemur, & ab umbris illis ac figuris mente ac animo nos ad sacrosanctum illud sepulchrum, in quo Regina mundi, velut ante cæli portas præstolabatur, constituamus. Considebat ad hoc sepulchrum sanctissimus duodecim mundi Antistitum Senatus; aderat Legatus è Cælo, & decretum concessumque triumphum nunciabat; sequebantur innumeræ cælestium Spirituum legiones, & inter has, ut amantissimæ Matris triumphum decoraret, filius ipse Christus Dominus, divina æternaque Maiestate resplen-

Virginis vera introductio.

Sustentatio.

Interrogationis ab enumeratione.

Triumphi initium.

Definitiones conglobatæ. resplendens obviam procedebat, cum ecce cælestis illa Aquila, illa vitæ Aurora, illa salutis Arca, Imperatrix nostra, cum in sacros artus iterum anima sese insinuasset, de sepulchro consurrexit, & sese ad triumphum accinxit. O quanta corporis maiestate plenissimi venustas erat? quam ardens divino splendore vultus? quam micantes toto è vertice radii? quantus, quam suavis odor omnibus membris efflabatur? Hærebant attoniti Senatores Apostolici; obstupescebant & admirabantur inusitatam formæ dignitatem circumfusi Angeli, simulque omnes acclamabant: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delitiis affluens, innixa super dilectum suum?* Interim procedebat ipsa triumphali vecta curru, quem Virginitas plane singularis, Humilitas profundissima, Charitas ardentissima trahebant. Ipsæ cohortes Angelicæ insolita lætitia exultantes partim præcedebant, & musicum illud melos suavissimo iubilo certatim ingeminabant, *Ista est speciosa inter filias Hierusalem;* partim sequebantur & applaudentes dicebant: *Quam pulchri sunt gressus tui, filia Principis, in calceamentis tuis?* partim comitabantur & circumvolitantes accinebant: *Veni sponsa, veni de Libano, coronaberis.* Ipsæ elementorum commotæ moles transeuntem mundi Reginam consalutabant; ipsi corporum cœlestium Orbes arcuatim sese incurvabant, ut triumphales esse arcus viderentur; Sol ipse triumphantem circumdabat, ut esset *Mulier amicta Sole*; Luna sese ad pedes dimittebat, ut esset *luna sub pedibus eius*, Stellæ omnes faces suas attollebant, & duodecim ex iis maiores inter se connexæ triumphantis vertici coronam invectabant. Nunc vero quid hic dicam? iam in occursum matris processerat filius

Triumphantis Virginis incessus qualis.

Amplificatio.

filius, iam in amplexum filii mater ascenderat; imo hærebat hic & hærebat illa in amplexu; hinc mater ac sponsa suavissimis & amore plenissimis verbis acclamabat: *Inveni quem diligit anima mea, teneo eum, nec dimittam. Osculetur me osculo oris sui.* Vos verò ô Comites Angeli, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Dilectus meus mihi, & ego illi:* illinc filius ac sponsus non minori sauciatus amore respondebat: *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni, iam enim hiems transiit, imber abiit & recessit. Asta Regina à dextris meis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Coronaberis sponsa mea, Mater mea coronaberis. Ita illa innixa super dilectum suum per medias supernorum civium turmas, inter applausus & festivas Sanctorum omnium aggratulationes Cæli Capitolium ingressa, ibique solium ac thronum in filii dextera sortita, diademate regali ab æterno Patre coronata est. O imperatrix! ô triumphatrix Maria! impudens & temeraria sit Eloquentia, quæ tuæ gloriæ magnitudinem, tui triumphi æternitatem, tuarum delitiarum affluentiam exprimere conetur. Super te Deus solus est, infra te quicquid non est Deus. Mediatrix inter homines & Deum facta, Regina cæli & terræ salutaris; & pene quicquid potest Deus, tu ipsa potes, quia per te vult & facit. Hæres æternum in amplexu filii, ut gravissimo aspectu Pater hinc matris ubera illinc filii vulnera conspiciens nunquam misericordiæ suæ obliviscatur. Tibi universi Angelorum & Sanctorum Ordines applaudunt, & triumphatrici triumphales modos festivis acclamationibus accinunt. Enimvero quoniam hic impar est omnis Eloquentiæ conatus, fateamur nos æterni illius triumphi magni-

Suspiria Virginis.

Coronatio Virginis.

A gravitate rei.

Applausus Virginis.

magnitudine obrui, & ad illum, quem ipsa to
orbe populis omnibus applaudentibus, triun
phum ducit, orationem convertamus. Atque i
primis ut ab illo Romanorum veterum more
non recedamus, constituamus rursum velut an
portas præstolantem Imperatricem nostram,
eius in orbem universum merita, quantum sa
est, expendamus. Nolo tamen iam illud comm
morare, eam esse Imperatricem nostram, quæ
lutis authorem illibata virginitate terris omn
bus produxerit: Lateat etiam hoc, quod iam
cælo mundi patrona divinæ Maiestatis benig
tatem singulari amore in homines omnes inf
ctat. Alia sunt, alia eius in orbem merita pa
inclyta, bello admiranda. Quantum est, quod cu
sæviente per universam Europam circa annu
Christi sexcentesimum gravissima peste Greg
rius ille Magnus orbis Pontifex solemni indi
supplicatione frequentem iussisset clerum ac p
pulum adesse, vir irati Dei furorem patrocina
Deipara Virgine, cuius ipse peculiarem manu
figiem gestabat, deprecaretur, subito pestis el
guerit ac sedata fuerit? Quantum est, quod c
Fredericus Secundus, nihil non ageret in Ori
te, ut Pontificis funditus authoritatem everten
Saladinus in Syria Christianos profligaret, c
cta passim & ubique ferro inique miscerent
& iam Oriens Ecclesiæ rebellaret, Imperatrix
stra ante filium prostrata (ut sanctissimus Do
nicus ipse vidit) furorem eius mitigavit, &
manibus fulmen extorsit? Quantum est, qu
cum Hæresi illa Pauli Samosateni, ut uni
sum genus humanum inquinaret, ab inferis
pisset, piissima Imperatrix nostra sanctissim
Gregorium Thaumaturgum, edocuerit, qui
veritatis fortissimæ iaculis pestilentissimam
lam hæresim profligaret? Si bella desideretis
ius iussu Mercurius martyr Iulianum infen
m

Secundum Romanorũ morem enumeratio meritorum Virginis.

B. Virgo pestis luem sedat.

Dei iram in homines cõposuit.

Hæreses profligat.

mum Christianorum hostem hasta transfixit. Narseres Gothos Arianos multis præliis à se victos, dum sanctissimæ hujus Imperatricis consiliis, priusquam cum hostibus signa conferret, obtemperat, in servitutem redegit. Heraclius, cum ob Phocæ Tyranni in suos crudelitatem Persæ cunctas Asiæ regiones occupavissent, accepta à Stephano Metropolita Cyzeno Deiparæ Virginis imagine, in Chosroem Persarum Regem exercitum eduxit, ipsumque profligavit. Arcturus Britanniæ Rex cum aliquoties ab hostibus fusus esset, & jam sese pene regno exutum videret, in interiore clypei sui parte perpulchram Virginis effigiem depingi curavit, mox cum hoste congressus, sæpiusque elato brachio oculorum aciem in Deiparæ imaginem convertens, ab eaque opem implorans victoriam profligatis hostibus reportavit. Quid dicam, quod Basilius Imperator per Andream Ducem suum Saracenis memorabili prælio debellatis, quorum litteras conviciorum in Deiparam Virginem plenissimas, ejusdem imagini opem implorans appenderat, triumpharit? Quid dicam de Copronymo omnium Imperatorum flagitiosissimo? hic cum in Christianos ubique terrarum ferrum atque ignem distrinxisset, cœli igne Virginis opera conflagravit, eoque cruciatu cum mirum in modum torqueretur, inferorum se flammis addictum, utque dignis Maria laudibus ornaretur, precari exclamavit. Quid de Leone Armeno? Sensit & ille misere exspirans fortissimæ Virginis victricem manum. Neque vero intra Europæ aut Asiæ, aut Africæ regiones Imperatricis nostræ victoriæ tantum steterunt, sed Orientem Occidentemque Solem indias utraque, atque novum istum orbem illustraverunt. Testis est in Occidente Insula Cuba, in qua regulus quidam vel idcirco victorias permultas ab hostib. suis reportavit, quod

Hostes in triumphum duxit.

Victoria in Occidente ob Virginis auxilium impetrata

quod Christiano quodam suarum copiarum Duce uteretur, qui appensam ad pectus suum virginis imaginem gestans solo pene aspectu hoste suos fugabat, fugatos prosternebat. Testis est Vasquius ille Gania, qui cum ad detegendas Indias Orientis ab Emanuele Rege missus esset, fassus est se Deiparæ auspiciis aditum ad illas aperuisse. Non omnia commemoro, (quis enim posset?) sed obsecro vos Sodales, an non hæc talia sunt ob quæ merito universus illi mundus triumphum amplissimum decernat? Vos annuitis, triumphet igitur, & toto orbe triumphet. Quid dico triumphet? Imo iam olim triumphavit, cum Ioannes Zemisces Imperator devictis ejus ope Bulgaris, Scythis, Turcis Constantinopolim reversus venerandam ejus imaginem Bulgarorum spoliis impositam triumphali per civitatem curru deferri jussit, ipseque candido iuxta equo est invectus. Triumphavit olim cum Ioannes Comenus Imperator parta ingenti de Persis victoria, & hanc & alias Mariæ acceptas retulit, & imaginem eius currui triumphali impositam pia demissione ipse pedes antecessit. Imo vero triumphavit olim Maria, triumphat hodie Maria, triumphabit æternum Maria. Percurrite quantum animo potestis universum hunc orbem, quot obsecro triumphales illi arcus ubique terrarum erecti! Tot in Italia sunt, & ille Lauretani templi religione sanctissimus. Tot in Hispania sunt, & ille ad aquas Lupias delubri magnificentissimus. Tot in Polonia sunt, & ille Cizentochoviæ pulcherrimus & opulentissimus. Tot in Gallia ac Germania, tot in omnibus Orbis universi Provinciis Templa, Oratoria, Sodalitia Deiparæ dicata, quæ quotquot sunt, tot mihi arcus esse triumphales videntur. Ipsum hoc Belgium nostrum, ut cætera templa pene innumera taceamus, an non illi triumphales arcus duos Sichemi Hallisque præstantissi

Virgo Constantinopoli triumphavit.

Enumeratio Virginis triumphorum.

tissimos consecravit? Si pompam ipsam intueri placet, tot illam omni ætate felicissimi maximique Reges & Imperatores sunt sequuti & sequuntur Constantinus Magnus. Carolus Magnus, Pulcheria Augusta, Henricus II. numeros Sanctorum adscriptus. Præterea Alphonsus Castus in Hispania, Eduardus in Hungaria, Boleslaus pudicus in Polonia. Venceslaus in Bohemia, omnes Ecclesiæ sententia inter Divos relati, & quorum nemo non magnificentissimum Imperatori nostræ templum erexit. Taceo turbam innumeram piissimorum ubique hominum, qui vitam potius quam in hanc Martem affectum ponere desiderarunt. Quot etiam toto passim orbe triumphi ejus ac gloriæ præcones & hodie & olim exstiterunt, quibus voce scriptoque tonantibus terrarum orbis quaqua patet, triumphantis Deiparæ Virginis laudibus personuit? Dedit Syria Ephrem, Antiochia Chrysostomum, Cappadocia Basilium & Nazianzenum, Constantinopolis Germanum & Proclum, Dalmatia Hieronymum, Germania Rupertum Tuitiensem & Albertum, Anglia Bedam, Gallia Bernardum, Hispania Illefonsum, Italia Thomam & Bonaventuram, Africa Cyprianum & Augustinum, Ægyptus Originem, Hibernia Ioannem Duns Philosophorum Coryphæum, Græcia Dionysium Areopagitam; aliæ alios Provinciæ protulerunt, quorum voces nullo fato obmutescentes perpetuo triumphantem Imperatricem nostram extollunt. Videte, postremum triumphi huius agmen, in quo Hæretici, qui huius Imperatricis ope aut omnino debellati, aut pene oppressi, aut fugati sunt, nunc etiam triumphali ejus gloriæ currui per orbem universum alligati victos sese profitentur, & victricem Mariam proclamant. Ille è Germania Lutherus, *unicam esse personam*, ait, *Mariam cunctis su-*

Transitio.

Præcones triumphorum Marianorum.

Postremi in hoc triumpho hæretici.

periorem, & cui nemo par sit, quod cum patre cœlesti filium habeat communem. Oecolampadius, *Nunquam*, inquit, *de me audietur quasi averser Mariam, erga quam minus bene affici reprobatæ mentis certū existimem indicium esse.* Erasmus suam servatricem ac salutem illam appellat: Bulingerus omnia in Maria excellentissima esse protestatur: Bucerus; pium animum non nisi sanctissima de Maria cogitare palam exclamat : Mohometes Mariam omnibus viris & mulieribus splendidiorem solique Deo perseveranter studentem confitetur. Triumpha igitur O Maria: (jam enim hic quoque deficiens tibi tantum animo applaudo) triumpha ô Virgo : habes victos & confitentes hostes : triumpha ô Cœli Regina; habes omnes Cœlitum Ordines tibi fasces dignitatum submittentes: triumpha, ô mundi Imperatrix, habes Orbem universum tibi famulantem & triumphalem gloriæ tuæ currum festivis encomiis impellentem. Quid ? An vero non etiam in nobis, & in Sodalibus tuis triumphabis? Si pyramides requiris, en erectæ omnium in te voluntates : si triumphales arcus exigis, en propensissimi omnium in te affectus; si triumphalem currum exposcis en corda nostra, en animi nostri: his inside, in his triumpha, & triumphantium more tua dona in nos effunde. Hic imbellis est, & ad primum tentationis ictum trepidat, da illi fortitudinis hastam ; hic sæpe magno animo virtutis viam ingreditur, at sæpe facile deficit, tribue illi perseverantiæ, armillas ; ille in sordibus adhuc quibusdam volutatur, largire illi puritatis argentum, hic pro virginitate conservanda luctatur ; habeat ipse auream Virginitatis Zonam; ille à gula vehementer impugnatur; Sobrietatis clypeo donetur: hic consodalem à peccati periculo substraxit ; Lauream ipse coronam

Apostrophe ad Virginem triumphantem.

Triumphus Virginis apud Sodales.

Virginis in omnibus auxilium implorandum.

nam reportet: ille pro tuo honore ubique certat, cultum tuum apud omnes promovet, tibi se, vitam suam, ac sua omnia consecrat, tecum iste triumphalem currum sequemur, ut præsentes in Capitolio cælesti tibi aliquando applaudamus. DIXI.

ORATIO VII.
In laudem
SODALITATIS SS. ROSARII B. MARIÆ VIRGINIS.

NON equidem natalis hic Sanctissimi Rosarii Sodalitatis, sed triumphalis est tamen dies, Ornatissimi Auditores, quo posteaquam potentissimus eius precibus annuente Cælorum Regina Gloriosissima de immanissimarum Turcarum gente Ioanni Austriaco ac Christianis omnibus ad Naupactum concessa victoria est, tum Sanctissimi Romanæ Ecclesiæ Pontifices, ut publico pietatis cultu gestientibus Sodalium omnium animis celebraretur, iure meritissimo sanciverunt. Nam si iustissimis fundata legibus Romana Respublica Duilium Imperatorem suum, quod primus navalem de Pœnis victoriam reportavisset, non uno aliquo die, sed quotidie ac tota vita ad funalem cereum præeunte tibicine fidicineque triumphare voluit; decebat profecto, ut sanctissimi Rosarii Sodalitas, parta illa tam celebri ad Naupactum victoria, quam eius precibus acceptam Pontifices Imperatoresque ferunt, profligatis etiam iam

Exordium ab ipso festo die & in miraculo eodem die facto.

Ab exemplo.

A causa.

antea tot hæreticorum perfidiſſimorum turmis, ſi non diebus ſingulis, ac ſingulis ſaltem annis atque hac prima menſis Octobris Dominica die ſummæ ſummorum Pontificum authoritate triumpharet. Et vero cum omnia triumphali die feſtis perſonare vocibus, ac fauſtis perſtrepere acclamationibus plauſibusque debeant; cum inquam, frequentium gratulationum officia audire, geſtientium & exultantium animorum indicia cernere, concitati amoris ferventiſſima ſtudia in medium proferre fas ſit, tum inprimis tibi, ô Maria, ſanctiſſimi Roſarii, & Dominicanæ familiæ regina gratulor. Tua enim ea victoria fuit, quam ad tuorum Sodalium preces à benigniſſimo filio tuo impetraviſti, & hoſtem illum Eccleſiæ noſtræ infeſtiſſimum, tantumque immaniſſimi belli apparatum non armis aliis, quam tuæ Familiæ roſariis expugnaviſti. Vobis etiam, Sodales, ac toti ſanctisſimi Roſarii Sodalitati, quaque verſus per univerſum Orbem propagata eſt, hodie dum exultat, dum Reginæ ſuæ applaudit, dum triumphat, ex animo gratulor. Ea enim eſt, quæ dum aſſiduis votis ſuis Deiparam Virginem ad ferendum auxilium inclinavit, & per eam Divinæ Maieſtatis Omnipotentiam permovit, vicerunt armis Chriſtiani Duces, liberata metu Eccleſia eſt, profligati hoſtes, univerſus, qua late patet, orbis recreatus. Quoniam vero ita placuit, ut in publica triumphalis huius diei lætitia publicus Orator eſſem, non eloquentiæ alicuius emeritæ dignitate, ſed pio famulantis obſequio, permittite, Ornatisſimi AVDITORES, ut cum neminem in triumpho niſi triumphantem laudare fas ſit, in ſanctisſimæ huius Sodalitatis laudes totam hanc ſuſceptam à me hodie dicendi provinciam diffundam. Ita fiet, ut cum eius dignitatem intelligitis veſtram quoque, qui in ea vivere morique deſideratis, felicitatem agnoſcatis

Ex antiquo more.

Apoſtrophe ad Virginem cum applauſu.

Facta Virginis.

A dignitate rei.

is. Ac prima quidem familiarum illustrium Ordinumque celebrium excellentia cum duci ab ipso capite authoreque primo soleat, tum Mariani Rosarii Sodalitas non de excellentia cum aliis decertat, verum familiis omnibus atque Ordinibus eiusmodi sacris longe sane præstantia, dignitate, omni denique laudum genere antecellit. Parentem in cælis habet excelsissimam Cæli Reginam, quæ quemadmodum Rosarium suum ad hominum salutem instituit, ita certam sibi apud homines ordinum omnium atque ætatum familiam, quæ Rosario tanquam quodam aureo vellere decoretur, elegit. Authorem in terris vero gloriosissimum habet & sanctissimum Patriarcham Dominicum, qui ut erat vitæ sanctitate optimus, doctrinæ excellentia maximus, meritorum magnitudine supra mortales tunc eminentissimus, ita Rosarium & Rosarii Sodalitatem apud homines sacra sua facundia publicavit, Mariana authoritate erexit, pulcherrimis virtutum suarum ornamentis condecoravit. Atque adeo nihil aliud est Sanctissimi Rosarii Sodalitas, quam electa quædam in terris Cælorum Reginæ Deiparæ Virginis, & Dominici gloriosissimi Patriarchæ Familia, in qua vivunt Marianarum virtutum hæredes sunt, tanquam amantissimi filii, in qua qui moriuntur, desperare de salute non possunt tanquam subditi fidelissimi. Nihil aliud, inquam, est, quam ordinatissima quædam acies, in qua tot innocentissimarum animarum millia sub vexillo cælestis Reginæ militant, & Dominico Duce ad gloriosissimam de mundo victoriam triumphumque contendunt. Ea vero postea quam tantis authoribus excitata apparere in terris cæpit, & sanctissimi huius instituti fama regiones omnes etiam remotissimas est peruagata, tanta derepente hominum omnium ex singulis terræ partibus facta concursatio est, ut vivere communemque

Origo Sodalitatis S. Rosarii.

Parens terrenus eiusdē.

Sodalitas quid sit.

Propagatio huius Sodalitatis.

ducere spiritum nemo velle videretur, qui non in sacram hanc Familiam adscriberetur. Concurrerunt ad hanc Sodalitatem inter primos Benedictini, & quasi non satis esset in Divi Benedicti leges iuravisse, Rosarii Sodales esse voluerunt. Concurrerunt Cistertienses, & ut in Marianam militiam inscriberentur, Sodalitati huic nomina dederunt: Concurrerunt Ordinis S. Francisci Religiosi, Carthusiani, Canonici Regulares, aliique, qui omnes tum prius, cum in hanc recepti Familiam fuerunt, Deiparæ Virginis obsequio devotos, ac de salute sua certissimos sese existimaverunt. Quid, quod posterioribus temporibus ac nostro etiam sæculo Societatis Iesu Religiosi in eius tabulas suorum nomina referri voluerunt, ac deinde ab hoc fonte Sodalitia quædam nova, tanquam rivos, in sua collegia derivaverunt? Quid, quod integra religiosorum tot aliorum cænobia in Rosarii Sodalitatem delatis nominibus suis, tanquam ad salutis aram, tanquam ad vitæ rectè instituendæ normam, tanquam ad veræ libertatis asylum transiverunt? Quid, quod amplissima regna, regiones late diffusæ, Respublicæ integræ & civitates Marianæ huic familiæ inscribi summo ardore concupiverunt? Neque sane aliud unquam toti terrarum Orbi hæc Sodalitas est visa, quam Pharus quædam, in qua salutis clarissima lux affulgeret; quam schola quædam, in qua virtutum omnium disciplina ad Deiparæ Virginis imitationem Christiani formarentur; quam Palæstra quædam, in qua Ordines omnes & ætates cælestem in terris militiam salutaribus rudimentis & exercitiis perdiscerent. Non id ignoravit Fredericus tertius Imperator, qui cum Sodalitati huic nomen dedisset, tanta gestientis animi lætitia incedebat, ut cum augustissimo Imperatoris elogio condecoraretur, dici tamen Rosarii Sodales mil-

Ab enumeratione.

Amplificatio.

Sodalitatis huius definitiones conglobatæ.

Ab exemplis

mallit, & cum appellaretur, insolitis gaudiis exultaret. Non ignoraverunt Leonora Imperatrix; Maximilianus & Sigismundus Archiduces Austriæ. Ioannes & Sigismundus Duces Bavariæ; Guilhelmus & Catharina Duces Saxoniæ. Fredericus Brandenburgicus Princeps Elector, Ludovicus & Henricus Landgravii Hassiæ. Henricus & Ioannes Comites Nassoviæ sexcenti denique alii Barones, Comites, Principes, qui in ordinem Sodalitatis hujus vel idcirco accenseri aliquando voluerunt, ut ejus auspiciis felicius ad æternæ beatitudinis bravium contenderent. Quid dicam quod ex hac Lovaniensi Civitate quatuor hominum millia, ex Brabantia triginta millia quinquaginta sex, ex Geldria, quatuor millia, ex Hollandia Zelandiaque septem millia octingenti triginta, ex aliis Europæ Provinciis penè innumeri in Coloniensem Sodalitatem, quod alibi ea nondum esset instituta, simul ac longissimo velut agmine transiverunt? Quid dicam, quod summi olim Ecclesiæ Pontifices in eam recipi desideraverunt, & recepti sponte sua nullisque Prædicatorum precibus sollicitati Christianis eam omnibus commendaverunt? quod eminentissimi diœcesium diversissimarum Antistites tanti illam fecerunt, ut suis nos alienis manibus in ejus tabulas sua nomina referrent? Audebo dicere. Fuit aliquando universus pene Orbis una Mariani Rosarii Sodalitas; fuerunt aliquando Pontifices, Imperatores, Reges, Principes religiosi ordines, integri populi, & vero etiam nunc sunt Mariani Rosarii Sodales. Hæc est vestra gloria nunquam obliteranda. Religiosissimi Prædicatores, hic vester est immortalis honor, quod eundem Ordinis vestri & sanctissimæ hujus Sodalitatis conditorem Dominicum habetis; quod Rosarii præcones & custodes à Sacratissima Dei Matre constituti estis; quod intra

Concursus ad hanc ex variis Provinciis factam.

Apostrophe ad Prædicatores.

domos vestras sanctissima Rosarii Sodalitia tanquam salutis Aras. Virtutum delubra, veræ sapientiæ Domicilia tenetis. Vos enim iiestis, qui Deiparæ Virginis honorem insignes & indefessi præcones amplificatis; qui sacram ejus Rosarii familiam virtutibus eximiis, admiranda doctrina, propositis ad imitationem exemplis illustratis & dirigitis; quibus à summis Ecclesiæ Pontificibus ea concessa potestas est, ut soli intra sacros Cœnobiorum vestrorum parietes Rosarii Sodalitatem habere possitis. Ita anno supra millesimo quingentesimo sexagesimo nono Pius V. Pontifex maximus severa lege sanciuit, & Marianæ Sodalitatis usurpatores privilegiorum omnium emolumento privavit. Quippe hæc sacri Prædicatorum Ordinis hæreditas est; hoc salutis Palladium ipsi relictum; hoc divini amoris ancile cœlitus est ad eum delapsum, propter quod, ut ipsa quondam B. Alano Diva Virgo prædixit, scientia sapientia, observantia, miraculorum fama gloriaque cum apud homines, tum apud Deum floret, & cæteris, omnibus antecellit. Quanquam ad immensam divinarum opum copiam, qua Mariana hæc Sodalitas abundat, orationem aliquando convertamus. Eæ vero tantæ sunt opes, tanta spiritualium omnium bonorum affluentia, tam certa tamque excellentia privilegia, ut qui his non moveatur, aut hac vita sit indignus, aut vitam aliam, quæ contingere post mortem solet, ignorare videatur. Atque ut illud præteream, quod dato in hanc Sodalitatem nomine delictorum omnium certissima sequatur remissio; nec illud attingam quod sola quandoque Rosarii recitatione aut peccatorum expiationem obtineans Sodales, aut aliquam è purgatoriis ignibus animam educant; alias etiam atque innumeras sileri patiar indulgentias, quas qui Rosarii decretis supplicationibus intersunt qui Prædicatorum

Laus eorundem.

Rosarium hoc hæreditas Prædicatorum.

Divitiæ quibus hæc Sodalitas scatet.

torum

rorum templa frequentant, qui ad Divæ Virginis aram vota fundunt, consequuntur; quantum est Sodalem aliquem cum de vita periclitatur, dubioque inter mortem ac vitam spiritu agit, vel ore, si loqui possit, vel corde tantum, si voce sit destitutus, sanctissimum Iesu nomen proferendo ad primam quodammodo vitæ innocentiam redire? Quantum est eum, qui in hac Sodalitate Deiparæ Virginis obsequio sese ex animo ac sponte devoverit, ut Michael ab Insula dicebat, perire nunquam posse? Quippe, ut cum Anselmo dicam, *Sicut à te aversus, ô Virgo Maria, necesse est, ut pereat, sic ad te conversus impossibile est, ut pereat.* Est, est & hæc Sodalitas Arca quædam non illa Noe, sed Mariæ, in qua constituti Sodales supra mundi huius eluvionem attolluntur ac conservantur. Est scala quædam, non illa Iacob, sed Mariæ, per quam Rosarii cultores ad reginam suam firmissimis virtutum gradibus ascendunt. Est virtutum omnium officina, donorum cælestium thesaurus, indulgentiarum receptaculum, admirandorum divinæ maiestatis operum quoddam compendium. O si hic adessent & ab illis sepulchris suis in hunc locum prodirent, qui Rosarii Sodales aliquando fuerunt, clarissima illa cælorum luce circumdati, æternitatis purpura induti, venustate immarcessibili decori, an non has plenissimas lætitiæ voces intonarent? Felices nos, qui ut æternum non periremus, in Mariana sanctissimi Rosarii Sodalitate viximus. In hac primam certissimæ salutis spem accepimus. In hac candidissimam innocentiæ vestem conservantes pulcherrimis illam virtutum coloribus ornavimus. Per eam quicquid sordium vita contraxerat affluentium gratiarum undis abluimus, per eam Deiparæ Virginis primum filii, tum grati acceptique divinæ Maiestati

Rosarii huius cultores nunquam possunt perire.

Prosopopæia & recensio fructuum nox hac Sodalitate perceptarum.

facti sumus. Quod delictorum veniam obtinuimus eius beneficium est; quod æterna beatitudine perfruimur, acceptum illi ferimus. Ita profecto sanctissimæ illæ animæ, si hic adessent, loquerentur. Iam vero cum ad vitam rectè componendam, ad divinæ Maiestatis amorem conciliandum, ad salutem certissimo consequendam nihil in hac Sodalitate deesse posiit, obsecro vos, quantam eius in omni necessitate vim esse putatis? Tanta profecto est, ut cum Sodalibus suis negare nihil cælorum Regina velit, tum illa Sodalium suorum permota precibus omnia à Deo obtinet, iratum eius nomen sedat, victorias impetrat, Hæreticorum nefandissimas machinationes dissipat, terrarum orbi iustitiam, fidem, tranquillitatem restituit. Testes sunt inprimis Albigenses Hæretici, qui cum Franciam pene universam perfidiæ, sævitiaque sua devastarent, & Catholicæ Religionis perniciem anhelarent, singulari eximiaque D. Dominici virtute, & summa sanctissimi Rosarii potentia sunt prostrati. Testis Generosissimus Montis Fortis Comes, qui cum à Divo Dominico in hanc Rosarii Sodalitatem adscriptus esset, aliquando cum quingentis duntaxat hæreticorum decem millia in fugam convertit; nonnunquam cum triginta tantum tria millia prostravit; semel cum tribus millibus fortissimum viginti millium magni Aragoniæ Regis exercitum debellavit. Nimirum Rosario potentior erat, quam exercitu; pietate, quam fortitudine; in Divam Virginem amore, quam in hostes odio. Atque ut vetera tantum non conferam, testis est Ioannis Austriacus, qui anno supra millesimum quingentesimo septuagesimo primo gloriosissimam illam ad Naupactum victoriam tum obtinuit, cum solitis precibus suis Rosarii Sodales Deiparam Virginem prima mensis Octobris Dominica die sollicitarent. Imo testis

Efficacia huius Rosarii.

A testimoniis.


Alia exempla.

testis est Ferdinandus secundus hodie Augustissimus Imperator, qui celeberrimam illam Pragensem victoriam non ita pridem tum reportavit, cum Domini à prima Novembris Sanctissimi Rosarii Sodalitas & decretis supplicationibus, & precibus assiduis vacaret. Testes etiam citare hic possem strenuissimos exercitus nostri Belgici Duces, qui nuper, cum prima esset mensis Iunii Dominica dies, & Sodalitas hæc Mariana de more suo Divinæ Majestati & Deiparæ Virgini supplicaret, in colloquium cum hoste Bredano pro Vrbis deditione descenderunt, ac tandem occupaverunt. Nimirum cum sanctissimi Rosarii Sodales tanquam novi quidam Moysis manus & animos ad Reginam suam attollunt, vincunt Christiani Duces, & prostrata Hæreticorum immanitas minaces oculos frustra retorquet, ac cum sanguine furorem amittit. Nimirum hæc Mariana Sodalitas turris est, ex qua mille clypei dependent, quibus adversus teterrimas hostium machinationes cum certissima spe victoriæ Sodales armantur. *Per hoc S. Rosarium hostes sternuntur.* Non expectatis, opinor, ut adversus Dæmonum infestinationes auxilium esse à Rosario demonstrem; vinci à Dæmonibus, qui Rosario sese defendit, non potest; nec illud Petitis, ut contra perfidorum quorundam malitiam positum in Rosario Patrocinium esse declarem; notum est sola aliquando Rosarii recitatione impeditam quorundam Iudicum fuisse malitiam, ne conceptam injuste sententiam pronunciarent. Quis nescit plurimos profligatissimæ vitæ homines Sodalium Sanctissimi Rosarii precibus ad frugem esse revocatos? *Alia ab enumeratione.* Quis ignorat summa ejusdem virtute gravissimos morbos curari sterilitatem ab agris depelli, fœcunditatem sterilibus fœminis procurari, vehementissimam pestilentiæ contagionem cohiberi, pacem &

amicitiam inter discordes conciliari, bellum periculosissimum reducta tranquillitate componi? Vtinam vero ea nostrorum temporum felicitas esset, ut dum undiq; Europam nostram hæreticorum & male sanorum quorundam furor armatus perturbat: dumque latè grassans, per universa pœnè Regna pestis deplorandam miserorum hominum stragem edit, certissimum à Sanctissimi Rosarii, Sodalitate subsidium peteremus. Nihil illi Cœlorum Regina negabit; quid dubitamus? ultro etjam, si supplices esse velimus, auxilium offert; quid hæremus? cur non etiam hodie, etiam hac hora ita dicimus: O Maria, ô Sanctissimi Rosarii Regina, ecce nos Sodales tui; tui filii, tu clientes, tui subditi jam ante te prostrati tuam opem imploramus. Negare Sodalibus tuis nihil cupis, imo etiam libere dicam, pro tuo amore nihil potes. Age ergo dum tuum tibi Rosarium offerimus; dum hodie per universum orbem tua te Sodalitas obtestatur, benignitatem tuam, misericordiam, & potentiam ostende. Vides furentem undique Hæreticorum insaniam: confunde tu enim cunctas hæreses sola interimisti in universo mundo. Vides miseram afflictæ tot morbis Europæ calamitatem; juva & recrea, tu enim es salus infirmorum. Ita te rogamus, & in hoc Sodalitatis tuæ triumpho beneficium hoc postulamus.

Apostrophe ab B. Virg. cum supplicatione.

DIXI.



ORA-

ORATIO VIII.

De Triumpho.

VENERABILIS EUCHARISTIÆ.

ADRIANVS Imperator, Ornatissimi Auditores, cum ad Imperii Romani fastigium non tam hominum, quam fortunæ suffragio evectus terrarum orbi supremæ maiestatis authoritate legem ac jura dictaret, recordatus Trajanum Cæsarem Principem optimum, cujus in solium purpuramque successerat, gloriosissimam de Parthis victoriam reportavisse, nullum vero, quod præoccupatus fato fuisset, triumphum duxisse, confestim Traiani imaginem laurea redimitam corona triumphali currui imponi, perque urbis vicos omnes comitante Senatu populoq; applaudente vehi, ne post mortem etiam debiti triumphi dignitatem amitteret, imperavit. Eodem autem plane modo Christiana Respublica non humano, sed divino, (fatendum est enim) instinctu fecisse videtur, quæ cum Christum Servatorem suum obstupescendam terris omnibus cœlisque victoriam quam Æternitas nunquam intermoriturae sæculorum memoriæ consecravit, subiugato Dæmonum imperio, & superatis humanæ militiæ fraudibus obtinuisse animadverteret, interim vero pro triumphali curru crucem infamem, pro applausu tortorum immanissimorum verbera, pro honore amplissimo atq; illi debito, mortem indebitam omniq; suppliciorum genere crudeliorem subiuisse perculsa, ut debebat. Iustissimi doloris & amoris sensu, triumphum ipsi, etiam post mortem,

Exordium ab exemplo Adriani Imp. mortuo triumpho instituentis.

Ecclesia Romana Christo Domino etiam post mortem triumphum instituit.

plusquam humanum, & vere divinum toto orbe decrevit. Et quoniam adesse pie in hoc triumpho suo, ea, qua devicta morte redivivus apparuerat, augustissima specie, vel æterna illa radiantis toto cœlo Divinitatis Majestate non poterat, placuit universæ Reipublicæ Christianæ, ut quod amoris sui pignus ac trophæum apud homines reliquerat, sacratissimum corpus ejus veneranda panis specie velatum, aurea argenteaue inclusum turricula tanquam triumphali curru comitante, & applaudente mortalium cœtu purissimis sacratissimorum Sacerdotum manibus portaretur. Quod quoniam hodie factum est à vobis, Reverendi PP. Augustiniani, & jam etiam triumphalis illa pompa maximo Christianorum populorum apparatu indictisque supplicationibus per universi terrarum orbis provincias exhibetur, de hoc augustissimo Christi corporis triumpho dicamus sane hodie.

Modus triumphi huius

Atque ejus si me præconem esse in hoc vestro amplissimo ornatissimoque consessu patiamini, ita omnem orationem occupabo, ut justissimam triumphi causam inprimis, tum incredibilem triumphantis in mortales affectum: ac denique summam triumphi dignitatem splendoremq; cognoscatis. Date veniam, Auditores si balbutientem in hoc tanto conatu aut potius deficientem eloquentiam qualemcunq; nostram animadvertatis. Tale enim est, quod suscepi præconium, ut in eo pro dignitate deducendo summa etiam merito eloquentia obmutescat.

Orationis distributio.

Captatio attentionis.

Summum illud ac magnificentissimum triumphi decus apud Romanos illos rerum dominos iis tantum olim concedebatur, qui de hostibus, non de civibus victoriam reportavissent, hostium millia quinque una acie prostravissent, Romani imperii fines auxissent, ac non nisi cum publica dictatoris aut consulis, aut Prætoris authoritate res gessissent. Quod cum ita sit, si ad humana

Conditiones ad Romanorum triumphum quondam requisita.

manæ prudentiæ leges divini triumphi merita ponderare fas sit nobis, obsecro vos, cuius honoris ac triumphi iustiores unquam excitare causæ, quam huius? Si publicæ dignitatis authoritas requiratur, æterni Patris æternus est Filius, Homo Deus, Procerum Beatorum & Immortalium mentium lumen, Angelorum Delitium, Princeps pacis; tanta maiestate, ut omnia in eo membra adorandam spirent divinitatem, tanta authoritate, ut ad eius nutum universa rerum natura obsecundet. Nec defuerunt mandati publici tabulæ, quas, ne privatus humanæ salutis rem gerere videretur, ab æterno illo Patre suo tunc accepit, cum in orbis terrarum medio Humana Natura squaloris æterni sordibus deformata crudelissimorum Dæmonum pedibus conculcabatur, veri Numinis timor omnis ac religionis sensus mortalium animis eripiebatur, hominum innumera millia summa crudelitate sub ipsos inferorum specus in arsuras perpetuo flammas quotidie detrudebantur. Tunc cum rerum potiebantur immanissimi Dæmones, quorum ubique simulachra & aræ, ubique vexilla, trophæa, triumphales arcus fulgebant. Tunc cum inquinatissima voluptas omnia stupris suis fœdissimis implebat, avaritia rapinis exhauriebat; luxuria flagitiis contaminabat: gula nocturnis bacchationibus perturbabat; arrogantia fastu suo & insanis honoribus deprimebat. Restare nihil omnino ad tot malorum cumulum videbatur, nisi ut ipsa etiam mortalium audacia ad eiiciendum è cælo Deum nefarie conspiraret, & scalas Beatorum domiciliis more Gygantũ admoveret. Quid igitur facere eum oportuit, cum tot undique calamitatum tempestas detonaret? Vltro, ultro ipse intrepidus & expeditus in mediã sese mundi per turbatissimi tempestatẽ cõiecit. Quæritis qua galea insignitus? Amoris; qua lorica, quove clypeo

Conditiones eadem in Christo reperiuntur.

Debellatio hostium à Christo.

Christus se hostibus opponit.

Eiusq; armis qua?

contectus? Amoris: qua hasta, quibus sagittis ac iaculis ad pugnandum instructus? Amoris. Erant cæteræ omnes in eo virtutes, verum quæ non arma essent, sed ornamenta, quæ non pugnam promoverent, sed victoris dignitatem augerent. Fortitudo erat, sed amoris; patientia erat, sed amoris; constantia erat, sed amoris; mansuetudo erat, sed amoris. Ita solo amore rem nostram gerere.

Transitio. Dæmonum potentiam infringere, libertati saluti, cælo genus humanum restituere desiderabat. Et vero, ut de sævissimis infantiæ eius laboribus, de egestate, de exilio, de tolerantia nihil dicam, quod periculum unquam fuit tam magnam, quod genus mortis tam atrox,

Distributio. quod, ut naturæ nostræ hostes conficeret, reformidavit? Illi intenta in eum flagella vibrabant, ipse promptissimo expeditus amore & prosiliens in pugnam flagella toto corpore excepit: Illi spinas, & erigentes aculeatasque spinas, obiiciebant, ipse spinis venerandum caput suum subiecit: illi vincula clavosq; iaciebant, ipse clavos perfossis manibus ac pedibus sustinuit: crucem opponebant, ipse crucem morti devotus ascendit: illi lanceam protrudebant, ipse lanceam aperto pectore exceptam sanguinis undaque profluvio purpuravit: Illi mortem denique intentabant, ipse Mortem, Dæmonem, Mundum moriendo nec indecoro pulvere sordibus superavit. Et adhuc desiderare posset hic aliquis iustam aliquam

Victoria Christi. triumphi rationem ac causam: Quæritis quot hostium nostrorum millia prostrarit? Dæmonum efferacissimorum multitudinem infinitam confregit. Quantum populi Dei fines amplificarit? Orbem universum cælestis Patris imperio subiecit. Quid demum nobis mortalibus omnibus acquisiverit? Naturæ libertatem, malitiæ ac vitiorum proscriptionem, languorum plurimorum expulsionem, virtutum omnium ubique splendorem,

rem religionis vitæ toto orbe victoriam, Cœlorum Imperii amplissimam & æternam simul hæreditatem. Triumphet igitur, hoc enim ipsi denegare impietatis esset insaniæ, triumphet, hoc enim illi concedere, justitiæ est & gratitudinis sempiternæ. Antequam tamen ad huius triumphi splendorem accedamus, triumphantis in nos affectum consideremus.

Veterum quidam, ut prisci testantur authores, cum conjugem suam Debutadis Sycinonii filiam à suo divelli complexu propter nimium amorem non posse videret, profecturus ad bellum, ne interea tanto affectu amantissima mulier contabesceret, umbram illi quandam vultus sui carbone duntaxat rudioribusque lineis in pariete deductam, ut huiusmodi simulachro suum amorem solaretur, reliquit. Quod exemplum cum imitatæ essent illo ævo matronæ aliæ honestissimæ præstantissimæque virorum desiderium pictis imaginibus solantes æquiori animo reditum eorum exspectaverunt. Nota est Poetarum encomiis Protesilai, conjux Laodamia; noti Historicorum testimoniis Cremanes, qui cum amorem suum fidum illum ac sincerum testari vellent, è fronte suæ vena cultello aliquo sanguinem eliciebant, & hauriendum amicis suis propinabant. Quid pensiles illi Semiramidi, Reginæ horti? Quid Colossus ille Rhodius? Quid Cretensis Labyrinthus? Quid illud in Ægypto Mausolæum? Pignora illa sunt & solatio quædam amoris ab amantibus olim relicta. Alii annulum, alii sigillum, nonnulli expressam vel in cera, vel in auro politissimis lineamentis effigiem apud amicos abituri deponunt. Sed umbræ sunt, & marcescentes duntaxat umbræ, si cum nostri Triumphatoris amore conferantur. Non effigiem hic aliquam, non annulum, non sigillum, sed corpus & sanguinem, Humanitatem suam, & divinitatem diffi-

Factum Sycinonii.

Similium factorum enumeratio.

Christus longè alia amoris signa reliquit.

diſſimulata majeſtate ſub orbiculo Panis, Eccleſiæ ſuæ, à cujus divelli complexu non poteſt. cum cœlo ſpolia victor inferre deſideraret, reliquit. Vt nimirum Cœlo triumphator intraret, & terras hominum amator non desereret; Cœleſti Patri dilectiſſimus Filius adeſſet, ab hominibus amantiſſimus Servator non abeſſet. O vim amoris incredibilem! Olim amoris ſui pignus manna Iudæis, hodie ſe ipſum Chriſtianis indulget: olim cum puer eſſet amantiſſimæ matris ſinum gratiſſimo pondere implebat, hodie cum triumphat in ſacerdotum ſacratiſſimis manibus exultat: olim artus humanos induit, hodie in hoſtiam induitur, olim virginei lactis rore paſcebatur, hodie purpureo cruore nos paſcit. Equidem magnus olim amor fuit Arthemiſiæ Reginæ, quæ Mauſoli Regis mariti ſui cineres vino mixtos epotando vinum ipſi ac ſpirans ſepulchrum intra ſui pectoris anguſtias adornavit. Magnus etiam Romanæ illius filiæ, quæ intra carcerem exerto ubere matris famem lactis ſui ſubſidio lenivit. Magnus & illius Petrus, quæ patrem ſuum jam ultimæ ſenectutis virum cuſtodiæque traditum velut infantem pectori ſuo ad motum aluit. Sed major eſt amor Chriſti profecto, qui non lacte aliquo, ſed ſanguine pretioſiſſimo nos nutrit; non reliquias aliquas corporis ſui, ſed ſeipſum totum hominem ac totum Deum in hominum animos inſinuat, & ut poſſit, in exigui panis ſpeciem ſeſe tranſmittit. Atque hæc eſt hoſtia illa trophæum Amoris, miraculum Amoris. Theſaurus Amoris. Hæc eſt hoſtia illa, invidiæ ac mundi victrix, inferorum domitrix, mortis triumphatrix, Cœli lumen, Terræ columen, quæ non biduo aut triduo, ſed toto naturæ hujus ævo hominibus adorantibus, Cœleſtibus applaudentibus triumphavit, & vero etiamnum triumphat. Erigite animos & triumphi apparatum, ſplendoremque videte.

Magni amoru exemplū.

Aliud.

Hū maior eſt amor Chriſti.

Hoſtia ſacra definitiones conglobata.

Non

Non exſpectatis, opinor, ut aut Romam, aut in civitatem aliquam aliam ampliſſimam, ubi vel in clivo Capitolino, vel in foro, vel ad portam conſiſtentes apparatum triumphi ordinem ſpectetis, vos deducam. Non enim in urbe aliqua, ſed in orbe toto triumphalis hæc pompa peragitur, ubi oppida portæ ſunt quædam, civitates fora ampliſſima, templa vero ac delubra Capitoliorum inſtar aperiuntur & exornantur. Atque ita ſit, ut dum per orbis univerſi regiones triumphus hic cæleſtis ducitur, in oppidis magna ſubmiſſione cernatur, in civitatibus magno apparatu videatur, in templis ac delubris magno omnium cultu honoretur. Ita fit, inquam, ut in omnibus omnino imperii Chriſtiani locis, quaqua patet vel in ſurgentem vel in cadentem ſolem orbis, apud ipſos etiam extremos Indorum populos ſacratiſſimum Chriſti corpus triumphet. Et quanquam non hoc tempore Triumphator hic noſter quadrigis albis per laureatas militum cohortes vehatur, non religatos ad currum ſuum debellatos à ſe Monarchas ſuperbe trahat, non miſerandam captivorum hominum multitudinem ante currum impellat, adſunt tamen Eccleſiæ Pontifices, qui comitantur, & triumphantem ſubmiſſis infulis adorant. Adſunt Principes, Reges, Imperatores, qui cum etiam comitentur poſitis ſceptris ſuis ac diadematibus Triumphatoris ſeſe famulos percuſſo pectore pronoque corpore confitentur. Adeſt Chriſtiana plebs univerſa; & ſtratis verno flore plateis, domibusque vel multa fronde, vel longo tabularum pulcherrimarum ordine velatis triumphantem profundiſſima ſubmiſſione Deum ſuum appellat, & proſtrata geſtientibus animis adorat. Nihil dico de cætero rerum aliarum apparatu, nihil de ſuffimentis, nihil de muſico concentu, nihil de facium ardentium coruſcatione, vos enim qui intereſſe ſoletis uni-

Locus triũphi.

Comitatus triumphantis Christi.

Tranſitio

universa hæc non raro videtis. Videre vultis autem procedentes aliquos in hoc triumpho Imperatores. Videte Ferdinandum II. Cæsarem hodie Catholicissimum media in urbe Viennensi spectante populo desilientem è rheda, ut Sacrosanctam Hostiam iter pedibus ingrediens comitetur. Videte Austriacæ Familiæ caput Imperatorem Rodolphum I. ex equo subito descendentem, equo suo Sacerdotem, qui sacram Hostiam gestabat, imponentem, & velut à pedibus frænisque minister esset, triumphantis equum manu sua deducentem. Deesse nunquam in hoc triumpho voluit, quisquis in hac augustissima familia lucem aspexit. Et ille noster, qui iam vixit, Albertus Pius quoties ex equo desilivit? quoties è rheda sua prosiluit, ut huius triumphi sacra portantes Sacerdotes ipse pedes sequeretur? Videte Reges ac Principes ac alios. In Aragonia Siciliaq; Regem Alphonsum; hic sacratissimæ cum obviam factus esset hostiæ, confestim ex equo sese in terram abiecit. In Francia Christianissimam verè Reginam Isabellam: hæc ægra quanquam esset, ne transeunte tamen hac pompa parum decore sederet, deponi sese ex vehiculo curavit. In Schotia Davidem Regem; hic cum exhaustis pœnè corporis viribus gressum ægrè figere posset, ne tamen in hoc triumpho desideraretur, medius duos inter sacerdotes eius imbecillitatem sua ope sublevantes procedebat. In Anglia Henricum octavum; hic ut triumphatori nostro debitum exhiberet honorem, quanquam esset iam Apostolicæ sedis inimicus, infra terram abiicere sese posse concupiscebat. In Polonia Vladislaum; hic ut tanti triumphi splendorem augeret sanctissimi Christi corporis titulo templum velut magnificentissimum quendam triumphalem arcum dedicavit. Fecerunt id alii plurimi (neque enim alios enumerare omnes hic possum) fecerunt, inquam

Ab enumeratione exemplorum.

quam, & cum universa plebe triumphum hunc munificentia pietateque sua præses condecoravere. Dicant nunc & debacchantes dicant Iudæi, aliquando se corpus hoc in crucem egisse: egerunt sanè, sed quod nunc frementibus ipsis & exilium suum frustra deplorantibus triumphat. Frendeant, & ore impudentissimo blasphement Hæretici; imo etiam, cultris, mucronibus, ferro, flammis, in sacratissimum hoc corpus conspirent, transfodiant, conculcent, in cloacas aut flammas perditissimi Sicarii, & Dæmonum satellites abiiciant: triumphat tamen, & frustra eorum invidia tingente, frustra eorum armis sævientibus, frustra eorum animis, debacchantibus ad Ecclesiæ Romanæ summam gloriam, & Hæreticæ pravitatis sempiternam infamiam triumphat. Neque vero in hoc triumpho aut triumphantis liberalitas deest, aut immolanda victima desideratur, aut convivium à quoquam exspectatur. Victima est, qui triumphat, & quotidie solemni Ecclesiæ sacrificio (ô inusitata benignitas!) immolatur. Cibus est, qui triumphat, & quotidie manificentissimo in Ecclesia convivio Catholici convivæ (ô divina benevolentia!) recreantur. Iam vero quam multi sunt, qui innumeris maximisque in hoc triumpho donis cumulantur, dum alii corporis afflicti sanitatem recuperant, alii mentis divinæ fervoribus inflammantur; hic vinculorum nexibus expeditur, ille agitatos inter fluctus naufragus servatur, non pauci è mortis quasi faucibus singulari triumphantis huius corporis beneficio eripiuntur? Quod si quis triumphi præcones fortasse quærat, quod in Ecclesia sunt Scriptores, tot huius triumphi ac Triumphatoris sunt buccinatores: quot in cælo cœlestes sunt spiritus, tot in hac triumphali pompa ad spectaculum effusi sunt præcones. Quid igitur nunc restat? Faciamus profecto,

Orationis cõversio in triumphatoris huius inimicos.

Victima in hoc triumpho oblata.


Dona distributa in hoc triumpho.

Præco eiusdem triumphi.

cto, quod absoluto olim Romani triumpho, qui nuncupatis in Capitolio votis gratiarum actionem Diis suis solemni ritu persolvebant. Et ecce iam animum subit duorum quondam, ut est apud Platonem, amicorum votum, qui cum in via in Vulcanum incidissent, isque ut quod vellent, postulandi faceret iis potestatem, iniice nos, inquiunt ipsi, in fornacem tuam, ut ambo inquefiamus, aut malleis tuis ita nos contunde, ut è duobus unum efformes. Tibi nim. ita dicimus omnes, ô Christe, ô Triumphator auguste, tu nos in illam charitatis infinitæ fornacem iniice, ut toti in tuum amorem liquefacti resolvamur, imo tuæ misericordiæ ac benignitatis dulcissimis ictibus ita animos nostros contunde, ut nos in te transferas ac totos transformes. Hoc votum est nostrum Gratos animos vero si in hoc tuo triumpho requiris, en offerimus & amantissimos tui, & pro tuo illo in nos beneficio gratissimos. O si quiescere apud nos vel transiens tantum in hoc triumpho desiderares! En tibi cordium nostrorum altaria præparamus. O si remanere perpetuo etiam velles! En animorum nostrorum Capitolia quædam aperimus. Proiice saltem, & effunde tua illa tot cælestiũ gratiarum munera, neque enim non esse liberalis iam potes cum triumphas, & ecce tibi animis applaudimus, ore acclamamus. Triumpha Catholicorum decus & præsidium, triumpha terror & domitor Hæreticorum, triumpha veri amoris tropæum, & miraculorum omnium miraculum. DIXI.

Apostrophe & votum ad Christum.

Clausula cũ petitione gratia.



ORA-

ORATIO IX.

DE LAUDIBUS S. CRUCIS.

SEPTEM illa prodigiosæ magnitudinis opera, quæ mundi miracula nuncupantur, *Reverendi Patres, Honorandi Domini Sodales*, etsi erant vanissimę quædam argumenta jactantiæ, tamen cum olim superstitiosa nimium Antiquitas, tum hodie vetustatis admirator mundus mirum est quantum extollat ac deprædicet. Simulachrū illud Olympii Iovis, quod ex ebore atq; auro Phydias supra aliorum artificium æmulationem eximius fabricavit, Colossum illum in Insula Rhodo tantæ molis, ut sub ejus pondere tremere terra ipsa videretur, quem Cares Lydius extruxit, ingens illud Ephesiæ Dianæ templum, in quod Asia universa, & centum viginti septem Reges architecto Ctesiphonte suas opes congesserunt; superbissimos illos Babylonis muros, quos trecenta hominum millia imperante Semiramide condiderunt, protentosum illud Mausoli Cariæ Regis sepulchrum, quod evocatis ex orbe toto præstantissimis artificibus Artimesiæ in maritum amor elaboravit; memoratissimas illas Ægypti Pyramides, quarum maximam trecenta sexaginta sex hominum millia vix annorum viginti spatio perfecerunt; excelsissimam denique turrim illam Pharum, Ptolomæi Regis opus, quæ collucentibus ex alto ignibus maria fere omnia collustrabat. Neque ego inficias eo defixam hic hærere potuisse hominum admirationem, & cum opum immensitatem, tum incredibilis substructionis artificium ob-

Exordium à septem mundi miraculis.

Horum enumeratio.

Crux Christi bu omnibus praestare ostenditur.

obstupescere: quod si tamen ea omnia, & quaecunque alia esse potuerunt nundi miracula cum gloriosissima Servatoris nostri Cruce conferamus, jacebunt illa infra hominum stuporem,&omnem omnium aetatum admirationem solo Crux occupabit. Cui proinde merito dicemus:

Cedant cuncta Cruci, *cedant miracula Christo,*
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Quippe non ad inanem ostentationem est, sed ad salutem; non ad temporis longissimi memoriam, sed ad aeternitatem; non ebore, vel auro, vel marmore superba, sed pretiosissimo filii Dei sanguine rubicunda, ut divini in homines amoris sit signum, partae per Christum libertatis monumentum, reportatae de Morte & Daemonibus victoriae trophaeum. Atque illi cum idcirco liberati per eam mortales cultum debeamus, consignemus illi sane hodie debiti officii pignus, Panegyricum aliquem, quem dum voce persolvo, Vos iidem amorem, gratitudinem, obsequium, propensae benevolentiae & attentionis calculo numerate. Non immemor ero me de Cruce dicere, cuius verticem cum acutissimarum diadema spinarum inumbret, flores dicendo non consectabor; & cum tota sacrosancto cruore rubeat, nequaquam lenociniis,& pigmentis facundiae oratio nostra luxuriabit. Misceamus cum dolore laetitiam, & cum dolor laetitiae sit causa, laetitiam sine dolore nullam admittamus.

Propositio cum attentionis captatione.

Primum confirmationis argumentum ab amore Dei.

Curiosus nimium essem, & temerarius etiam fortassis, si divinum amorem nunc in hanc, nunc in rem aliam ponderare conarer; pace tamen tua, ô Divina Maiestas, & assentiente universo mihi mundo dicam, nihil unquam tanto amore prosecutus esse Deus videtur, quanto Crucem. Vix dum immensam hanc rerum omnium machi-

chinam omnipotenti manu condiderat, & jam in illo voluptatis paradiso Crucis typum ac symbolum vitæ arborem esse desideravit, illam dilecto suo Patriarcho Iacob ostendit, cum portentosam illam scalam, quæ solum ima parte, superna cœlum tangebant, ejus admirantis oculis subjecit. Illam legato suo Moysi demonstravit, cum virgam eam illi dedit, qua tot miracula obstupescente natura patravit. Illam Aaroni per virgam aliam exhibuit, quæ cum arida esset, derepente velut infuso divinitus succo, effloruit. Illam universo Israelitam populo proposuit, cum eremus est æneus ille serpens, cujus aspectu infirmitatis humanæ vulnera curabantur. Vidi illam Ezechiel tanquam arborem supra montem excelsum; vidit Patriarcha Noë, tanquam prodigiosam arcam, in qua universum genus humanum servaretur; vidit Isaias Propheta tanquam clavem domus David, qua clausum prisco ævo cœlum reseraretur; vidit Elizæus tanquam lectulum, in quo postequam sese ipse expandit, mortuum puerum ad vitam revocavit. Ita Deus tantopere Crucem etiam cum modum esset, diligebat, ut quibusdam figuræ ejus tabulis sese oblectaret, suis amicis ad spem excitandam eas ostenderet, universo terrarum orbi tanquam signa futuræ libertatis exhiberet. Posteaquam vero revoluta retro tot sæcula fortunatissimum illud tempus adduxerunt, quid inter homines occulta majestate præpotentis Dei filius naturam nostram asserere in libertatem incepit. Deus immortalis! quos non honores in Crucem suam congessit? Cum illustrare mundum universum tanquam lampas fulgentissima desideraret, fuit illi Crux candelabrum: cum offerre sese æterno Patri victimam anhelaret, fuit illi Crux altare: cum mori pro hominum vita vellet, fuit illi Crux lectus: cum appendere mortalium omnium

Figuræ quæ crucem hanc designarunt.

Amplificatio ejusdem crucis amoris.

peccata ac sua simul merita in Divinæ Iustitiæ tribunali optaret, fuit illi Crux statera? cum accipere summi Regis in terra ac cœlo potestatem deberet, fuit illi Crux thronus & solium regale: cum Ecclesiam deperiret, atque illam sibi carissimam sponsam conjungere festinaret, fuit illi Crux thalamus nuptialis: cum ad victoriam triumphumque de immanissimis naturæ nostræ hostibus properaret, fuit illi Crux gladius quo mortem Dæmonemque debellavit. Vereor ne quod dicturus sum, quemadmodum ipse sentio, fortassis non intelligatis; hoc dico, nihil sine Cruce potuisse, aut certe nihil voluisse Christus videtur. Sed erat ferventissimus amor ejus in Crucem, quo ita animo sauciatus est, ut quodammodo seipsum in Cruce pendendo Crucem effecerit. Et quicquam aut ad dignitatem majus, aut ad gloriam sublimius esse potest? Nondum sermonem hunc retexo, & quia vere, audacter dico, nihil etiam hodie in Ecclesia posse vult Christus sine Cruce. Estne aliquis in Ecclesiam per baptismum recipiendus? Cruce signatur. Estne jam receptus divino quodam robore confirmandus? Cruce signatur. Estne quandoque post divinarum legum prævaricationem expiandus? Cruce signatur. Est Crux, quæ collatarum in Ecclesia dignitatum est signum, quæ matrimoniorum fœdera perficit, quæ morituris spem & animum addit, quæ rebus omnibus Divino numini ac religioni consecrandis adhibetur, quæ adversus Dæmonum vim tanquam machina fortissima admovetur. Atque, ut quod caput est non omittam, sine cruce sisti Christus in altari non vult, atque ibi cum pro immensa sua bonitate præsens est, (ô quam incredibilis est ejus in crucē amor!) cruci iterum, quam repetitis tot vicibus formant sacerdotes, sese submittit. Ita Crucem amat, ut ejus oblivisci non possit, & cum gloriosissimus in

Christus sine cruce nihil voluit.

Ab enumeratione partium.

Amplificatio eiusdem.

in illa sua æternitate obtemperante universa natura triumphet, ad illam tamen in terris redit, non ut patiatur, (etsi vellet si opus esset) sed ut amorem suum contestetur, non ut illam impijssimis & efferatissimis Iudæis exprobet, sed ut Christianis, charissimis filiis suis commendet. Quanti vero, obsecro vos, amoris hoc est signum, in principatus sui argumentum crucem assumere! Præferetur illi crux, si Augustino credimus, cum ad iudicium de universo humano genere faciendum accedet. Quanti est honoris istud signum cælo Crucem inserere? inseretur illa, quemadmodum constans Theologorum est opinio, cum indicta rebus omnibus quietis lege æternus bene meritis triumphus decernetur. Quamquam non ipse tantum tantos Cruci honores confert, verum etiam mortalium omnium venerationem illi conciliat. Illi lunas suas oriens, illi aquilas suas occidens submittit; huic tyara Persica, & Romana mytra cedent, hanc ultimi terrarum Indi adorant; huic Regum & Imperatorum poplites sese incurvant, & ad eius oscula totius mundi Magnates procumbunt. Constantinus M. Imperator labarum illud, quod gestari ante Imperatores, & à militibus adorari solebat, in crucis similitudinem efformavit, ut iam inde venerari Crucem milites addiscerent; ne facinorosi deinceps, ulli cruci affigerentur gravissimo decreto cavit, ut non amplius crucem mortales horrerent, sed honorarent; imo etiam aureis argenteisq; nummis Crucis figuram imprimi mandavit, ut cum homines quodam erga pecuniam amore ferrentur ipsam quoque Crucem amarent; Quid quod Theodosius & Valentinianus Cæsares, quibus diligens admodum cura erat, per omnia superni numinis religionem tueri; severissime sanciverunt, ne in solo, in silice, in marmoribus humi positis aut pingeretur Crux,

Amor & honor quo mũdus crucem afficit.

Ab exemplis

aut sculperetur, ne sacrum humi signum pedibus conculcaretur? Tanto erat apud veteres illos augustissimos Imperatores in honore Crux, ut cruce munire frontem mallent, quam diademate caput ornare; ideoque cum in sacras ædes ingrediebantur, coronas suas deponebant, & Crucem frontibus suis confestim imprimebant. Quis jam cum Chrysostomo non ita exclamet. Hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi supplicii symbolum, Crux, diadematibus & coronis clarius est factum. Quis non cum Augustino ita dicat, iam in fronte Regum Crux illa fixa est, cui aliquando inimici insultaverunt. Quis non cum Hieronymo ita affirmet, iam regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris pictura condecorat. Iam vero si potentissimam vim Cruce attendamus, nihil unquam aut efficacius reperiri, aut potentius excogitari posse confitebimur. Testes sunt primi illi duodecim Ecclesiæ Antistites Apostoli, quibus tam gloriosas de mundo victorias non alia, quam vis Crucis, comparavit. Testes sunt Martyres, quorum invictos adversus tyrannidem animos Crux effecit. Testes sunt Confessores, qui cum impressam animis suis crucem haberent, cælestibus imbuti præceptis mundum irriserunt. Testes sunt Doctores, qui aliunde, quàm à Cruce fulgentissimum doctrinæ suæ lumen hauserunt. Testes sunt Virgines, quæ Angelicam vitæ suæ puritatem uni cruci acceptam retulerunt. Quid? dicetne aliquis nihil Cruce infirmius esse? fortitudo do est infirmitate; nihil vilius? splendor est in vilitate; nihil ignominiosius? decor & honor est in ignominia; nihil molestius? iucunditas est in molestia. Loquatur Divus Laurentius, & craticulam melitensi pluma molliorem sibi fuisse declarabit. Loquatur Diva Cæcilia, & suaviores fuisse sibi laminas ardentes quam Helenæ vn-

S. Chrysostomi de hac crucedictum

A testimoniis.

Contraposita

Prosopopeia.

unguentum, affirmabit. Loquantur uno ore Martyres omnes, dicent sane Christi Crucem carbonibus suavitatem, eculæis dulcedinem, rotis iucunditatem, patibulis lætitiam, tormentis denique quibuscunque aliis gloriam aspersisse. Quippe fuerunt olim omnes in Cruce dolores, ut qui illam postea sequerentur, aut nullos invenirent, aut eos cælesti quadam suavitate permixtos haberent. Placetne ut admirandam adversus hostes aliquos Crucis potentiam consideremus? Nolo nimis antiqua in memoriam revocare. Notus est Constantinus Imperator, qui de Maxentio, de Bizantinis, de Scythis beneficio Crucis triumphavit, Taceatur. Notus est Rex Anglorum Osvvaldus, qui cum in feralem adversus infideles arenam descensurus esset, erigi Crucis insigne curavit; coram quo cum prostrati milites divinam opem implorassent, gloriosissimam de suis hostibus victoriam reportaverunt. De eo nihil dicatur. Notus est Theodosius Imperator, qui adversus Eugenii Tyranni innumerabiles copias parvam manum præeunte Cruce ducens commemorandam apud omnes posteros victoriam est consecutus. Sileamus etiam illam, & posteriorum ætatum fidem testemur. An non celeberrimus Astriacæ Familiæ conditor Rudolphus Imperator, dum exercitui suo sacrosanctam præferri Crucem iubet, rebellem Bohemiæ Regem Ottocarum debellavit? An non illustrissimum eiusdem familiæ columen Carolus Quintus in expeditione Tunetana sollicitis ac trepidis Ducibus suis pendentis in Cruce Christi vexillum sua ipse manu sustulit, & hoc Duce vincendum esse proclamavit; An non victoriosissimus Ioannes Austriacus, cum acceptum à Pontifice Maximo Crucis vexillum in Prætoria triremi erexisset immanissimos ad Naupactum Turcas profligavit? An non piissimus hodie Imperator Ferdinan-

S. Crucis contra hostes potentia.

Amplificatio.

nandus II. nuperrimam ad Pragæ muros in Bohemia victoriam sanctissimæ Cruci, cuius signum præferebatur, acceptam refert: Vincit, triumphat, invicta est, serenissima illa Principum Austriacorum Familia sed, audeo dicere, tantam incredibilis potentiæ suæ magnitudinem Cruci debet, & vero etiam agnoscit. *Optatio.* Atque utinam dum externa hodie domesticaque bella undique detonant, confundunt, subvertunt, perdunt omnia, dum tumultus, velut undæ vndas, sic alii alios trudunt, dum Hæreticorum rabies vires suas latius in dies & cruenta tyrannidis suæ brachia porrigit, hac Crucis lorica pectus suum Christiani Principes protegerent, hac galea caput suum custodirent, hoc gladio manus suas armarent! Enimvero ne de nobis nequaquam solliciti videamur, cum lignum, ut inquit Augustinus, ubi fixa fuerunt membra patientis, etiam cathedra fuerunt magistri docentis, si nos veræ institutis ac doctrinæ studiosi sumus, hæc est schola nostra, Sodales, Crux sancta. *Crux omniũ virtutum schola.* Illa nobis amorem explicat, ne arrogantes simus; illa patientiam nobis ostendit, ne ad molestiarum aspectum humeros contrahamus; illa pugnandi modum docet, ut tentati non succumbamus; illa efficacissima remedia suggerit, ut in vitiorum nostrorum morbis non desperemus. Illa depellit ærumnas animi, non inserit; distrahit curas, non seminat, laxat dolores, non intendit: attollit spiritum, non deiicit. Mater est lætitiæ, fidei basis, anchora spei, fomes amoris, patientiæ speculum, clavis cæli, polaris vitæ stella & lucidissima Cynosura. *Definitiones conglobatæ.* Tentari sub Cruce quisquam vix potest, vinci non potest. O si faxit Deus, ut ramos tuos aprehendamus, ô felix palma! O si de amaritudinis tuæ fructu comedamus, mæroris flosculos decerpamus, fasciculum aliquem myrrhæ tuæ colligamus! Submitte cacumen sublimis arbor infle-

inflecte ramos, ô nobilis planta, ut, quid dicam, manu? imo animo contingamus, ut ſaltem ſub umbra tua cum ſupremi tribunalis Iudex adveniet, ſecuri reſpiremus; ac tecum in campos illos beatorum perenni Maio vernantes abeamus? Hoc optemus, Sodales, & nihil amplius dicamus. DIXI. *Apoſtropha ad ipſum crucem.*

ORATIO X.

DE CONVERSIONE D. PAULI APOSTOLI.

PErmulta ſunt, quæ cum Divinæ Majeſtatis omnipotentiam clariſſime mortalibus omnibus manifeſtent, tum incredibili contemplantium hominum animos admiratione defigunt. Vniverſam hanc univerſi machinam, cœlum & terram nulla antegrediente materia creare, rudem poſtea indigeſtamque molem ordinare; Sole, Luna, ſtellis Cœlum: arboribus, plantis aliis ac floribus Terram ornare; per medias Oceani rubri aquas fugientibus Ægyptia eam ſervitutem Iſraelitis, ſiccum iter præbere; ſolem ſuo incurſu, fluvios ſuo influxu ſiſtere; ignibus vim adurendi adimere, vita functos effractis mortis repagulis ad hanc lucem communemq; ſpiritum hauriendum revocare, Dæmones in fugam conjicere, ſurdis auditum, cæcis viſum, multis loquelam, ægris ſanitatem natura obſtupeſcente ſola voce, aut nutu duntaxat; aut attactu reſtituere; alia denique, quæ cum à cœli ac terræ Monarcha produci poſſint, tum omniũ ſapientum acumen, atq; adeo rationis humanæ vim omnẽ effugiunt, & concitatã ſiſtunt ad- *Exordium ab iis quæ potentiam Dei maxime oſtendunt.*

mirationem. Vt hæc tamen maxima ſint, admiranda ſint, divina ſint, nihilominus longe majus, admirabilius, divinius eſt, & quod ſolam divinæ Maieſtatis vim omnipotentem certiſſimo argumento, clariſſimoque ſigno manifeſtare poteſt, hominem peccatorem à devio in viam, à tenebris in lucem, à dæmone ad Deum, quaſi ſenſu mutatum, mente animoque novum convertere, allicere, pertrahereque. Neque vero illa hominis peccatoris converſio divinæ potentiæ ac benignitatis tantum eſt opus, verùm etiam tale, in quo aſſidue laborare ter Opt. Max. Deus concupiſcit, ex quo ſummam haurit oblectationem, in quo victoriæ ſuæ trophæum erigere auguſtiſſimique triumphi honorem collocare non deſiſtit. Adeo jucundius honorificentiusque eſt omnipotenti Majeſtati aberrantem ac perditum hominem aliquem ſaluare, quam univerſæ naturæ molem è nihilo creare; hominis peccatoris tenebras divina luce illuſtrare, quam cœlum tot illis pulcherrimis ac flammantibus ſyderibus adornare. Quod cum alias ſæpiſſimè, ex hominibus viliſſimis Eccleſiæ Antiſtites & Reipublicæ ſuæ Principes, ex Publicanis Apoſtolos, ex incantatoribus & magis Martyres glorioſiſſimos, ex idololatris Eccleſiæ Doctores, luminaque fulgentiſſima producendo declararit; tum profecto vel maximè, cum Paulum Chriſtianis tum primum naſcentibus exitium nefariè molientem, eorum ſanguinem ac mortem anhelantem, inita cum eo quodammodo pugna ſuperavit, ad ſe convertit, ex lupo rapaciſſimo ac crudeliſſimo, agnum mitiſſimum & manſuetiſſimum; ex Eccleſiæ perſecutore Eccleſiæ Doctorem, propugnatorem, ac clariſſimum lumen effecit. Qua de re quoniam ita viſum eſt, ut pro huius diei celebritate, atque in hoc Divis omnibus ſacro loco hodie diſſererem, dabo inprimis pugnantem cum Deo Paulum,

Clarius his omnibus ſignum peccatoris converſio.

Amor Dei ad eandem.

Orationis diſtributio.

lum, ac tum triumphantem de Paulo Deum, ipsũque de ſeipſo, Paulum victoriam reportantem. Cogitate, Sodales, intueri vos in Paulo peccatorem; hunc enim per illum repræſento: in Deo clementiſſimum iudicem, hunc enim deſigno. Nolite vero iam à me vim aliquam humanæ eloquentiæ exſpectare, ubi vox divina fulgurando furorem humanum confundit; malo quippe in pii Sodalis apud vos, quam facundi Oratoris opinionem venire. *Benevolentia captatio.*

Atq; ut à pugna ipſa initium ducentes ad victoriã triumphumque procedamus, ſolent orbis Principes ac Reges ac priuſquam ad arma caſtris oppoſitis vel cum aliquo rebelli deſcendant, Legatos aliquos cum mandatis ablegare, qui ſolenni ritu ac cæremonia vel res ab hoſte captas repetant, vel de iniuria conquerantur, vel rebelles ad Principis ſui obedientiam revocẽt. Quod profectò ſumma prudentia Romani Reges lege ſanciverunt, ut prius pacis & æquitatis viæ, quam armorum inter homines tentaverunt. Vbi vero res ablatæ denegantur, nulla iniuriæ reparatio fit, nec Principis authoritatem ac maieſtatem ſubditus rebellis agnoſcit, bellum indicitur, miles conſcribitur, ad pugnam, ad manus, ad victoriam de ſumma rerum decernendam itur. *Confirmatio à more regũ mundanorũ*

Eodem prorſus modo cæleſtis Imperator Chriſtus Dominus cum Saulum ſubditum rebellem, atque Eccleſiæ ſuæ naſcentis hoſtem acerrimum, multa in diſcipulos nefariè cogitantem, multa crudeliter molientem videret pro ſua ſingulari benignitate & clementia monendum illum eſſe prius exiſtimavit. Monuit per Apoſtolos inprimis, quorum ipſe publicis & celeberrimas de Chriſto conciones, admiranda virtutum exempla, incredibilem omnino patientiam non ignoravit. Quibus ſanè modis monere delinquentes Divina Maieſtas ſolet, ut cum divini verbi præcones audiunt, ſui officii re- *Applicatio eiusdem moris ad Deum.*

X 5 cor-

cordationem assumant, cum exempla virtutum intuentur ad virtutem excitentur; cum aliorum patientiam admirantur, ipsi ad perferendum aliquid animentur. Verum cum legationem hanc primam nescio quo furore tandem correptus non audiret; aspernaretur, respueret, benignissimus Imperator graviter animo exulceratus suum illum Athletam sub alienis signis militare, generosissimi martyrum omnium Ducis Stephani oratione rursus illum ad sese vocavit, atque etiam omnium antea illatarum iniutiarum oblivionem, ne ullum ipsi peccatum adscriberetur, proposuit. Quid ille vero? Adhuc spirans minarum & cædis contra stimulum calcitrabat: imo vero surgebat in eo furor, & ferventissimum animum pudebat plus ore posse, quàm manu; pudebat in latebras tantum conicere, non etiam in crudelitatis arenam Christianos illos novos catenatos flagellatosque protrahere. Abit igitur ad Pontifices, mandati tabellas, quarum authoritate in Christianorum cædem grassetur, petit, tabellas obtinet, gestit & exultat, armat animum ira furoreque corpori arma circumponit. O vanam humanæ audaciæ confidentiam! O cæcam animi nimium confidentis audaciam! Subsiste parum per hic Saule; & tu cum illo subsiste peccator; temerarii profecto, non prudentis est Ducis, suas tantum, non hostis vires ponderare. Quid agis igitur? quoniam abi? in quem furorem istum, atque ista arma distringes? Si nimium quid discipulorum uni feceris, ipsi Deo facies; & Deum irritabis? Si tetigeris illos, ipsum Dei pupillam tanges, & Deum ictu aliquo sauciare præsumes? Nescis illum esse, qui fulgura mittit, & eunt, & reverentia dicunt, adsumus? Qui, nubes extendit quasi tentorium suum, & fulgurat lumine suo desuper? Suspice cælum, altius est; si peccaveris, quid ei nocebis? at si multipli-

Legatos Dei Paulus spernit.

Persecutio Pauli.

Apostrophe ad Paulum & dissuasio ab incepta persecutione.

plicatæ fuerint iniquitates tuæ, quomodo fulmen ejus evitabis? Deus eſt ultionum, quem petit; ſi pugnam cupis, cades: Deus eſt virtutum & Majeſtatis, ſi victoriam ſperes, de te illam dabis. Eſt ille, quem veſtra illa Synagoga diademate ſpinarum plexili coronatum nefario conſilio in crucem egit, ſed qui devicta morte ſepulchro inviolato redivivus triumphavit. Et in eum certare cupis, qui mori amplius non potes? Ejus Eccleſiam convertere tendis, *quæ per damna, per cædes, ad ipſo ducit opes animumque ferro*? Nondum iſta crudelem animum ab immani cogitatione deducunt, mitius loquar & again. Illum perſequeris; ô Saule, ô peccator, qui ut te redimeret ſanguine ſuo purpuratus vitam exhalavit. Vide pedes ejus, vide manus, & impreſſa partæ tibi ſalutis veſtigia videbis Pater eſt miſericordiarum, quid opponis crudelitatem? Deus eſt conſolationis, quid turbas? An non ſatis eſſe deberet, quod Stephanum ejus ſub crepitantium mole ſaxorum fariſcentem emori ſpectaſti & riſiſti? quod lapides miniſtraſti? quod omnium penes te veſtimenta ſervaviſti, ut ſceleſtiſſimo omnium officio impios Lictores demereris? Nec timore vincitur furor, nec amore; abit, pugnam vult & cædem, campum ingreditur. Ita ruunt, ruunt peccatores, & ſæpe corruunt. Quid hic vero Chriſtus; Paratus eſt, certamen non detractat, ſummo gaudio, ſumma alacritate, in arenam, in pugnam; quid hic dicam? Angelum fortaſſis aliquem immiſit? Satis fuiſſet, nolite tamen exſpectare? Divorum forſitan quempiam? glorioſum id fuiſſet, ſed nec tamen exſpectate: ipſe, ipſe CHRISTVS in hanc pugnam & arenam deſcendit. Pugnam vult, non ut ſanguinem, ſed amorem eliciat: pugnam vult non ut ſolus triumphet, ſed victum victorem

Certamen Chriſti cum Saulo.

efficiat, & ſuum in Capitolium triumphantem inducat. O incredibilem amorem; ô quanto deſcriptio peccatorum ſalutem anhelat & quærit Deus! Non dubito quin tum è cœlo illo ſuo ita dicebat! Nemo, nemo rapiet eum de manu mea; tenebo eum nec dimittam, & quia funes peccatorum circumplexi ſunt me converſo tandem obſequio, in funiculis charitatis traham eum. Ecce ego lactabo eum, & loquar ad cor ejus. Saule, in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans tui. Salue fili, ſi te lactaverunt peccatores, nec acquieſcis eis, ecce ego lactabo te, quin imo jam te redemi, & meus es & ſum tuus. Ita quidem amor ille divinus, ſed ad pugnam, ad arma parati ſunt utrimque pugnatores; hinc Saulus illinc Chriſtus; hinc homo, illinc Deus; hinc peccator, illinc peccatorum judex & vindex. Pugnæ campus ſpatium eſt illud immenſum, quod à cœlo in terram, à terra in cœlum uſque protenditur. Conſiſtit in terra Saulus, in cœlo Chriſtus. Expeditus in equo, Saulus, lorica clauſus, galea tectus, gladio fulmineo accinctus comites ſecum equites alios ducebat, furore ipſe plenus, corde crudelitatem, ore minas, manus cædes & ſanguinem anhelabat. Chriſtus vero nubium curru vectus, amore, quo Saulum deperibat, armatus, lorica miſericordiæ, per quam omnium ſalutem reſpirat circumdatus, ad hoſtem & rebellem accedebat. Videte nunc, Sodales, congreſſum: Medium campum jam Saulus ardens tenebat, cum ecce circumfulſit illum lux de cœlo, jaculum ſcil. ſed lucis jaculum Chriſtus emiſit, quo ſauciatus ille in corpore ſed ſine vulnere ex equo deturbatus ac proſtratus, ſed ſine ſanguine victus, ſed ſine morte fuit. Naturales Philoſophi, qui in ſcrutandis Naturæ arcanis occupantur, tradunt, non retibus aut venabulis ad tygrides capiendas opus eſſe, ſed ſpeculis duntaxat,

Proſopopœia.

Contrapoſita

Vtriuſque bellantis deſcriptio.

Saulus in terram deiicitur.

quæ

quæ ita mediis in viis erigantur, ut oriens ex adverſo Sol ſuos in ea radios proiiciendo velut alium ſolem producat. Ad hæc ſpecula cum tigrides accedunt, in iisque ſolem alium, atque ſeipſas intuentur, quaſi illaqueatæ ſubſiſtunt, nulloque negotio capiuntur. Ita plane cum Saulum tanquam tygridem furentiſſimam capere atque irretire cœleſtis Imperator concupivit, illi divinæ lucis ſuæ ſpeculum oppoſuit, in quo cum juſtitiæ ſolem, atque adeo ſeipſum errantem intuitus fuit, è veſtigio ſubſtitit velut incantatus, ſeq; capiendum in terram abjecit. Sed ecce ſecundum mox è cœlo jaculum, miſſile jaculum, & quinque duntaxat vocum: SAVLE, SAVLE, QVID ME PERSEQVERIS? Potentiſſimum profectò amoris & miſericordiæ jaculum, quo ſauciatus animo Saulus, ex ore minas, ex corde furorem; ex manibus arma rejecit & acclamans: DOMINE QVID ME VIS FACERE? Victoriam de ſe cœleſti Imperatori porrexit. Tua eſt, inquit, ô Chriſte victoria. Audite victum & proſtratum: Viciſti Chriſte, & ô me miſerum peccatorem! In te armis conſurrexi, te amore mecum pugnaviſti; ego furorem objeci, tu miſericordiam oppoſuiſti: ego imprudens me perdebam, tu miſericors & clemens me ſaluaſti. Vbi ſum? Lucem oculis meis ademiſti, ſed animo ſalutare lumen adjeciſti: nihil video, & te tamen jam agnoſco, & te cupio? jaceo, & ad te ſimul aſſurgo. O benigniſſime Chriſte! O Ieſu Nazarene! Et me, hoſtem tuum, in miſericordiæ tuæ ſinum adducis; Et me rebellem tuum tua manu excipis, tuæ benignitatis ulnis amplecteris? Et me tui Sanguinis inimicum, tui Sanguinis participem facis? Actum eſt, vicit Saulum Chriſtus, & de Saulo triumphat. En ille, qui hoſtis erat, jam amicus eſt; qui perſecutor, jam propugnator eſt: qui lupus rapaciſſimus, jam agnus mitiſſimus eſt; qui Sau-

Secundus ictus.

Saulus Chriſto victoriam concedit.

lus, jam Paulus eſt. Ita nimirum non vult mortem peccatoris Deus, ſed magis ut convertatur & vivat. Ita nimirum, in funiculis charitatis ſuæ homines trahit, & quos peccatores iniquitatibus ſuis lactaverunt, ipſe benignitatis ſuæ lacte, & pretioſiſſimo ſuæ miſericordiæ ſanguine nutrit & fovet. Vtinam, utinam ita vincantur peccatores omnes à Deo, ut ſeſe libenter ſubmittant ; ita immutentur, ut vitam anteactam relinquant ; ita in triumphum à Deo ducantur, ut cum Deo ſimul ipſi triumphent. Sed qui triumphantem vidimus de Paulo Deum, victoriam de ſeipſo reportantem, triumphantemque Paulum intueamur.

Secunda confirmatio nis pars.

Paulus triumphans.

Vix erat potentiſſimo illo divinæ vocis jaculo : Saule, Saule, quid me perſequeris, tranſuerberatus, confeſtim Ducem ſuum & Imperatorem agnoſcens, illi intellectum ſuum & voluntatem in obſequium perpetuum profundiſſima ſubmiſſione præſentavit ; & ut animum ſuum jam divinæ voluntati plane conformem oſtenderet, quot ille inquirendo verba depromſerat, tot ille reſpondendo ſubjunxit : Domine quid me vis facere ? Fuit illa vox victi, ſed in qua eſſet ſuiipſius victoris affectus : etſi enim non plura diceret, plura tamen ipſe cogitabat. Cogitabat apud ſe(& utinam ita peccator cogitaret.) Ecce tu me vocas, ô Chriſte, præſto ſum : alio quam volebam trahis, non reſiſto : furorem meum perſtringis, relinquo. Sed tamen quid me vis facere ? An ut hanc immiſſam in oculos meos caliginem perpetuo circumferam ? paratus ſum. An ut ſim è tuis, qui tuorum eram perſecutor ? ſim tuus. An ut arma in tuos diſtringenda deponam ? depono. An ut tuæ legis ſim præco, qui expugnator hactenus vixi ? Ero præco. An ut pro te ſanguinem ac vitam effundam ? effundam. Sed tamen Domine quid me vis facere ? Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Quis mihi dabit pennas ſicut co-

Apoſtrophe ad Chriſtum.

columbæ & volabo (ſed ad te) & requieſcam (ſed in te:) O inſignem victoriæ palmam! Ita, ita peccator cum vocatur à Deo moras ne trahat; cum cæleſtis Imperatoris vocem audit, ipſi totum ſeſe ſubiiciat, cum ſubito admonetur, ſubito ſeſe offerebat ac præſentet; iracundiæ ardorem, ſi illo inflammetur, extinguat; carnis petulantiam, ſi illa titilletur refrænet; voluptatis cupiditatem, ſi per eam incitetur, coerceat; non ſit amplius ſuus, ſed Dei, qui cum ſuus eſſe volebat, ſibi peribat. Et nunquid, ô ſanctiſſime Apoſtole, nihil aliud tuo illa tam prompta ſubmiſſione voluiſti, quam Eccleſiæ, cuius eſſe Doctor incipiebas, filios, ut ſui ipſorum victores eſſe vellent, docere? ſane qui ſeipſos vincunt, v cto quodammodo Deo cælum ipſum expugnant: nec alii ſunt, Ambroſio teſte, violenti illi, qui cælum rapiunt, quam qui ſibi ipſis vim inferunt, ſibique illata vi cælorum regnum viriliter conquirunt. Audiviſtis & ipſi legiſtis aliquando Leonem quendam furibundo impetu in Samſonem irruiſſe, quem cum illi non aliter; quam hædum ſuo illo immani robore proſtraviſſet, ac proſtratum dilaniaviſſet, in eius ore apum examen & mellis favum invenit. Hic erat, hic erat ille Leo ferociſſimus, Saulus noſter, qui cum in Chriſtum concitato furore & impetu cæco ferretur una tantum divinæ lucis ſcintilla proſtratus eſt, una tantum voce ſuperatus eſt, at in eius ore mellis quoque, voluntatis nimirum ſubmiſſæ favus, & cæleſtium deſideriorum examen eſt repertum. O ſi in te quoque atque in animo tuo, Peccator, poſteaquam contra Deum ac legem ſed tuam in perniciem ruiſti, ille vero te vel inſpiratione ſanctiſſima, vel trepidantis conſcientiæ ſtimulo percuſſit, exiguus obedientis & ſubmiſſæ voluntatis favus reperiretur! Forte etiam à Philoſophis illis Naturalibus aliquando didiciſſis, ita nonnunquam evenire, ut perdicum ova

Admonitio ad peccatores.

Alia apoſtrophe.

Atteſtimonia

Saulus leo eſt à Samſone occiſus

Exemplum à perdici-

bus deductu. Ova incubantes aliæ aves excludant, & enati ex iis pulli aves illas tanquam parentes sequantur, atque illis adhæreant, ubi vero propriorum illi parentum vocem audiunt, cantumque percipiunt impulsi Naturæ quodam instinctu protinus advolant, parentes agnoscunt, sese illis adiungunt. Hic erat, hic erat verissimus illæ Divinæ Maiestatis pullus Sanctissimus Paulus, sed quem cum Synagoga exclusisset, ipsum suo in sinu detinebat, ipse illi adhærebat; at vero ubi intonantem è cælo Christi vocem & auribus & animo percepit, protinus verum suum Parentem Deum ipsum agnoscens, ad illum celerrimo concitati desiderii volatu contendit, atque illi toto animo se iunxit. O si tu quoque Peccator, cælestis illius

Conversio ad peccatore. Patris tui vocem, qui in Ecclesiæ suæ nido pullum amantissimum ex ovo cordis sui vi amarissimæ mortis generavit, audire velles, quam cito Mundum nutritum illum parentem tuum, quam cito Carnem adulterinam illam matrem tuam, quam cito Dæmonem, qui se tuum usurpata authoritate Dominum mentitur, relinqueres? ad

Conclusio. Christum advolares? illi adhærere tota vita, imo etiam æternum velles? Vidimus igitur triumphantem de se Paulum: Vtinam & ipsi de nobis triumphemus. Vidimus triumphantem de Paulo Deum! Vtinam & ille de nobis triumphet!

Modus triumphandi S. Pauli. Quæritis fortasse modum? Ecce prosternitur in terram Paulus, qui ad portandum coram Gentibus sanctissimum Dei nomen vocabatur. Nimirum submitteret sese Deo primum & animo & corpore oportet. Excœcatur, qui Doctor Gentium Gentibus omnibus lumen erat daturus. Nimirum extinguenda est lux illa terrenorum affectuum, ut affulgere in animo possit lumen cælestium desideriorum. Assurgit è terra, qui cum Deo agere, & divini spiritus virtute replendus erat. Nimirum in Dei societatem venire non potest,

teſt, qui terrena aſſurgendo non relinquit. Hic modus eſt, SODALES, proſternamus nos, & Dei Maieſtatem profunda ſubmiſſione horreamus. Excæcemus affectus hos noſtros, ut ſolum Deum intueamur: Aſſurgamus ab his rerum vanarum deſideriis, ut Deum tandem aliquando capiamus. Ita noſtri victores erimus, & de nobis Deo triumphũ relinquemus. Triumpha igitur de nobis, ô Chriſte benigniſſime, qui tui hoſtis acerrimi furorem clementiæ tuæ ſuavitate viciſti, ideoque tibi applaudimus. Tibi etiam ô ſanctiſſime Paule, qui Deo tam prompta voluntate parendo teipſum ſuperaviſti: ſed effice, effice, ſanctiſſime PAVLE, ut quoniam tuus hodie natalis eſt dies, tecum Deo renaſcamus, tuus hodie converſionis eſt dies, tecum ad Deum convertamur. DIXI. *Adhortatio ad Sodales.* *Apoſtrophe adChriſtum.*

ORATIO XI.

DE EADEM CONVERSIONE D. PAULI APOSTOLI.

INgenioſiſſimus Poëtarum omnium Ovidius, Ornatiſſimi Auditores, cum admirandum illud Metamorphoſeon opus, in quo ſummæ induſtriæ penicillo divinam ingenii ſui imaginem expreſſit, auſpicari deſideraret, jure merito, ſi quid eſt in me judicii, eorum implorando Deorum opem, qui iſtarum erat transformationum auctores, ita optime accommodatiſſimeque eſt exorſus: *Exordium à dicto Ovidii deductum.*

In nova fert animus, mutatus dicere formas
Corpora Dii cœptis (nã vos mutaſtis & illas)
Aſpirate meis. ———

Sed

Sed & ego, qui hodie sæculis omnibus obstupescendam illam D Pauli transformationem, quam intelligere cum nulla ætas satis unquam posset omnes tanquam Divinæ Omnipotentis singulare prorsus opus veneratæ sunt, oratione explicare contendo, non immerito sane ejus etiam, quem tantæ ac tam incredibili mutationis auctorem confitemur aliquod orationi meæ auxilium implorabo. Tu igitur, IESV, qui Saulum in Paulum mutasti, & infestissimum Religionis tuæ hostem in Pietatis omnis propugnatorem, & Ecclesiæ tuæ Imperatorem transformasti, da, ut quod olim tanto benignitatis & misericordiæ affectu peregisti, hodie submisso tenuis orationis conatu Sanctorum omnium Sodalibus exponam. Nihil hic humana Eloquentia conari aut hiscere quicquam potest, si non aspires. Tua illa vox è nubibus audita dum Pauli animum percellit, hominibus omnibus cum terrore silentium indicit. Tua illa lux è cœlo missa, dum Paulum inusitatis radiis circumdas, accingit, omnium oculos cum admiratione perstringit. Adeo sine te nec loqui fas est quicquam, nec videre. Vnum obtestor, ut si non tantæ rei dignitati parem, certè non ingratam tuæ Benignitati orationem absoluam. Videre fortasse vultis, AVDITORES, Saulum inprimis ac nondum Paulum? dabo Saulum inprimis: inusitatum deinde Metamorphosis hujus admirandæ modum explicabo modum illum deinde. Paulum tandem ac postremo mutatum? Paulum hic sistam postremo mutatum. Tantisper mihi cogitationum vestrarum usum cum benevolentia permittitote.

Invocatio Christi.

Orationis distributio

Attentionis captatio.

Atque inprimis ut auspicemur à Saulo putatote vos hic intueri Iuvenem aliquem insigni & heroicâ præditum indole, cujus in oculis flammæ, in ore minæ, in fronte ac toto vultu horror, in manibus arma, in animo odium, & ita qui cogitatio-

Henrici adolescentis descriptio.

tionibus nefandiſſimis nihil aliud, quam incendia, devaſtationes, ſanguinem, mortes anhelet ac ſpiret. Si vultis etiam, in æquo vobis illum repræſentare, cælum flammato vultu conſpicantem, quaſi nulla quorumcunque vis divorum conatibus eius poſſet obſtare, terram ſuperbiſſimo ſaltitantis æqui greſſu prementem, quaſi illa non cito ſatis ſuorum hoſtium cadaveribus pateret, dexteram fulmineo armatam gladio nunc turbine inſano rotantem, nunc impetu ferociſſimo vibrantem quaſi certiſſimam inimicis ſuis mortem apportaret, & vero etiam, quod nondum mille interfectorum ſanguine ſuum enſem purpuraviſſet indignaretur. Talis erat, ac eiuſmodi indolis, animi, ardoris, & generoſitatis Saulus. Erat eius indoles alta, & ad omnem quodammodo magnanimitatem ac gloriam erecta; animus virtutis omnis & excellentiæ capax, ſed cum in vitium cæco impetu torquebatur, ferox, impatiens, immanis: ardor tantus, ut cum aliquid pro patria Maiorumque Lege defendenda ſuſciperet, quibuſdam audaciæ flammis animus eius ſuccenderetur: generoſitas vero tam ambitioſa, & veri honoris æmula, ut cum Deo ſe obſequium præſtare, Patriæque ſuæ prodeſſe putaret, omnes infra virtutem ſuam labores ſuam ſupra pericula omnia fortitudinem æſtimaret, nemini cedere vellet, & aut mori ipſe, aut iis quos ſumma animi vehementia perſequebatur, mortem inferre, deberet. Ita fiebat, ut primis naſcentis cum Eccleſiæ Chriſtianis horror eſſet Saulus, & illum à Synagoga miſſum tanquam quoddam abruptum è nube fulmen, cuius ictus omnia proſterneret protereretque, reformidarent. Indolem illam familiæ generiſque nobilitas erigebat; erat enim ex tribu Beniamin & nobili Iudæorum familia oriundus. Animum illum tam excelſum Græcorum litteræ, liberaleſque Diſciplinæ, & ſcientiæ Gen-

Amplificatio eiusdem.

Deſcriptio hoc Saulo accommodata.

Sauli Familia.

Gentilium excitabant; erat enim his omnibus excultus, & sacram insuper à Gamaliele doctrinam Hierosolymis acceperat. Ardorem illum ac tam vehementem generositatem insignis in patriam & instituta Maiorum amor efficiebat, erat enim, præterquam quod Pharisæus, ea doctrinæ perfectione, ut alios eiusdem secum ætatis omnes longo intervallo superaret. Sed quemadmodum magna aliqua flamma opprimi cineribus non potest, nec intra nubem fulmen concludi; ita nec parietibus domesticis contineri Saulus, nec in otio conquiescere poterat virtus eius inflammata. Erumpebat ipse ardens odio in Christianos, domus pene singulas, & abditissima loca perscrutabatur, delitescentes multis in angulis viros ac mulieres summa sævitia in catenas carceresque pertrahebat. Audebo dicere (nam ipse de se fatetur) persequebatur, devastabat, expugnabat Ecclesiam, & cum gratissimam præstare se Deo rem arbitraretur, imparem iustæ iracundiæ animum suum, & imbecilliorem ad tot cedes, quod ipse anhelabat, dexteram suam ac gladium iudicabat. Non dubito, quin cogitationibus vestris iam obversetur lupus aliquis, qui, (dicam ut Poeta:)

Similitudo. *Persecutio Sauli.* *A simili.*

——— Pleno insiatur ovili
Et fremit ad Caulas ventos perpessus & imbres
Nocte super media, Collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & sicca sanguine fauces.

Applicatio. Bene sanè cogitatis, rapacissimus erat lupus hic Saulus noster, qui Ecclesiam tanquam ovile quoddam, summo concitatus odio cingebat, omnium exitus ingressusque lustrabat, & dum in animo ignescebant iræ, qua via clausos excuteret, comprehenderet, mactaret, maxima apud se crudelitate constituebat. *Comparatio.* Enimvero iam ecce aliud animo occurrit, & videre mihi videor immanem ali-

aliquem Barbarorum Imperatorem, qui civitatem è noſtris aliquam innumero propemodum exercitu cingat, muros validisſimis machinis concutiat, multos quotidie cives contrucidet, reliquos in urbe propugnatores ad extremam rerum omnium inopiam adiget. Sed aberro, non eſt Barbarus aliquis Imperator, ſed Saulus, qui Eccleſiam novam olim Religionis Chriſtianæ Ci vitatem inflato furore obſidebat, nonnullos ad cædem rapiebat, multorum domos infeſtabat, plurimos in anguſtias & rerum extrema compellebat. Neque tamen tot his ac tantis tamque immanibus in Chriſtianos machinationibus furor eius ſatiebatur; plura nefarie cogitabat, maiora crudeliter moliebatur. Et quemadmodum olim Sylla tum de hoſtibus ſibi victoriam pollicebatur, cum parvum quoddam Apollinis ſimulachrum geſtabat, ita Saulus tum demum novum hunc populum & ipſum Chriſti nomen in terris delaturum ſeſe confidebat, cum mandati tabellas à Pontificibus obtineret, & publica armatus auctoritate liberius in omnium cædem graſſaretur. Petiit, obtinuit, data eſt illi capiendi, vinciendi, abducendi poteſtas. O cæcam hominum inſaniam! O ſtultam audaciam, & cæcam nimium confidentiam! Dedi Saulum AVDITORES, talis erat cum Paulus nondum eſſet; ita cæco impetu rapiebatur, cum nondum eſſet à Chriſto proſtratus; ita Chriſtianorum ſanguinem & mortem anhelabat, cum nondum eſſet Chriſtianus. Obſecro vos, an non veſtros animos iam quædam commiſeratio tenet, & triſtiori profeſſos affectu cæcitatis humanæ miſereri facit? Nunquam animum meum diſſimulabo; miſereor ſane miſerorum hominum, qui ita vitiorum ſuorum caligine nonnunquam excæcati, ac neſcio qua confidentia elatis animis quaſi cælum expugnaturi Deo bellum indicunt. Nulla eos divinæ iuſtitiæ me-

Saulus obſidet Eccleſiã Dei.

Ab exemplo

Amplificatio furoris eius.

Conditio peccatorum & ſuperborum.

memoria à sceleribus deterret; nullus originis primæ pudor ad mentis puritatem accendit, nulla tot acceptorum tota vita beneficiorum recordatio à flagitiis revocat, nec cælorum nec astrorum, nec universæ huius Naturæ aspectus in susceptis nefariorum consiliorum executionibus vel minimum remoratur. Quasi torrentes præcipiti impetu in peccata devoluuntur; quasi Gygantes non montes montibus, sed scelera montibus ipsis immaniora sceleribus accumulant. Quod avaritia somniat, quod ambitio proponit, quod luxuria probat, illud obtinendum, etsi leges ac iura reclament; illud perpetrandum, etsi ipse rerum omnium Præses ac Monarcha resistat; illud gustandum, etsi certissima inter gustandum mors occurrat Adeo benignissimi Conditoris patientiam lacessere iracundiam provocare, legum tabulas conculcare, divinum amorem aspernari, in omne nefas ruere mortalium est ludus. Quid ludum dico? impudentia est, insania est. Quanquam dum orationem hic nostram remorari sumus abiit Saulus noster, & Damascum versus fulgentibus accinctus armis, dum illum non pauci eiusdem furoris equites comitantur, iter est ingressus. Sequamur nos cogitationibus expeditis, iamiam illum assequemur. Hic, hic illa excelsa de Libano Cedrus levi vento prosternetur: hic altus ille Colossus, sed non sine ingenti tumultu cadet, hic furibundus ille leo minas, ac terribiles suos spiritus deponet; hic Saulus in Paulum (ô incredibilem Divinæ Maiestatis benignitatem!) transformabitur. Modum ipsum explicabo.

Transitio ad alteram partem confirmationis.

A medicorum more.

Peritissimi, expertissimique Medici, non prius de medicamentis ægro abiectoque corpori applicandis cogitant quam morbi causas, signa, effectus, vim deniq; totam intellexerunt; ut tum prudenter ac pro morbi afflictæque valetudinis conditione de remedio oportuno, & ad sanitatem ægro-

groto reſtituendum accommodatiſſimo proſpiciant. Non ignorabat magnus ille de cœlo medicus, humani generis Servator, quam afflicta eſſet, & ab interitu vix diſtaret Sauli noſtri valetudo non illa corporis quidem, ſed mentis. Multa in eo ſigna morbum & ægritudinem manifeſtabant; præceps ille furor cæcitatem; ardens pro Iudaiſmo feruor, ignorantiam, utrumque tam inconſultum propoſitum, tam obſtinata pertinaxq; voluntas, tam ſeverus in novum illum populum animus, tantus ac tam vehemens contra eos apparatus, qui animis invicti in vinculis ridebant, in ſupplicii triumphabant, in morte ipſa renaſcebantur. Quid egit igitur? Inuſitatam in eum lucem immiſit. En adverſus cœcitatem remedium. Hac voce, ego ſum Deus, quem tu perſequeris, ſe ac ſuam illi divinitatem manifeſtavit. En adverſus ignorantiam remedium. Potens ſane & efficax utrumque: ut ſua ex equo Saulum in terram proſtraverunt, & corporis cæcitatem induxerunt, mox vero cum illum totum peruaſiſſent, mentis omnes tenebras expulerunt, deſideria omnia perpurgaverunt, voluntatem immutaverunt. Neque tantum ex manibus arma, ſed ex ore minæ, ex oculis flammæ, ex vultu toto horror, ex animo odium & ita ceciderunt. Vno divinæ lucis radio ex perſecutore factus eſt propugnator; uno ex equo lapſu ex hoſte factus eſt amicus; una cœleſti voce ex lupo rapaciſſimo mitiſſimus factus eſt agnus. Generoſiſſime Paule, ubi tunc erat am feruens ille ſpiritus tuus? quid agebant tuæ tam impatientes manus? quis erat ſenſus armorum tuorum? jacebat ſpiritus ille tuus; manus armis valedicebant, arma tua militiam aliam poſtulabant. Quanquam cum illa luce circumfuſus nihil videres, quid tamen videbas? Illum, inquit, quem perſequebar, conditorem ac redemptorem meum agnoſcens videbam, & me rebellē inju-

Sauli ægritudo.

Remedium eiusdem.

Contrapoſita.

Apoſtrophe ad Paulum.

Proſopopœia.

injustumque persecutorem intelligebam. Cum prostratus in terram jaceres, ubi jacere te putabas? In ipso, inquit, misericordiæ sinu jacere me putabam, & infinitam erga me peccatorem divinæ majestatis benignitatem sentiebam. Cum vox illa cœlestis tuas aures & animum penetraret quid audire te tandem existimabas? Iesum, inquit, ita loquentem audiebam. Saule, ego sum qui in charitate perpetua dilexi te, & ideo attraxi te miserans tui. Ego te creavi, & redemi, tu meus es, & ego sum tuus; non amplius te peccatorum funes circumplectentur ego te in funiculis charitatis traham, nec unquam dimittam. At vero cum Deum agnosceres, cum tantam ejus misericordiam experireris, cum illam divini amoris vocem audires, quid dicebas? quid agebas? Animum, inquit, illi meum offerebam, & cum ejus divinæ voluntati consecrare totum me vellem, hoc unum, Domine quid me vis facere, respondebam. En admirabilem illam Sauli nostri transformationem! Quam profecto cum accuratius apud me considero, audeo dicere, neminem unquam tanta misericordia digniorem Saulo extitisse, Deum in nullum alium tanto cum fructu, quam in Saulem benignitatis tantæ gratiam conferre potuisse. O si nos ita, cum divinam iram provocavimus, transformaremur peccatores! Quotusquisque est, qui ubi lux ei divinæ voluntatis est exorta divinæ, voluntati non amplius resistat? Non amplius restitit Saulus. Quis est, qui cum Dei vocem vel conscientiâ insusurrante, vel alio quopiam intonante intelligit, confestim à vita pravitatis recedat? Recessit Saulus. Quis est, qui cum adversæ fortunæ ictum aliquem persentiscit, paratum animum divinæ voluntarii subiiciat? Subiecit Saulus. Manifestabat illi se Deus, agnoscebat, alio, quo non existimabat, vocabatur; paratus erat, deponenda erant,

Alia.

Alia apostrophe.

Ab enumeratione.

Conversio Sauli.

quæ

quæ prius induerat, arma deponebat; non amplius Saulus eſſe debebat; Saulus eſſe nolebat. Paulum ergo ac non amplius Saulus illum, Sodales, conſideremus. Surgat & hic conſiſtat. Pervulgata mortalium omnium opinio eſt, nihil unquam in hoc rerum ambitu tantæ excellentiæ dignitatiſque fuiſſe, quo non majus aliquid & excellentius poſterior ætas viderit, aut certe non minus. Ego vero ita exiſtimo (Divorum omnium pace dicam) divini hujus Herois, poſteaquam è Saulo in Paulum eſt transformatus, tantam in omni laude dignitatem exititiſſe, ut nec ſummam ejus ſapientiam quiſquam poſtea ſit aſſecutus, nec virtutem ſanctitatemque ſuperarit. Mens ejus ſapientiæ delubrum erat, os divinæ legis Oraculum, Animus excelſum quoddam virtutis Theatrum. Obſecro, cujus hominis ſapientia tanta unquam eſſe potuit, quanta Pauli, qui non eam è terra hauſit, ſed è cœlo; non ab hominibus accepit, ſed à Deo; non inſtructus ad illam fuit, ſed ea protinus imbutus? Fuit illi cœlum Schola, quo cum eſſet aliquando raptus Divinæ Maieſtatis factus eſt diſcipulus, illaque revelante eos in divina ſapientia progreſſus fecit, ut accepta immortali laurea Gentium Doctor & Evangelii Magiſter renunciaretur. Hic illa, quæ nemo unquam audiverat, audivit, quæ nemo viderat, vidit, quæ nullius cor cogitando conceperat, concepit; quæ hominem nefas eſt loqui, didicit & intellexit. Ita qui antea novæ poteſtatis tabulas à Principibus Sacerdotum acceperat, ut Chriſtianorum Gentem profligaret tunc à Deo ſapientiæ divinæ tabulas accepit, ut univerſi terrarum Orbis nationes ad Chriſtum attraheret. Erraverunt equidem illi, qui Paulum promiſſum illum veritatis à Chriſto Spiritum crediderunt, ſed erat tamen ſpiritus quidam veritatis Paulus, qui cum in animo Gentilium illabebatur falſitatis

Amplificatio converſi huius Sauli dignitatis.

Schola Pauli.

Contrapoſitio.

Testimonium. nebulas omnes depellebat Non erravit vero Dionysius Areopagita, qui communem illum Orbis Solem, & sapientiæ abyssum appellavit. Non erravit S. Chrysostomus, qui cum ejus satis admirari sapientiam non posset, mare sapientiæ purissimũ, & profundissimum esse dixit. Ipsa veritas vas ipsum electionis nuncupavit. Angeli Doctorem suum amaverunt, homines suum Magistrum coluerunt. Erat Sol, qui clarissimis Doctrinæ veræ radiis salutatem terris omnibus diem adducebat. Erat mare, ex quo Gentes omnes quæ gravissima siti premebantur, salutis aquam hauriebant. Erat Aquila, quæ Iustitiæ Solem oculis irretortis aspiciebat, & in ipsa Divinæ sapientiæ arcana penetrabat. *S. Paulus iustitiæ aquila.* Cum loquebatur, atque illud os suum sanctissimum aperiebat, non ut Pericles tantum fulgurabat, tonabat, omnia permiscebat, sed ut ille Gallicus Hercules, catenulas quasdam aureas, quibus aures & animi multitudinis ligabantur, diffundebat. *Definitiones D. Pauli.* Vt non immerito sanctissimus Hieronymus illum Evangelii tubam, Leonis nostri rugitum, Eloquentiæ Christianæ flumen appellet. Iactitent, quicunque volunt & Suadam suis in labris sessitavisse, vel apes in os suum mel intulisse, vel suo Musas sermone locutas, dicam, & ipsa audiente veritate dicam. Divinam Paulo Eloquentiam non alius, quam ipse Deus infudit, nec alio, si loqui vellet, quam Pauli sermone uteretur. *D. Pauli magister.* Sed in ejus animum, quoniam quoddam esse virtutis Theatrum jam ante dixi, parumper inspicitote. Non illustrius esse tot illis stellarum ignibus Cœlum potest, quam animus est Pauli virtutum omnium ornamentis. *Virtutes D. Pauli.* Quam illustre Charitatis sydus in ejus animi Cœlo radiabat, cum nulla fortunæ adversitas, nulla mortis violentia nulla cujusquam potentia posset cum à Charitate Dei separare? Quam admirandum humilitatis astrum effulgebat, cum Sanctorum omni-

nium se minimum, & Apostolatu indignum: imo blasphemum, persecutorem ac contumeliosum hominem appellaret? Quam insolita luce temperantiæ stella micabat, cum esuriret, sitiret, ac nullum, Baronio teste, vinum gustaret? Quam serenus candidusque Castitatis Planeta splendicabat, cum virgineam in cælibatu vitam duceret, & ad hunc puritatis amorem cæteros ferè mortalium inflammaret? Enimvero quemadmodum syderum in cælo numerum inire velle stultæ est, & vanæ curiositatis, ita Pauli virtutes numerare, curiosæ nimium est & superfluæ pietatis. Citius equidem, sed & verius etiam hoc dicam, nihil aliud in terris Paulum, quam virtutem animatam extitisse. Immo (nescio an dicere auderem, dicam tamen) nihil aliud pene Paulum inter homines, quam Christum fuisse, atque idcirco tanto illum amoris affectu perculsum aliquando exclamavisse: Vivo ego iam non ego, vivit vero in me Christus. Illius ut domesticus esset, toto in cælis animo conversabatur; illius ut servus esset, hominibus placere amplius nolebat; illũ ut perfectissimè imitaretur, gloriari nisi in eius cruce nolebat, & eius stigmata suo in corpore portabat, ab illo ut nunquam per insipientiam recederet, corpus suum castigabat, & in servitutem redigebat; Taceo labores eius, nemo plures unquam exanthlavit; si leo verbera & cruciatus, nemo sæpius vim eorum est passus; nihil dico de carceribus, nemo constantius ac tam sæpe sustinuit, non commemoroꝛo pericula, nemo tam audaci, tam excelso, tam interrito unquam animo audivit, pertulit, contempsit. Illud dico, tanta fecit confecitque Paulus, quanta non dicam moliri, sed ne cogitare quisquam unquam auderet. O Sodales! O Sanctorum æmulatores! An non animos vestros iam illud Augustini votum pertentat? Vtinam (nec in ore tantum, sed & in opere) videre Pau-

Similitudo.

Distributio.

Transitio.

Conversio ad Sodales.

lum liceret? Videretis cum virtutum omnium quandam arcam esse; adeo, inquit Chrysostomus, ut etiam si quis totum contra eum iustorum chorum sigillatim appendat, inveniat trutinam virtutum ponderibus à Pauli parte depressam. Videretis eum quem Melitenses Licanoique Gentiles propter summæ virtutis excellentiam & potentissimam facundiæ sacræ vim Deum esse putaverunt. Videretis eum, quem Christi promptuarium esse Cyrillus ait, ex quo dotes & opes Christi depromere possimus. Videretis eum, cuius familiaritate etiam cum inter vivos esset; Christus ipse delectabatur; cuius sudaria vim Dæmonibus inferebant, umbra mortuos excitabat, illæsæ manus viperas excutiebant, lac è cervice tecisà manus Barbari carnificis animum ad Christum & martyrium adduxit.

Descriptiones D. Pauli extestimoniis

A simili.

Quanquam iam mihi id evenire animadverto, quod quibusdam hominibus qui cum Solem admirentur & propemodum adorent, manum tantum admirantes ad os suum & oculos attollunt.

Comparatio.

Tua est illa sanctissime Paule, dignitatis excellentia, quæ nostros de te sermones in admirationem convertit, & dum mentem admiratio subit ori silentium indicit. De re difficilius est pro dignitate loqui, quam, immotis Solem oculis intueri.

Conclusio.

Nihil amplius ergo dicamus, & ori manum admoveamus. Laudare Paulum nemo hominum vix Angelorum quisquam potest, possunt Angeli, debent homines admirari & imitari. DIXI.

* *
*

ORA-

ORATIO XII. IN LAUDEM S. ANNÆ.

IUdæorum ille fermè omnium eruditissimus, idemque eloquentissimus Philo in eo Commentario, quem de Noemi plantatione disertissime, ut cætera, conscripsit, fabulam narrat, non minus suavitate iucundam, quàm sapientiæ fructu præclaram: Deus, inquit, rerum omnium opifex, cum admirabilem mundi structuram tanta tamque varia partium non modo congerie, sed & compositione consurgentem, divinæ mentis solertia machinatus, oculis subiecisset, fertur ab iis, quibus in hoc opere administris usus fuerat, quæsivisse quidnam de tota universi natura videretur; tum unum admodum liberè, quod sentiret, respondisse vocem aliquam grandem, acutam, elatam, desiderari, quæ omnes mundi pervagata regiones sine ulla intermissione Dei laudes ac sapientiam prædicaret. Quæ profecto si res esset, non hodie in laude Divæ Annæ fortissimæ mulieris, cuius pretium procul & de ultimis terræ finibus, laboraremus. Iam enim vox illa, quæ in ortum occasumque diffusa, quæ meridiei ac septemtrionis remotissimas oras implens divinæ maiestatis æternum encomium populis admirantibus intonaret, simul etiam Beatissimam Annam, in qua summa Dei sapientia, admirabilis munificentia, singularis providentia cernitur, hominibus omnibus, locis omnibus ac omnibus temporibus prædicaret. Est certe sanctissima Anna Dei opus naturæ dignitate præstans conditionis excellentia magnificum, virtutis & gratiæ perfectione absolutum, ut si Deum excipiamus,

Exordium à Philonis fabula deductum.

Laus D. Annæ.

mus, quo nihil auguſtius, Virginemque Deiparam, qua nihil ſanctius, hæreant humani ſenſus nec habeat, quod ſupra Annam extollat. Eloquentia. Conſurge igitur altius diſerta pietas Annam laudatura, quæ naturæ dignitate conditionisque maieſtate aſſurrexit ſupra id omne, quod Deus aut Maria non eſt. Vincitur equidem à filia mater, à nepote avia, vincit tamen omnes tantæ filiæ mater, tanti nepotis avia. Quapropter ſalve Heroina auguſtiſſima, Diva maxima, quam vulgari ore laudare pene piaculum eſt, ſed in te, quod in Deorum ſimulachris facere homines è vulgo ſolent, imitabor, qui eum eorum capita redimere floribus propter altitudinem non poſſunt, ſtatuunt ad pedes coronam. Tu vero cum tuarum virtutum maieſtate omne faſtigium humanum exceſſeris, patere tibi corollas iſtas & floſculos ad pedes fundi, vel potius nos iube impreſſo ori digito ſilere & te tantum admirari, modo tamen tuæ huius domus ac Collegii gratum animum brevis unius laudationis monumento, quod ego offero, accipies. Vos Ornatiſſimi & Humaniſſimi AVDITORES, excitare piam in vobis admirationem, & quod admirabimini animo colite, affectu deſiderate. Cum permultas futuræ Matris ſuæ idæas ac figuras Deus prisci ævi hominibus adumbrare oſtendereque voluerit, tum nonnullas etiam aviæ ſuæ Annæ ſanctiſſimæ, in terra, in cælo, in rebus aliis ita admirandas oſtendit, ut eam non hominem in terris & fæminam, ſed Numen quoddam & veluti Deam extitiſſe propemodum credamus. A terra ipſa incipiamus, & hæc eius idæam ſanctitate pleniſſimam intueamur. Olim Moyſes cum Iethronis ſoceri ſui gregem paſcens in montem Horeb ſeceſſiſſet, obſtupeſcendum ſane prodigium eius oculis eſt obiectum: ignis enim rubi fruticem depaſcere videbatur, maxima ac flagrantiſſima un-

Apoſtrophe ad D. Annam.

Propoſitio.

Benevolentiæ captatio.

A facto Moyſis.

dique flamma emicabat, nec frondes interim, nec flores, nec ramos flamma ista lædebat. Ille tam inopinato spectaculo non mediocriter attonitus dum accedere contendit, vocem ab igne emissam non humano sed cœlesti quodam sono percipit, Moyses, Moyses, solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est. Qua voce perculsus ipse & magis obstupescens recessit à flamma, & inaccessum religione locum non calcando summa reverentia loquentis à longè Dei iussa percepit. Quis non admiretur tantum honorem, non dico rubo, qui thronus tum erat ac solium Dei, non dico flammæ, quæ fulgore suo ac splendore Divinæ Maiestatis lucem inaccessibilem repræsentabat, sed terræ ipsi, quæ rubum istum è gremio suo produxerat deferri? Erat, erat ille Rubus Deipara Virgo Deo ipso plena, & illæsa virginitate circumdata; sed erat etiam terra illa, Anna sanctissima, quæ suo è sinu fœcunda senectute Dei matrem, Dei thronum ac solium, Virginem Mariam maturo ævo produxit. Adeo quisquis ad sanctissimam hanc Heroinam contendit, posito terrenarum rerum affectu, submisso animo, pura mente, profundissima veneratione, terra enim sancta est, accedere debet. Nunc terram ipsam relinquamus, & in cœlum oculorum aciem convertamus, ut hic quoque Annæ nostræ typum aliquem deprehendamus. Visa est olim in cœlo inusitata claritate coruscans stella Iacob, quæ ut pulchritudine sua admirabili ignitos illos ac micantes cœlorum orbes plurimum exornabat, ita diffusis quaqua versus radiis fulgentissimis terram universam illustrabat. Erat stella illa Annæ filia, Virgo Deipara, vera maris ac mundi stella, cœli decus, orbis salus, sed erat etiam Cœlum ipsum Anna, ex qua tam salutare mundo sydus virgineo lumine mortalibus omnibus affulsit. Ita si terram inspicias, Annam in terra velut

Locus sanctus.

B. Virgo rubus est ex Anna productus.

Typus D. Annæ.

D. Anna cœlum in quo fulget stella Iacob.

in typo videbis, si cœlum intuearis, Annam in cœlo velut in figura deprehendes. Ex hac terra sanctissima salutis arbor pullavit, ex hoc cœlo pulcherrimo reparationis lux prima resplenduit. Quanquam jam ad res alias è cœlo delabamur, & loquentem Prophetam Isaiam audiamus. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet. Quod si ea virga, teste Hieronymo ac Leone, Virgo mater est; flos ille, teste Origine ac Clemente Alexandrino, Christus est, an non dicenda est radix Anna, radix salutis, de qua non virga sed virgo processit? Neque vero radix tantùm fuit Anna, sed omnino salutis arbor; arbor, inquam, illa, ex qua prodigiosa ista Aaronis virga processit, quæ arida prius germinavit, turgentibus gemmis floruit, floribus conversis amygdala produxit. Nam si virgam illam Aaronis, Deiparam virginem sacrosancti Doctores interpretantur, si fructum illum excellentissimum Christum Dominum Sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech intelligunt, jure nos nec immerito sanctissimam Annam arborem illam fuisse dicemus. Et hæc est arbor illa quam occidente jam Synagoga, & nascente propediem Ecclesia, velut in medio constituit Deus, ut cum efflorescerer, Synagoga periret, cum fructificaret, Ecclesia nasceretur; ut, inquam, flos ejus Maria, fructus ejus Christus esset. Vidit in somnis aliquando potentissimus ille Chaldæorum Rex Nabuchodonosor arborem, cujus vertex proceritate quasi monstrosa Cœlum attingebat, & universam rami terram obumbrabant; cujus folia pulcherrima, fructus nimius, & esca universorum in ea. Hæc est arbor illa, non illa tamen, sed pulchrior, sed excelsior, sed omni genere fructuum uberior. Quam excelsa est Anna, quæ dignitate Christi aviæ tanquam sublimi vertice cœlos ipsos non attigit tantum, sed penetravit?

Typus alius D. Annæ.

Alius typus.

Tan-

Tanta est enim aviæ Christi dignitas, ut eam sola matris dignitas excedat: infinita est, & quam eloqui humana eloquentia non potest. Quam excellens est Anna, cuius ramus unus Maria, non terrarum omnium tantum orbem Numinis dignitate obumbravit, sed cælum ipsum Deitatis cuiusdam maiestate replevit? Quam pulchra est Anna, cuius non folia viridantia, sed virtutes cælesti quodam fulgore micantes Divinæ Maiestatis amorem impulerunt, & hominum oculos ac admirationem in se converterunt? Quam varius & quam multiplex est Annæ fructus, in quo mortales omnes divinæ clementiæ suavitatem degustant, & salutis reparatæ participes evadunt? O mulierem fortem? quid dico fortem? O mulierem infinitam & divinam! Ego sane ita existimo, quod quemadmodum Deus non potuit Annæ digniorem Nepotem dare, quam Filium suum; ita nec Annam sua omnipotentia meliorem sibi ac digniorem auram efficere, quam fecit; adeo ut ipsa divinæ quodammodo omnipotentiæ terminos exstiterit. Obsecro vos si attestante Regum historia, cum Obededon Dei arcam intra penates suos recepisset tanta largitate bonis omnibus Deus eum cumulavit, ut in eius domum cecidisse felicitas è cælo videretur, quid dicemus gloriosissimæ Annæ contigisse, quæ non ligneam istam arcam intra lares suos recepit, sed sacratissimam Virgineam, filiam suam, veram Dei arcam intra uterum concepit, in lucem eduxit, in luce fovit ac nutrivit? An non in eam divina bonitas cælestes omnes opes congessit? in eam thesauros omnes gratiarum effudit? in eam sese totam divina omnipotentia profudit? Neque opinor nisi divino consilio factum est, ut ipsa Anna appellaretur, ut cum nomine isto gloriosissimo gratia ipsa significetur, iam omnes intelligerent tantam esse in Anna Dei gratiam, ut gratia

Amplificatio.

D. Anna dignitatis.

Ab exemplo

Applicatio.

Sanctitas SS. Patriarcharum.

ipsa iure merito appellari deberet. Veneror equidem, & venerari debent omnes sanctissimos Patriarchas Abrahamum, Isaacum, Iacobum, perlubenter honoro dilectissimum Deo regem ac vatem sacratissimum Davidem; multis aliis illius ævi Heroibus insigni virtutum excellentissimarum claritate conspicuis & animum & mentem submitto, quod cum esse maiores & prædecessores Christi Domini ac Deiparæ Virginis deberent in iis tanta vis sanctitatis effulserit, ut quædam virtutum omnium exemplaria ac specula sæculis omnibus proposita fuerint: sed tamen quanto intervallo ab hac gloriosissimæ Annæ sanctitate distant; quæ ita prope Mariam & Christum attigit, ut huius avia, illius mater exstiterit? Constituamus videre nos potentissimum aliquem monarcham, qui in Palatii sui & Aulæ Regiæ horto amænissimo fontem aliquem Regia prorsus magnificentia & artificio incredibili adornare concupiscat, iamque ex India Iaspides: Alexandria porphyrites, Genua alabastrum, aliunde lapides alios pretiosissimos conquirat: statuat simul ac decernat ductus illos aquarum & canales, qui sub terra esse, & à nemine conspici debent, non ex ferro aut plumbo, sed ex argento purissimo formandos esse, annon omnes ita iudicabimus, fore ut ex Regis illius voluntate & imperio, eæ omnes statuæ, quæ circa fontem & in omnium oculis collocari debent, ex auro aut pretiosiore materia alia conflentur, & novo inusitatoque plane artificio elaborentur? Fuit apud Deum, & apud Deum est iam ab æterno fons vitæ Dei filius & Deus ipse, quem cum in Ecclesiæ horto collocare & adornare desideraret, extiterunt aquarum eius Canales Prophetæ & Patriarchæ, in quibus si singularis cuiusdam integritatis argentum esse voluit, profecto purissimæ sanctitatis aurum in Anna effulsit, quæ tam prope fontem ipsum con-

Horum sanctitati sanctitas S. Annæ præfertur.

contingit. Quantis lætitiis gestiisset? quanto affectu exultasset olim Salomon, si generosam illam mulierem, quam tantopere videre desiderabat suo ævo intueri potuisset? Non toties ingenti affectu confossus, & abreptæ mentis desiderio perculsus exclamavisset: Mulierem fortem quis inveniet? Nos fortunatissimi profecto homines & Salomone multo feliciores, auspicacissimis temporum nostrorum fatis eam invenimus, quam intueri tot ævi prisci Reges, tot sanctissimi Prophetæ, tot dilectissimi Deo Patriarchæ concupiverunt. Ea est Anna nostra mulier fortissima; ea est Amazon nostra bellicosissima, quæ Dei furorem sua integritate in favorem convertit, quæ Dæmonem ad jugum adduxit, tot elapsorum lachrymas, & ærumnas sæculorum sedavit; quæ reparatæ salutis fortunatissimum initium dedit. Et quisquam eam non dives omnes (excipio filiam, excipio nepotē) non Divos omnes sanctitate dignitateque superasse fateri auderet? Quid si dicam intra ejus uteri compages sua in conceptione Deiparam Spiritu sancto ita repletam, ut infinita in matrem gratia redundaret? Scitis enim eam esse aromatum naturam, ut thecas quibus includuntur, fragrantissimis odoribus suis afficiant. Quid si dicam ita filiam suam pariendo en lucem produxisse, atq; in templo postea præsentavisse, ut pro excellentissimo illo dono copiosissimam à Deo gratiam reportarit? Quid si dicam ita multis annis multa beneficia sanctissimæ filiæ suæ contulisse, dum anhelantibus ejus labellis ubera objiceret, dum ad oscula ridentē attolleret, dum ulnis arctissimis foveret, dum omnia vitæ necessaria subministraret, ut infinitam quoq; gratiam ea deprecante receperit? Plane, plane fuit ipsa, ut cum Ecclesiastico loquar. Gratia Dei sicut paradysus in benedictionibus Misit manum suam ad fortia, & inde tot ejus virtutum merita apud Deum exstiterunt, ut merito

Ab exemplo

Fœlicitas nostra est maior Patriarcharum.

Gratiæ S. Annæ.

Ecclesiastici de D. Anna testimon.

Sanctorum omnium Ordines cedere illi debeant, quæ supra id omne, quod post Deum est, filiam suam sublimissimo in honore contuetur, & Deum nepotem suum appellat. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperes, quæ pauperum necessitatibus ac usibus patere semper desideravit, spe semper erecta, oratione semper armata. Sed profecto jam illa, quam initio dixi; voce cœlesti ad prædicandum; aut meo vestroque omnium silentio admirandum opus esse video.

Apostrophe & Conclusio. Tu nobilissime Diva, Regina Mater, Regina Cœlorum Mater, Dei Aula, age apud filiam, age per filiam apud nepotem, ut qui te mulierem fortissimam colimus & veneramur, fortissimi Viri, fortissimi Adolescentes, tuo favore, filiæ auxilio, nepotis gratia existimus. DIXI.

ORATIO XIII.

DE LAUDIBUS S. BENEDICTI.

Exordium deductum à Salomonis dicto.

MAGNUM illud humanæ sapientiæ miraculum & oraculum Salomon, Israëlitarum Monarcha, cœli discipulus, orbis universi Magister, cujus nō è tripode vano quodam afflatu, sed è regio solio sapientia ipsa de cœlis afflante responsa Mundus accepit, Ornatissimi & Humanissimi AUDITORES, cum illam, quam ingredi ac tenere viri justi solent, regiam ac cœlestem omnino virtutis viam vivis color bus adumbrare desideraret. *Iustorū*, inquit, *semita, quasi lux splendens procedit, & crescit usq; ad perfectū diem.* Quod cum mihi Regius ille Sapientiæ præco de omnibus iis dixisse videatur, qui posteaquam in hoc orbe tanquam sy-

Dictum hoc D. Benedicto applicatum.

dera quædam virtutum radiis fulserunt, cœlo tandem insiti Numina mortalibus apparent: tum inprimis de sanctissimo BENEDICTO, cujus vita lux quædam fuit splendens, & cum splendore procedens, & cum progressu crescens, donec clarissimo sanctitatis cujusdam die orbem universum illustraret. Nam quemadmodum Sol, temporum ille moderator, & universorum quasi syderum monarcha, cum ab Oriente per gradus veluti quosdam in meridiem contendit, nunc hanc, nunc istam: nunc aliam ulterius regionem diffusis radiis illustrat, lætarique paulatim omnia, & quodammodo ridere facit: ubi vero in Meridie, hoc est, in ipso cœli fastigio consistit, tum valles omnes ac montes in terra, vastissimum maris æquor, spatia aeris immensa fulgentissimo lumine suo sic replet ac perfundit, ut perfectissimus sit dies, ac deesse omnino nihil ipsi videatur: Ita, posteaquam exortus est in terris BENEDICTVS tanquam Sol quidam pulcherrimus, & jam iter virtutis ingressus paulatim sanctitatis suæ radios effudit, in multorum animis luce sua pietatem accendit, in omnium pectoribus admirationem ac stuporem concitavit: ubi vero perfectionis summæ fastigium attingens, cœlo quodammodo caput inseruit, tum orbem universum ita sanctitate sua permovit, ut omnis ætas, ordo, sexus virtutis Doctorem, sanctitatis Parentem, salutis authorem BENEDICTVM esse fateretur ac proclamaret. Quæ causa est, cur ego hodie non parum perturber ac doleam, quod tanto Heroi, tam vilis Præco; tanto Soli tam parua Aurora contingat; verear etiam, ne trepidantis eloquentiæ balbutie, & infirmissimis cum corporis, tum doctrinæ viribus profanasse potius, quam exornasse videar laudes ejus, per quam posteaquam veram virtutem Terra didicit, Cœlum è Terra Divos innumeros accepit. Quo magis equum est,

Similitudo.

Applicatio.

Causa dicendi.

est. Ornatissimi & Humanissimi AVDITORES, ut dum parum diserta pietas mea tantum dicendi periculum subita quasi dictione subire non temeraria, præsumit, sed rogata conatur, vestra facilitas promptam attentionem & paratum favorem apportet; ut, inquam, qui tot angustiis periculi præsentis, & invadentis circumquaque metus includor, ab humanitate vestra nequaquam excludat. Sentio enim quam arduum sit ac periculosum non de Maiestate aliqua, quæ vocem obmutescere cogat, sed de Divinitate quadam, quæ cum voce animum ipsum suo fulgore perstringat, dicere vel hiscere potius aliquid conari. Sed quoniam refici animum meum ac recreari vestro illo favore nonnihil persentisco, dabo operam, ut admirandi huius solis BENEDICTI ortum inprimis, deinde fulgentissimam in Meridie claritatem intueri possitis: nullum vero quæremus Occasum in eo, qui perpetuo fulgere, occidere nunquam potest.

Attentionis & benevolentiæ captatio.

Distributio orationis.

Confirmationis initium à solis fabula.

Solent Poetæ homines ingeniosissimi & facetissimi more suo de Sole fabulari, eum priusquam exoriatur, & illo suo flammante curru lucem ac diem in orbem inuehat, in Eoi maris undis latere; ibique vultum suum iubare præfulgido coruscantem lavare, radiantes capillos pectere ac discriminare, equos ore ac naribus diem spirantes, currumque totum etsi aurum abluere. Hoc ubi fecit,

Tunc oritur currusq; suos è gurgite tollit,
Flammiferumq; iubar terraq; poloq; reducit.

Fabula hæc D. Benedicto applicata.

Plane eodem modo Benedictus Sol noster priusquam radiantis virtutis eius emicante flamma mundus illustraretur, & illustratus inflammaretur, latuit in Nursia primum filius ipse Nursiæ Comitis Eutropii Probi, & Abundantiæ Riguardatæ, latuit deinde Romæ, ubi primos adolescentiæ crescentis annos primis litterarum discipli-

nis

tis informavit. Equidem lucem aliquam familiæ claritas ac splendor adferebat, sed quæ in morte occasum inveniret; pollicebatur honor authoritatem, divitiæ potentiam, otium voluptatem: sed in authoritate nulla posteritas erat, in potentia nulla æternitas, in voluptate nulla immortalitas. Quid egit ergo nobilissimus adolescens, qui exoriri mundo Sol aliquando debebat? Non ut ille Poetarum Sol vultum suum Oceani undis abluit, sed animum suum mundi irritamentis expedivit; non ut ille crines suos pexuit ac discriminavit, sed mentem suam innocentiæ velo obtexit; non ut ille flammiferum iubar, & ardentes circum caput radios assumpsit, sed animum totum divini amoris ardore flammaque redimivit, sicque tandem divitias paupertate, familiæ splendorem ignobilitate, voluptatum blandimenta severa quadam vivendi ratione permutans, mundoque valedicens sol exortus est BENEDICTVS. O fortunatus! ô auspicatus tanti Solis exortus! Sed priusquam in Orientem hunc Solem animorum oculos convertatis, AVDITORES, obtestor vos, recordamini parumper hic Moysis infantuli, cui cum in Pharaonis Ægyptiorum regis Aula mulier Ægyptiaca gestienti obsequio ubera præberet indignabundus subito puer oculis ac manibus est aversatus, nec ante lac sugere aut ullius adhærere voluit uberibus, quam Hebræi generis fœcunda mater adduceretur. Eundem cum aliquando Pharao Rex divina quadam forma præcellentem intra brachia sua gestare, atque eius capiti diadema suum imposuisset, generosissimus puer iniecta manu diadema detraxit, detractum abiecit, abiectum pedibus calcavit. Quid hic dicam, aut quid hic tandem cogitabo? Erat hic (credita mihi Auditores) erat hic BENEDICTVS, cui cum mundana voluptas non vera mater sinum suum blanditiis plenissimum aperiret, ubera sua deli-

Facti D. Benedicti adolescentis.

Distributio.

A Moysis infantuli facto

Aliud eiusdem.

Factum hoc Benedicti factum.

delitiarum lacte manantia praberet, in otio pul villos ac rosas supponeret, omnia fortissimus adolescens respuit, reiecit, repudiavit; Christoque tantum verissimo parenti adhærens pro lacte sanguinem, pro blanditiis miserias, pro puluillis ac rosis cruciatus & dolores elegit. Erat hic BENEDICTVS, cui cum non Pharao, sed mundus honorum omnium ornamenta offerret, fastum ac pompam præsentaret, maiorum fumosas imagines ostentaret, alta quadam mente præditus adolescens omnia non pede, sed animo calcavit. Non à familia, sed à virtute ducendam esse nobilitatem iudicabat; non ab honoribus officiorum, sed ab operibus virtutum mutuandum esse splendorem aiebat: imo nihil hic possidere se posse dicebat, nisi Deum, ac Deum solum possideret.

Benedictus mundi contemptor.

Agite nunc, erigite animos, convertite oculos, & exortum hunc solem, iamque ad cæli fastigium indefesso cursu contendentem intueamini. Videre vultis, imo excipere vultis animo radios illos virtutum, quos in omnem æternitatem immortali cum luce diffudit? Quam præclarus à bstinentiæ radius tunc effulsit, cum integro triennio profunda in spelunca delitescens pane tantum per funem sibi demisso victitavit? Quantum castitatis iubar resplenduit, cum ut titillantem Venerem cohiberet, carnemque domaret, in fodicantes sese spinas abiecit, corpus suum laceravit, terebravit, dilaniavit? Quanta lux dignitatis ac prudentiæ tunc apparuit, cum ad vicini cœnobii regimen est vocatus, sed recusavit; cum recusantem urserunt, sed invitum se ostendit; cum invitum impulerunt, sed invitus tandem accepit? Quantum, quam admirandum lumen modestiæ, humilitatis, temperantiæ, candoris, omnium denique virtutum sese terras in omnes effudit, cum semper ita vixit, ut vitæ norma quædam esset? ita conversatus est, ut exemplo permo-

Sol virtutum quantus

Gradatio.

Amplificatio.

moveret; ita docuit, ut doctrina sanctos efficeret; ita rexit, ut imperio hominum animos Deo pararet. Sed nimirum, vix est unquam serena aliqua hinc nube dies; surgunt semper nescio qui è terra vapores, qui ubi frigus aliquod nacti in nubeculam coaluerunt, obscurare fulgentissimum in cœlo Solem protinus contendunt. Et hic quoque Sol noster BENEDICTVS nubeculas est passus; sed an illum obscurarunt? imo vero ardentissimis ejus radiis dissolutæ perierunt. Nubeculam aliquam obiecerunt quodam tempore religiosi, cum sanctissimo viro venenum propinarunt. Quid deinde vero? efformato crucis signo suæ virtutis radium unum emisit, fractoque protinus vase fraudem omnem patefecit. Nubeculam aliam Florentius presbyter quidam obiecit, cum invalescentem in dies de sanctitate ejus opinionem non ferens infectum veneno panem BENEDICTO transmisit. Quid deinde vero? advolans ad nutum & imperium sanctissimi viri corvus panem abiecit, dolum detexit. Concitavit ille rursum non nubeculam, sed nubem, & in BENEDICTI conspectum meretriculas nudas, quæ lascivia sua libidinem provocarent, libidine viri sancti castitatem labefactarent, produxit. Sed ô sanctitatis vim admirandam! ô virtutis potentiam! Subduxit sese paululum Sol noster locum declinavit, ac statim ruina domus oppressus hostis ille sui odii atque invidiæ pœnas acerbissimas dedit. Nimirum nunquam obscurari Sol, nunquam opprimi virtus potest: congregentur nubes, dissipabit Sol illas, & purior nitebit: concitentur odia insanæque machinationes, evincet virtus illas, & potentior evadet. Vere, vere tu Sol eras & ardentissimus & fulgentissimus, ô BENEDICTE! tuarum precum ardorem vita functi non aliter, quam emortuæ plantæ ad vitam revocabantur: tuæ sanctitatis splendore

Nubes hunc Solem obscurantes.

Benedicto venenum propinatur.

Tentatio eiusdem.

Apostrophe ad D. Benedictum, eiusdemq; miracula.

dore tacti, qui in periculis erant, liberabantur. Tu Apollinis idolum in Cassino monte contrivisti; tu inde Dœmonum catervas, ut fidei alumnos in fide confirmares, fugavisti. Tibi aquæ obtemperabant, & tuorum supra fluctus vestigia sine periculo ferebant, te Dæmones perhorrescebant, & nutu tuo in imperio vehementissimo coacti, quæ volebas, restituebant. Tu hominum animos tua luce penetrabas, & secretas in iis cogitationes detegebas. Tu Tyrannorum efferatissimorum crudelissimam maiestatem tuæ sanctitatis coruscante jubare perterrebas, & hinc permotus aliquando tuæ dignitatis existimatione rex Totila tuos ad pedes sese in terram abjecit, ferocientem audaciam deposuit, hortantem & increpantem patienter audivit. Et quæ, obsecro, tantorum in te affectuum causa fuit, nisi illa divini amoris flamma, qua perpetuo ita ardebas & fulgebas, ut non tam homo, quam Deus quidam in terris esse videreris? Refert Plinius, lapidem esse quendam, quem Græci ἄνιςον appellant, qui ubi semel est in ignem conjectus, ita inflammatur, ut nullo amplius extinguit aut vento possit, aut aqua, adeo ut verissimè Poëta quidam de eo cecinerit:

Subjectio.

Plinii testimonium de lapide quodam.

Qui semel accensus susceptos detinet ignes,
Extinguiq; nequit.

Lapis hic Benedictus.

Talis erat Benedictus sol noster, quem ubi semel divina flamma corripuit, ita vi ejus exarsit, ut non tantum non extingui amplius valeret, sed omnia etiam diffusa luce collustraret, omnia circumquaque sparsis quibusdam amoris ignibus inflammaret. Quanquam, Ornatissimi AVDITORES, dum ab Oriente nondum oculorum aciem reduximus, jam in Meridiem, atque adeo in ipsum cœli fastigium BENEDICTVS Sol noster ascendit. Itane vero in Meridie intueri nos pos-
... se so-

se solem speramus? non caligarent hic oculi? non perstricta nimio fulgore acies hebesceret. Faciamus quod facere solent homines, qui ubi in meridie Solem intueri concupiscunt, aquam in peluim iniiciunt, & per aquam hebescente nequaquam acie Solem intuentur. Si radiantem in cæli fastigio Benedictum videre non possimus, coruscantem in terris, & in tot religiosissimorum hominum ordinibus splendicantem contemplemur? Imo tamen erigamus oculos, & quantum licet, oculis irretortis meridianam eius claritatem hauriamus. Bone Deus! Quanta lux per orbem universum ab hoc sole diffusa gentilitatis tenebras dissipavit, clarissimumque fidei Christianæ diem induxit Campaniam universam præsens ipse Bendictus suo lumine ad Christum adduxit? ubi è terris excessit, in terras tamen fulgentissimos radios suos toto ex ordine suo diffudit. Tunc Anglia per Gregorium Magnum, qui Augustini & sociorum eius opera est usus, ad Christi iugum accessit. Tunc Hispania per Leandrum Romanos leges accepit: tunc Germania per Bonifacium sese fidei nostræ submisit: tunc Belgium hoc nostrum per Amandum, per VVilibrordum, per alios sanctissimi huius Ordinis Religiosos viros Romanam Ecclesiam agnovit: tunc Polonia & Hungaria per Adalbertum; Suecia per Stephanum, Lituania per Brunonem, Gasconia per Albonem, Sclavonia per Bonifacium partæ Christo fuerunt, & Ecclesiæ adiunctæ Ecclesiæ imperium auxerunt. Quin imo ne quis esset orbis angulus, quem à Benedicto lux diffusa non illustrasset, primi in India Occidentali fidei nostræ præcones sanctissimi huius Ordinis duodecim viri, quos è Monteferrato Pontifex ablegarat, extiterunt. Ita universus propemodum orbis fidem suam Benedicto debet, & eidem salutem suam (audeo enim dicere) acceptam refert. Verumenim-

Amore hominum solis inspicientium.

Solis huius Benedicti efficacia.

Ab enumeratione omnium Gentium quæ ab hoc sole lumen acceperunt.

nimvero dum à tanti solis claritate, quam pati non possum, parumper oculos in terram deflecto, videre mihi videor prodeuntem in campos è spelunca sua Pantheram, tantamq; fragrantiam, tantumque odorem, tam suavem, tam gratum emittentem, ut feræ aliæ relictis antris suis & cavernis sequi illam cogantur. Ita enim fieri solet, AVDITORES; sed tamen credite potius vos intueri Benedictum nostrum: hic enim ubi mundo per sanctitatem suam Numen apparavit, tantum virtutum omnium suarum odorem exhalavit, ut ad Benedictum omnes convolarent & acclamarent: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Convolarunt ad Benedictum, & vitæ eius normam vivendo secuti sunt quatuor Impp. duodecim Imperatrices, quadraginta sex Reges, quinquaginta & una Reginæ, centum quadraginta sex Regii Cæsareique liberi; Ita iucundum illis erat diademata sceptraque repudiare, ut in umbra tutelari Benedicti latitantes respirarent. Ita Maiestas illis vilescebat, purpura gravis erat, sublimis illa fortuna displicebat, acerba voluptas, odiosus honor, ingratum otium erat, ut nihil nisi Benedictus placeret. Nunquid obstupescitis Auditores? Quid si dicam Principes, Duces, Marchiones: Comites ultra ducentos quadraginta tres ad Benedicti vexilla confluxisse, eius militiæ nomina dedisse, in sanctissimos eius leges ac instituta iuravisse? Quid, si enumerem duodecim celeberrimos religiosorum hominum Ordines sub sanctissimis Benedicti legibus in Ecclesia militare? militare dico? Addo etiam militares Ordines sub his legibus ad fidei propugnationem, in Hispania à Regibus esse institutos. Quid si proferam extitisse aliquando huius Ordinis cœnobia, virorum quidem triginta millia, virginum vero millia quindecim? Sentio quàm hæc à me gloriose dicantur ad sempiternam sanctissimi Bene-

Hypotyposis.

Quot Monarchæ hunc Benedictum secuti sint.

Amplificatio eiusdem.

Quot eiusdē Cœnobia.

Benedicti laudem, sed vere tamen dicuntur, nec cæteris Religiosorum hominum ordinibus suam diminuere aut labefactare gloriam contendo. Floretis vos florentissimi Prædicatores, maximum omnino Ecclesiæ subsidium & ornamentum: sed nescio an non huic soli Benedicto Dominicum vestrum debeatis, quem sterili parenti vobis sanctissimus ex hoc ordine Dominicus suis precibus impetravit. Floretis Religiosissimi Franciscani, & vestris laboribus Ecclesiæ sanctitas elucescit; sed nunquid Franciscus ille vester in Portiunculæ cœnobio Ordinis huius prima suæ conversionis fundamenta iecit? Floretis & vos celeberrimi Societatis IESV Patres; vestra enim doctrina ac pietate Ecclesia decoratur, hostes Hæretici profligantur, fines ad Antipodas usque protenduntur: sed tamen Benedicto acceptum referre vestrum Ignatium debetis, qui in cœnobio Montis Ferati spiritus primitias accepit. Quanquam quid hæc minora consector? Tu Roma, tu Ecclesia universa maximam tuæ gloriæ, & amplitudinis partem (da veniam veritati, audacter loquor) ab hoc sole Benedicto accepisti. Ille tibi suo ex ordine sanctissimo Pontifices maximos quadraginta sex concessit, Patriarchas quinquaginta duos, Cardinales ducentos, Archiepiscopos mille sexcentos, Episcoporum millia quatuor & sexcentos suppeditavit. Ille tibi Gregorium illum sanctitate doctrinaque magnum, Doctorum penè omnium Doctorem produxit. Ille per suos surgentes in te hæreses delevit, & Scriptorum pro te illustrium plusquam millia quindecim suo ex ordine concitavit. Ille per suos Bibliothecas, Scholas, Academias florere fecit, ut tu Ecclesia floreres. Neque enim quisquam ignorat in solis olim huius Ordinis Monasteriis Academias & Scholas tanta cum laude fructuque stetisse, ut intra cœnobii duntaxat unius parietes aliquan-

Comparatio huius cum S. Dominico.

Apostrophe ad Franciscanos.

Alia.

Alia ad Romam D. Benedicti in eã merita.

quando millia quatuor studiosorum erudirentur. Taceo tot in Ecclesia ritus, quibus ipsa decoratur, sed ex hoc ordine eorum inventores ac institutores accepit. Vereor, quomodo, quod dicturus sum sitis accepturi, dicam tamen, obligatum est Benedicto cælum, cuius ex ordine Sanctorum quinquaginta quinque millia & septingentos qui quidem omnes Divorum ordinibus adscripti ab Ecclesia coluntur, recepit. Ita non satis Benedicto fuit, mundum universum virtutum omnium diffusa luce collustravisse, nisi etiam suis è mundo fructibus cælum ipsum ditaret. Sed non est huius ingenii mei, non est virium harum infirmissimarum tantum solem laudibus prædicare; adorare possum, exornare non possum. Age igitur sanctissime BENEDICTE, suscipe præconium hoc leve nequaquam robusti Oratoris, qui tuis laudibus libenter imparem sese fatetur; rogat tamen & obtestatur, ut quoniam tot ac tanti radii tui cælum condecorant, ac terras omnes illustrant, tuæ lucis scintillam aliquam nostris in pectoribus ardere lucereque patiaris. Sentiamus tuum illum divini amoris fervorem, & Deo pleni incalescamus, experiamur virtutum omnium incrementū, & indies tuo inprimis auxilio, tuo deinde exemplo crescamus, ita rogo, ita te rogant omnes hi Auditores mei, & tibi gestientibus animis acclamant: *Benedictus qui venisti in nomine Domini.* DIXI.

Transitio.
D. Benedict. cælum sua luce illustravit.
Apostrophe ad D. Benedictum cum obsecratione



ORA-

ORATIO XIV.

DE LAUDIBUS

Eiusdem

D. BENEDICTI.

ECHONEM juvenili florentem ætate Nympham, cuius ea singularis modestia fuit, ut ovem, nisi interrogata. Nunquam ederet, quodam die vehementer excanduisse, & ruptis silentii frænis in verba prorupisse facetissimi ingeniosissimique Poëtæ comminiscuntur. Nam cum imperitus quidam pictor ejus effigiem coloribus suis adumbrare nimia artis suæ fiducia tentaret, impatiens ipsa & indoctæ manus temeritatem non ferens, itane, inquit, quod fieri nulla arte potest, tuo penicillo assecuturum te putas? exprimere si me cupis, pinge vocem, nihil aliud, quam vox sum. Non equidem hodie vereor, Ornatissimi AVDITORES, ne dum de D. Benedicti laudibus orationem aggredior, ipse mihi ab illo beatarum mentium domicilio quodamodo manus iniiciat, & famulantis eloquentiæ meæ vocem sistat, quod infantiæ balbutientis conatum excelsa illa Divorum dignitas nequaquam recuset; esse tamen sine aliquo timore non possum, ne quis conatum hunc nostrum temeritatem potius, quam pietatem interpretando acclamet, si Benedictum repræsentare nobis oratione contendis, sanctitatem ipsam repræsenta, nihil enim aliud, quam ipsa sanctitas, Divus fuit Benedictus. Sed me reficit ac recreat admiranda illa tam excellentis Herois animi submissio, qua, quemadmodum inter mortales esset, sui nominis prædicationem omnem contempsit, ita jam

Exordium ab Echonis fabula.

Fabula huius applicatio.

Causa ad dicendum incitans.

jam in illo quam in immortalitatis sinu nullum vel modestatis probæ, vel obsequentis pietatis elogium aspernatur. Audebo igitur aliquid, neque Apellem, quanquam nunquam satis laudatum artificem, sed Lysippum imitabor: ille fulminantem Alexandrum, hic hastam manu tenentem, quod illi propria esset, effinxit. Dabo Benedictum propriis laudibus clarum, non alienis: dabo humilem, dabo castum, dabo cæteris omnibus virtutum ornamentis illustrem, &, si per tenuitatem hanc nostram licet sanctitatem ipsam in ipso repræsentabo. Sublimioris equidem eloquentiæ vocem sacrum hoc Oratoris officium postularet, sed quoniam mihi cum illa vestra pietate agendum est, AVDITORES, curiosis auribus nihil hodie indulgendum esse existimabo. Vos quo singulari estis in Divum Benedictum amore de eo me dicentem benevole & patienter audite.

Imitatio Lysippi.

Attentionis captatio.

Quanquam, ô me infelicem! quem institui laudare, reperire non possum. Si in Eutropii Nursiæ Comitis parentis ejus Palatium me convertam, hic non est, & inde pene puer excessit, si Romam, quæ primorum ejus studiorum sedes fuit, abeam, hic non est, & doctrinæ virtutem anteponens evasit; si inter amicos, ubi tot illustres antiquissimæ ejus familiæ imagines gloriam promittebant, illum quæram, hic non est, & istis vanitatis humanæ retibus sese expedivit, si Principum aulas, illa sollicitæ ambitionis theatra, perscruter, hic non est, & verum, non fucatum, honorem ambiendo profugit; si in vicinas Italiæ regiones, aut si etiam in remotissimas discedam, hic non est, & Deum ac seipsum tantum noscere volens latere desideravit. Nimirum, bene qui latuit bene vixit. Effugerat fastuosam Parentum Aulam, deseruerat famosam Romanæ urbis Academiam, calcaverat animo voluptatum blandimen-

Confirmatio incipit ab exclamatione.

Contemptus domus paternæ Benedicti.

menta contempserat superba honorum insignia, in solitudinem spe plenus commigravit, & divino quodam ardore succensus in profundam sese speluncam demisit, ibique triennio delitescens solo pane, quem illi Romanus quidam Religiosus per funem suppeditabat, victitavit. Vnum illi antrum Aula erat, in qua familiæ claritatem obscuritate premens, regis Regum factus Aulicus serviebat. Vnum illi antrum Academia erat, in qua subtiles curiositatis humanæ nugas contemnens, Deum solum Theologus, virtutem solam Philosophus addiscebat. Vnum illi antrum theatrum erat, imo totus mundus erat, in quo non ab hominibus conspici, sed à Deo cognosci desiderabat. Effundebantur, (neque enim dubitari potest,) effundebantur in hoc spectaculum beatissimæ illæ Angelorum legiones, & in hunc unum generosum adolescentem cœlestis admirationis obtutum defigebant. Mirabantur humanam infirmitatem nullo pene alimento in eo corroborari, nec tam cibis illum, quam divinis contemplationibus nutriri? videbant illum assiduis precibus vacare, nec tamen defatigari; cernebant tantam in eo animi submissionem, ut cum virtute quotidie cresceret, quotidie tamen sibi amplius vilesceret; suspiciebant fortissimum illum animum, quo ad victoriam de seipso reportandam concitatus in tenerrimum corpus suum desæviebat; obstupescebant inusitatum illud pugnæ genus, quo, ut titillantem insidiose Venerem quam in præcordiis persentiscebat, superaret, in fodicantes sese spinas abiiciebat, totum sese lacerabat, totum dilaniabat, & sanguine suo purpuratus de carne sua triumphabat. In hoc spectaculo cum affectu perculsæ cœlestes illæ mentes vehementer commoverentur, tum ipsa Divina Majestas in tam animoso ministro suo recreabatur, & ut illi singularem suum amorem testaretur,

Angelorum ad eundem accursus.

Virtutes eius.

Factum eius contra tentationes.

copiosiorem ipsi quandoque annonam piissimorum quorundam virorum manibus suppeditabat. O te verè generosissimum Athletam! ô te dignissimum cœlo bellatorem! Itane ergo Sanctitatis arena est solitudo, miseriarum perpessiones rudimenta, flagellationes & pugnæ exercitia, humilitas fundamentum, abstinentia robur, castitas ornamentum & lumen? Profecto multum aberrant illi, qui per stratam rosis ac liliis viam, per amœnas voluptates semitas, per argenti & auri aceruos ad felicitatem pervenire contendunt. Magnus esse non potest, qui mollis est; felix esse non potest, cui voluptas arridet; sanctus esse non potest; cui opulentia, non paupertas, placet. Amas Aulas & Palatia? Iam in te vix spes est felicitatis. In purpura & fascibus libenter appares? nihil ultra expecta; redimitus sapientiæ humanæ lauro superbis? veram sapientiam ignoras: fumósarum seriem imaginum virtute carens obtrudis? vilis est & ignobilis: in Veneris osculis & amplexu voluptate satur requiescis? periisti. Istas omnes instituendæ vitæ rationes jam ab illa spelunca sua, tanquam è cathedra assidue jejunando, semper orando aut meditando, frequentissime corpus suum lacerando Benedictus condemnavit. Et vero quem obsecro ac quantum illum ubique fama deprædicabat? Moysem alterum, qui divinæ Maiestatis colloquiis in solitudine frueretur; Eliam alium, qui inter jejunii & abstinentiæ molestias cœlesti contemplatione pasceretur; Baptistam novum, qui in mediis eremi spatiis sanctimoniæ præcepta non tam docendo, quam vivendo traderet. Angelum quendam, qui vitæ puritate, & virtutum plusquam humanarum ornamentis mortales omnes superaret. Tanta vis est in omnem partem sanctitatis, ut cum omnia aspernetur, tum omnium admirationem excitet, & oculos in se convertat. Atque talis tantusq; cum

Conversio ad voluptuarios

Contraposita.

Benedicti sanctitatis fama.

esset,

esset, latere diutius non potuit, etsi latere semper optavisset. Fiebat ex orbe toto hominum concursus ad illum, quod illum vidisse cuiusdam esset felicitatis, & cum illum viderant, adhuc videre requirebant. Aliqui vocem unam duntaxat excipere ex ore eius optabant, quod quicquid loqueretur magnum esset ad virtutem documentum; nonnulli gravem illam totius oris ac corporis eius compositionem intueri desiderabant, quod ex ore eius amor emicaret, ex oculis mansuetudo scintillaret, ex pectore castitas appareret, ex toto corpore humilitas, patientia, modestia, cæteræ denique virtutes omnes elucerent. Quam ob causam multi illum speculum esse virtutis dicebant, alii sanctitatis arcam appellabant, omnes tanquam hominem è cælo missum observabant. Vitiorum gravissimus Censor erat, virtutum suavissimus instillator; summa severitate superstitionis antiquæ homines persequebatur, maxima charitate Christianos omnes complectebatur. Erant qui Christianæ perfectionis amore succensi, ut in eius disciplinam susciperentur quanta poterant contentione sollicitabant, hos amantissimè suscipiebat, & cælesti quodam studio sanctissimos efficiebat. Erant illustrissimi Nobiles, dico etiam Comites, Duces, Principes, qui eius sanctitatis fama permoti in solitudinem accurrebant, suos illi filios perillustrium germina familiarum, & futura Rerumpublicarum columina, ut sanctis moribus formarentur, commendabant, hos humanissime recipiebat, & ad vitæ sanctioris normam compositos, quædam virtutum miracula, restituebat. O quam pulchrum est, vitæ suæ rationes ad divinæ legis normam dirigere! O quam gloriosum est intaminatis virtutum radiis splendicare! Schola erat ubicunque Benedictus loquebatur; delubrum pietatis erat, ubicunq; morabatur; theatrum virtutis erat, ubi-

Concursus hominum ad illum.

Laudes eius.

Accursus Magnorum ad eius instructionem.

ubicunque conspiciebatur; speculum perfectionis erat, ubicunque considerabatur; paradysus voluptatis erat, ubicunque perambulabat. Hic ego vos ô sanctissimæ speluncæ, ô antra beatissima, quæ Benedicto sedem præbuistis, appello, an non, si loqui possetis, angelicam eius fuisse vitam proclamaretis? Et tu, ô sacra sylvarum solitudo quoties in illo tuo silentio ferventissimas eius preces audivisti? quoties manantes ab oculis eius lachrymarum imbres excepisti? quoties illum repetitis iterum & iterum osculis terram, communem omnium matrem delibantem aspexisti? quoties pene, pene avolante eius animo, cum dissolvi & esse cum Christo desideraret, expiravisse putasti? Sed iam nimis profecto diu tantus Heros delituit. Quod si expugnari non potuit à Græcis Troia, nisi in huius belli societatem Achilles, qui inglorius delitescebat, vocaretur, nec poterat tanta rerum prosperitate suarum gloriaque nascens tum in terris Ecclesia frui, nisi è sylvis suis in lucem Benedictus addisceretur. Prodiit igitur è sylva, & iam universa recreari Ecclesia videbatur; religiosas multis in locis domos exstruxit, & nullæ satis magnæ futuræ iudicabantur; administrationem cœnobii unius factus Archimandrita suscepit, & nemo pene erat, qui non vivere moriq; sub eius sanctissima disciplina desideraret. Obsecro vos, AVDITORES, qualem tandem in communi luce fuisse BENEDICTVM existimatis? In hoc gloriæ campo inanis superbiæ flatu multi animos extulissent, hic Benedictus sua humilitate sese involuebat; in hoc dignitatis fastigio tanquam in otio multi conquievissent hic Benedictus assiduis sese laboribus defatigabat; in hoc publicæ famæ theatro tanquam in optata laborum meta multi triumphavissent, hic Benedictus ad graviorem sese pugnam accingebat; in hac suscepti imperii potestate multi tan-

Apostrophe ad speluncas in quibus latuit.

Factus est Abbas.

Labores eiusdem in hoc officio.

tantum iura dicere voluissent, hic Benedictus parere servireque omnibus contendebat; rudes & imperitos quousque summa charitate erudiebat, ægros inter vitam mortemque periclitantes incredibili commiseratione iuvabat, raro loquebatur, nunquam oriabatur, hospites profusa quadam benevolentia excipiebat, paupertatem tanquam sororem, pauperes tanquam fratres suos amplectebatur, nullis iniuriis, nullaque invidia commovebatur. Et quemadmodum erat ardens quadam virtutum Pharus suis flammis late cuncta collustrans, ita tanquam immota constantiæ rupes sceleratas cum Dæmonis, tum perditorum quorundam machinationes intrepidus superabat. Venenum illi porrectum est aliquando, uno crucis signo vas oblatum perfregit: dono missus est imbutus veneno panis? non attigit, & dolum reiiciendo detexit: in eius conspectum mulierculæ quædam audacia impudentiaque singulari nudæ proruperunt? recessit, & tanti sceleris authorem unius ruina domus oppressit. Quæ omnia si nondum clarissimis indiciis sanctitatem eius manifestant, testem universam Naturam elementa, animantia rationis expertia, res anima carentes, homines, Dæmones, mortem ipsam appello. An non illi aqua obtemperavit, cum eius iussu Maurus monachus sicco per aquam pede decurrit? An non illi plantæ obsecundaverunt, cum emortuæ ad vitam per eum sunt revocatæ? An non eius sanctitatem aves agnoverunt, cum ad eius imperium, quoties evocabatur, cervus quidam advolabat? An non illi Dæmones paruerunt, cum Apollinis Idolo per eum apud montem Cassinum contrito, subversisque, in quibus habitabant, lucis aufugerunt? An non eius vi sanctitatis victus est Totila Rex, cum ad sanctissimi viri pedes prostratus, & coruscante virtutis eius iubare percussus ferocientem audaciam deposuit, increpantem

Venenum signo crucis tollit.

Testimonia sanctitatis eius.

 illum

Mors ei etiã obedivit. illum audivit, sua fata per illum intellexit? An non mors illi tum obedivit, & obediendo sanctitatem eius horruit, cum eius precibus coacta religiosum illum vitæ restituit, quem muri à Dæmonibus deiecti ruina penè totum in partes divisum oppresserat? Non possum, ingenuè fateor, non possum tantam divinæ huius sanctitatis vim aut oratione explicare, aut cogitatione complecti. Fateri omnes mecum debetis nihil

Apostrophe ad Religiosos aliud Divum Benedictum, quàm animatam in terris sanctitatem extitisse. Quæ causa est, cur merito vobis RELIGIOSI PATRES BENEDICTINI, universus Orbis de tanto Patre authoreque vestro gratuletur. Ille fuit, pro cuius sacra veste suscipienda tot Imperatores, Imperatrices, Reges, Principes purpuram in vilem

Ab enumeratione laus nimi. habitum, opulentiam in paupertatem, voluptatem in molestiam commutaverunt. Ille est, cui, si loqui hic universa Ecclesia posset, gratias ageret, quod ex eius sanctissimo Ordine quadraginta sex Pontifices Maximos habuerit, tot Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, quorum numerum pene innumerum non consector, acceperit, per tot Doctores & Apostolicos viros, qui sui temporis hæreses omnes profligarunt, de hostibus suis triumpharit. Ille est, qui tot soles in orbe fulgentissimos reliquit, quot extiterunt ex eius instituto viri sanctitate doctrinaque clarissimi, qui Angliæ, Hispaniæ, Belgio, Germaniæ, Poloniæ, Sueciæ, Hungariæ, sexcentis Provinciis aliis Christianæ Religionis lumen attulerunt, quæ profecto regiones omnes si sese commovere, ac vocem edere aliquam possent, salutem suam Divo Benedicto acceptam referrent. Quanquam nemo satis Divum ullum laudare potest, qui eius in æternitate triumphum non

Exclamatio. videt. O si ea felicitas nostra foret, ut ubi iam illum intueremur, ubi circumdatus immortali-

tate

tate cœlo lumen, terris Numen resplendet! Cur non animis saltem si corpore non possumus, illuc evolamus? Cur non nostræ nos ibi cogitationes jam sistunt? Videremus ibi quinquaginta quinque millia & septingentos ex ejus Ordine Divos qui hodie illi congratulantur. Videremus universos Ecclesiæ illius triumphantis Ordines pro Benedicto inter se concertantes. Apostoli propter incredibilem lucrandarum animarum zelum suum esse dicunt; Martyres propter patientiam & in adversis constantiam sibi illum asserunt; Confessores in sua subsellia jam illum receperunt, Virgines, quod lilium quoddam Virginitatis extiterit, vendicare sibi illum contendunt. Immo Prophetæ, quod in terris hominum fata prædixerit, Prophetam appellant; Patriarchæ, quod Gentis innumeræ ac sanctissimæ hodie in terra militantis Pater fuerit suo cætui illum adscribunt. Videremus Divum Dominicum illi applaudentem, quod Dominici cuiusdam ex ejus Ordine Religiosi precibus à Deo sit impetratus; Divum Franciscum ex animo gestientem, quod in Portiunculæ Cœnobio Benedictinorum prima conversionis suæ fundamenta jecerit; Divum Ignatium Societatis Iesu conditorem gratias agentem, quod in Cœnobio Montis ferati spiritus primitias acceperit. At vero cum ea tanta sit in Cœlis lætitia, nihil nos in terris agemus? BENEDICTE, cum tua jam fortuna nullius indigeat, ecce tibi tantum applaudimus; cum triumphes; ecce FELICITER, acclamamus, cum tua gloria comprehendi cogitatione, explicari oratione, non possit, te tantum imitari volentes, silemus. DIXI.

Applausio & triumphus D. Benedicti in cœlis.

Apostrophe ad D. Benedictum.

ORATIO XV.

In Laudem

D. THOMÆ AQUINATIS, DOCTORIS ANGELICI Ord. Prædicatorum.

Exordium à Phidia eiusq; elaborata statua desumptum.

PHIDIAS, ille Plinio nunquam satis laudatus artifex, & Diis melior, quam hominibus efficiendis, dum ad immortalem sui nominis gloriam victurum aliquod admirabilis industriæ suæ monumentum in hominum posterorum oculis, atque in hoc potentissimo universæ Naturæ theatro extare desideraret, concitatus hac immortalis gloriæ cupiditate tanto artificio, tantaque ingenii subtilitate ex ebore atque auro Minervæ statuam elaboravit, ut universa pulchritudinis adumbratæ lineamenta uno atq; eodem puncto terminarentur. Quid cum satis admiratione complecti, ore deprædicare rerum illa mirandarum procreatrix vetustas non posset, videretq; eo perfectionis illum ascendisse, quo cæteri adspirare non auderent, non tantum excellentissimum illum celeberrimumq;, sed artificem citra æmulum appellavit. Eodem plane modo, si mihi fas sit statuarium aliquem cum orbis Architecto, artificem cum Creatore, hominem cum Deo comparare, præpotens ille rerum omnium moderator Deus fecisse videtur, qui cum permultos vitæ innocentia sanctissimos, non paucos virtutis excellentia præstantissimos, plurimos doctrinæ fama celeberrimos diversa variarum ætatum tempestate tanquam Heroas quosdam & iure etiam Semideos in terris singulari prorsus favore constituisset, tum extare voluit aliquando in Ecclesia dilecta illa sua divinaque Re-

Phidiam hunc in D. Thoma producendo imitatus est Deus.

Republica Heroem illum, in quo tanquam in opere divinæ providentiæ perfectissimo, innocentiæ, virtutis, sapientiæ momenta omnia lineamentaque reperirentur ac terminarentur. Atque hic excellentissimus Heros Thomas est Aquinas Doctor Angelicus verum omnino religionis Delubrum, prudentiæ Domicilium, Sapientiæ Oraculum, Humilitatis Arx, Virginitatis Ara; uno verbo virtutum omnium Doctrinarumque Thesaurus. Quem cum ille cælestis Imperator ad communem hanc, quam respiramus, auram depuravit, non ex ebore vel auro, sed ex ipsa virtute sapientiaque ita conflavit, ut non Divus aliquis, sed Divorum miraculum, non Doctor, sed Doctorum omnium atque universi Magister mundum universum permoveret. Quæ causa est, cur cum ad hanc impositam mihi dicendi provinciam accedo, ut eloquentiæ famulantis obsequium Sanctissimo Doctorum omnium Principi consecrem ac præsentem, multiplex me pavor, & importuna trepidatio in ipso orationis limine deprehendat ac deterreat, ne tantum solem parva face adorem, tantum Oceanum imbelli rate pertentem, tantum miraculum impolitæ dictionis temeritate corrumpam. Quid enim aliud Thomas Aquinas in terris fuit, quam missa è cælo sapientia, quæ assumpto calamo tanquam penicillo in Ecclesiæ oculis divinam Maiestatem, Religionem Romanam, Doctrinam salutarem, clarissimis, pulcherrimisque coloribus adumbravit? quid aliud inquam, fuit, quam Salomon novus, Cæli discipulus, Dei ipsius auditor? quam Augustinus, quam Hieronymus, quam Ambrosius, quam Cyprianus, quam omnes illi antiqui Patres ac Doctores in hoc uno, quam hic unus in omnibus illis antiquis? Sed me reficit ac recreat vester ille nutus, Ornatissimi, Humanissimique AVDITORES, quo mihi satis indicatis non pos-

Definitionis conglobata.

Dicendi causa.

Laus D. Thomæ.

Ad auditores conversio

se non humanos oculos tantum ad solem calligare & pietatis cuiusdam esse in Divis exornandis eloquentiam potius submittere, quam industria commendanda facundiam ostentare. Quin & vos RELIGIOSISSIMI PATRES, non rogastis me tantum, sed impulistis etiam ad dicendum, cum imbecillis vocis officium admittere maluistis, quam pii silentii redemptionem in hac vestra THOMÆ festivitate probare, quem vobis orbis universus inviderer, nisi per vos orbis illum universus haberet. Audebo igitur aliquid, & ut possim, imitabor eos, qui magnas ingressi civitates sacras primum ædes & dicata Numini summo delubra visunt, tum ad Gymnasia, Fora & extenta porticibus suis ambulacra procedunt. Etenim in hac D. THOMÆ laudatione primum eius SANCTITATEM admirandam & priscis æquanda virtutum monumenta venerabor, tum gradum ad illa proferam, quæ in medio constituta sunt SAPIENTIÆ eius ad publicos usus immortalia signa, nec privatis parietibus, sed publicis Academiis, nec Academiis, sed orbe toto, nec orbe tantum, sed cœlo ipso concluduntur. Atque ut in SANCTITATIS eius delubrum intremus, & quæ oculis usurpare non possumus, animo virtutum monumenta complectamur quanquam estis in templo, fingite tamen Benevoli AVDITORES, vos in eo versari templo, in quo virtutum, omnium Sanctissimi THOMÆ insignia cernuntur. Et obsecro, si corpore animoque corruit passa deliquium, & admirationis stupore confusa Regina Saba, cum Venerandam Salomonis Regis in excelso throno Maiestatem, & ordinatissimam circumquaque familiam intueretur, quis in hoc admirando multiplicis eius SANCTITATIS delubro, in quo tot virtutum signa ad imitationem exposita, tot perfectionum tabulæ ad admirationem affixæ, tot laudum vexilla ad sempiternam

Apostrophe ad religiosos.

Totius Orationis distributio.

A minori ad maius.

glo-

gloriam pendentia conspiciuntur, non corpore concidat, non animo deficiat, non admiratione exanimetur? Sed eamus per singula, & singula animi oculis hauriamus. Ecce quam egregia inprimis mundi contemptus imago nostris oculis atque animis occurrit? Alexander ille, quem ad omnem virtutis gloriæque magnitudinem enixa Felicitas universi Dominum præparabat, cum aliquando ab Anaxarcho Philosopho non unum hunc tantum; sed plures, sed infinitos alios superesse mundos intellexisset, confusus animi dolore confestim ingemuit, & qui arma ad mundi terrorem manu vibrabat, oculis lachrymas pene ad desperationem effudit. Non ita, non ita, noster hic THOMAS, qui posteaquam, etsi puer, de immenso Monarchæ cœlestis imperio, deque Divorum nunquam finienda felicitate, tanquam de novo quodam orbe, disponentibus ita satis certior est factus, ingemuit equidem: non ut quicquam sibi optaret, sed quæreret: non ut cœlum, stellatam illam tot ignibus tam distinctis machinam contemplaretur, sed suâ generositate sublatus aliquando possideret; non ut abjectis in sinum brachiis Fortunæ favorem & Dei benignitatem expectaret, sed armis assumptis, & obtenta à seipso missione in expeditionem festinaret. Egregium sanctitatis futuræ rudimentum! En felix faustumque divinæ illius excellentiæ principium Erat Erat LANDVLPHI Comitis Aquinatis filius, ut non familiæ fumosis imaginibus, sed virtutis splendore fulgeret, factus est religiosus: erat dives, & in ipso quasi beatæ fortunæ palatio procreatus, ut à seipso opulentus esset, factus est pauper & egenus: erat illustris, & antiquæ familiæ stemmata poterat ostentare, ut aliquando illustrior esset in cœlo, & suis majoribus virtute prælucerет, factus est ignobilis & obscurus. Nimirum non ignorabat futurus

Factum Alexandri.

Contraposita

Origo D. Thomæ eiusque ingressus in religionem.

aliquando Doctor orbis triangulare cor hominis esse, mundum autem hunc rotundum, qui si cordi apponatur, vacuos angulos relinquet, nunquam implebit. Vnus est trinus ille DEVS, triangularis illa atque una TRINITAS, quæ ubi cor hominis atque animum subintrat, totum replet, repletum satiat, satiatum inflammat, inflammatum alit & in seipsum propemodum convertit, ut illi necesse sit exclamare: *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Hæc erant adolescentis THOMÆ suspiria, hæ cogitationes, hæ voces ut anhelanti animo ad Deum aspiraret, inflammata mente Deum cogitaret, affectu plenissima voce Deum loqueretur. Non jam mihi videre videor mulierem illam amictam Sole, quam illa cœlestis Aquila Ioannes agnovit, cujus sub pedibus Luna, in capite corona stellarum duodecim: sed mihi præsentem intueri videor adolescentem, & hunc THOMAM, non amictum sole, sed gratia cœlesti circumdatum: non stellis ardentibus redimitum, sed virtutum pulcherrimo diademate coronatum: non Lunam elato passu calcantem, sed honores, sed divitias, sed voluptates, atque adeo mundum ipsum ac totum, ut in B. Dominici leges ac instituta juraret, proque purpura Sanctissimi Prædicorum Ordinis vestem indueret. Quis vestrum non aliquando Pyramidem vidit sublimi culmine sed acuto in cœlum assurgentem, inferiori vero latissima parte terram prementem? Non ejusmodi cor hominis est, non ejusmodi cor erat sanctissimi THOMÆ, sed acutum ima parte, supera latum, ut vel nunquam, vel in puncto terrena tantum attingeret, maximo vero ac latissimo affectu virtutem, cœlum, Deum ambiret. Et profecto nunquam (audebo enim affirma-

Gradatio.

Suspiria D. Thomæ.

Descriptio D. Thomæ ornatus.

Pyramis qualis.

mare, quia vos ipsi cogitatis) nunquam THOMAS AQVINAS tantus vel in mundo vel in Cœlo fuisset, nisi mundum reliquisset, & extra mundum Cœlum ac Deum quæsivisset. Quanquam non his tantum immoremur & unius imaginis aspectu delectemur: en alia CONSTANTIÆ tabula pulchro, solido, victuro colore depicta. Subit mentem Coriolanus ille Romanus, qui, cum Romam patriam suam Volscorum exercitu cinxisset, & legatorum jam ad se missorum preces cum oblata per Pontificumque infulatorum religiones cum cæremoniis superbo atque immiti animo repudiavisset, ubi venientis Veturiæ Matris aspectum oculis, vocem auribus hausit, VICISTI, inquit, MVLIER, & abducto exercitu, fortissimus alias Imperator patriam liberam reliquit. O non ita generosus hic & Cœlestis Athleta! obsidebat ille cœlum, & in religiosissimorum Prædicatorum castris militans toto animo atque affectu cingebat, venit illustrissima mater ejus inprimis Theodora, suspirantia plenaque lachrymis desideria filio opposuit, sed cum ille constantiæ clypeo repelleret, nec in animum admitteret, VICISTI, inquit illa, FILI, sicque retrocessit. Venerunt generosissimi strenuissimique fratres ejus Landulphus & Arnoldus, insidias abeunti in Galliam struxerunt, captivum intra turrim concluserunt, duro & acerbo vultu minas evomuerunt, sacram vestem sacro corpori detraxerunt, & laceraverunt, contumeliis vexaverunt, at ille insidiis non territus, minis non mutatus, carcere non fractus, contumeliis major & excelsior tanquam quædam Marpesia cautes ventos, ictus, procellas, & fluctus, risit, contempsit, superavit. Venit tandem, quid? Voluptas oblata, Venus quædam intrusa, meretrix libidinis magistra, ut integerrimi adolescentis pudicitiam osculis & amplexibus expugnaret. Scenam ipsam consi-

Factum Coriolani in obsidione Romana.

Generosior hoc Duce D. Thom.

Spernit minas, & vexationes fratrum.

derate. Penetraverat petulans & procax mulier ad illum, oculi lenocinium, gestus illecebras, verba blanditiæ, totum corpus suavissimæ persuasionis machinam admovebat; & erat temporis oportunitas, solitudo loci, iucundissimæ voluptatis præsentia. Quid deinde? O generosum adolescentem! ô egregium virginitatis & pudicitiæ propugnatorem! nihil ad tot istas concussiones pectore vacillans, nihil ad istos meretricios ictus labans, immobilis, invictus, victor, accepto de cineribus foci semiustulato ligno meretriculam impudicitiæ mancipium abegit, fugavit, ejecit. Quænam obsecro vestros animos, AVDITORES, cogitatio pervadit? quis sensus est animorum vestrorum? An non videre vos putatis (nam hic est alia virtutis alterius imago) Davidem aliquem, qui non Goliath, sed Gygantem tamen formidandam Castitatis hostem, non funda, sed virginali audacia constantiaque prosternat? Prostravit sanctissimus Thomas, & dum manus meretrici titionem intentat, sua pudicitia sese minus involuit. An non obversari vestris oculis Sampsonem aliquem existimatis, qui non Asini maxilla Philistæum, sed meretricem fraudibus ac fallaciis potius, quam pigmentis ac fuco delibutam insigni pudicæ mentis ictu mactavit? O titionem victricibus hastis celebriorem, triumphalibus honoratiorem! Sed ô te, SANCTISSIME THOMA, ô te victorem posteritatis memoria prædicandum, æternitatis gloria condecorandum! quid isto tandem tam præclaro facinore ista tandem tam eximia propugnatæ Virginitatis victoria à DEO TER OPTIMO MAXIMO obtinere meruisti! Nimirum ut absoluto certamine partaque victoria, castitatis occulto cingulo manibus ipsis Angelorum succingereris, & hoc tibi esset fortitudinis argumentum, victoriæ merces, immortalitatis insigne,

Tentatio D. Thomæ à meretricula.

Fortitudinis exempla.

Apostrophe ad D. Thomam.

Pro-

procedamus, AVDITORES, ecce aliam nec procul hinc tabulam animadverto; quamnam vero? humilitatis, an paupertatis? Date vos illi nomen, rem universam proponam. Archiepiscopatus illius Neapolitani dignitatem honore maximam, vectigalibus amplissimam à Clemente Quarto Pontifice Romano sibi oblatam respuit humilitatis est. Privata vita & egestate religiosa contentus nullam unquam lautiorem splendidioremque fortunam appetiit; paupertatis est. Propter ingenii præstantissimi magnitudinem nunquam superbiit, propter generis clarissimi dignitatem ac nobilitatem nunquam aut animum, aut vultum erexit: humilitatis est & paupertatis. Quid dicam quod sollicitis precibus profusisque lachrymis titulum nomenque Doctoris semper recusavit, nec nisi iubente Deo, & suis morem gerendo Rectoribus suscepit? iterum est humilitatis, quam obedientia regebat. Quid dicam quod ab hospite quodam, sed religioso in itineris socium adscitus quanquam æger non erroris illum arguerit, non imprudentem admonuerit, non sese excusarit? quod, inquam, ab eodem per agros & per urbem Bononiensem, ubi notissimus erat ac celeberrimus, nimia quadam festinatione propemodum raptatus, non exulcerati signum animi, non querelæ vocem ediderit? humilitatis est, obedientiæ est, mansuetudinis est. Festinemus, & in unam adhuc tabulam, priusquam ex hoc templo SANCTITATI pedem efferamus, oculos, si placet, coniiciamus. Allicit illa animos multiplici colore, recreat oculos iucunda varietate. Videte purissimæ & innocentissimæ mentis colorem. Cum mulier quædam sanguinis fluxum immundissimum pateretur, uno atque solo Doctoris Angelici fimbriæ contactu est mundata. Spectate ferventissimum vehementissimumque cordis eius ardorem. Cum orationi

Transitio ad eius virtutes

Dignitates oblatas contempsit.

Humilitatis eiusdem actus.

D. Thomæ fimbria attacta sanat ægros.

contemplationique curis omnibus ab animo semotis vacaret, usque adeo pietatis quibusdam alis mens in Deum attollebatur, ut corpus etiam quasi ponderis & gravitatis expers in sublime raperetur. Nolo meminisse, etsi iam animo cernam, quod cum Angelis non raro, cum Divis aliis aliquando velut in privato mentis suæ sacrario sermonem colloquiumque suavissimum habuerit. Prætereo, quod cum ad sobriam frugalemque mensam corpus reficeret, ita mente in cælis versaretur, ut mensæ, ciborum, & adstantium omnium oblivisceretur. Sileo verecundam eius modestiam, piam taciturnitatem, iucundissimam comitatem & affabilitatem, charitatem in omnes ardentissimam, patientiam infractam & invictam, cæteras omnes denique virtutes, quibus ita condecoratus resplenduit, ut non minus esset Angelus vita, quam Angelicus doctrina. Illud dico, qui fuit rationis nostræ Pædagogus, Dei ac legum interpres, Sacrosanctæ Theologiæ Parens, universi Præceptor, veræ Sapientiæ Oraculum, idem virtutum omnium ad omnem æternitatem perfectissimum fuit exemplar. Sed tempus iam nos monet, ut ex hoc SANCTITATIS eius delubro excedentes cogitationem ad immortalia Sapientiæ eius monumenta cognoscenda properantibus, animis abducamus. Abeamus igitur, & uno tantum intuitu cursim omnia percurramus. Nescio quodnam tandem mens mea simulachrum intueatur. Videre videor in Helicone novem illas Deas, quas Musas, qui fabulantur, appellant, omnes lyris, cytharis, instrumentis aliis musicis instructas, medium autem inter illas Apollinem aurea cythara decorum, præsidentem, & universæ concentum Musicæ perficientem. Quid hic dicam? quid eloquar; Aberro, AVDITORES, non Apollinem in Helicone, sed THOMAM in Ecclesia; non illum inter Musas

Fervor in Deum.

Transitio

Definitiones conglobatæ.

A Musarū fabula.

ſas ſed hunc inter Doctores intueor. Hic illam Doctrinæ multiplicem varietatem, quam tanquã Muſicam pulcherrimam Antiqui illi Doctores ſuis calamis velut organis quibuſdam Spiritus ſancti afflatu repletis ediderunt addito ſuaviſſimo concentu perficit, dum ordinat diſponendo, explicat connectendo, componit docendo. Et nunquid etiam ex hoc noſtræ Religionis & Eccleſiæ Helicone fons quidam vocalis & ſacerrimus ebullit? Ille eſt ſanctiſſimi THOMÆ ſaliens in Eccleſiam univerſam Doctrina. Non ille fons, qui apud Garamantas teſte Solino noctu fervet, interdiu friget: ſed fons tamen, qui Hæreticos exurit, ambulantes in veritate refrigerat. Non ille fons apud Dodonam teſte Plinio prodigioſus, qui ardentes & immerſas in ſe faces extinguit, extinctas accendit: ſed fons tamen, qui accenſas hæreſum libidinumque faces extinguit, extinctas fideique lumine & virtutum flamma carentes incendit & illuminat. Non ille fons apud Faliſcos, cuius aqua potatâ candidos reddebat boves: ſed fons tamen, quem qui avido ſitientique pectore deguſtat & haurit, intellectum, voluntatem, animam ſuam candidiſſimam, formoſiſſimamque reddit. Quanquam quid fontem appello? Lux eſt Doctrina THOMÆ, ſed obſecro quænam Lux eſt? Non ignoratis, quod cum rudem indigeſtamque mundi molem orbis Architectus ordinaret, prima die lucem quandam per omnia diffuſam creavit, quarta vero Solem, illum mundi oculum, dierum parentem, temporum diſpenſatorem condiderit, à quo lucem Luna cæterique Planetæ ac ſtellæ mutuantur, per quem quicquid in terris vegetatur ac creſcit, animam haurit ac vivit. Prorſus eodem modo primis illis Eccleſiæ temporibus lucem quandam cæteri Patres ac Doctores in Eccleſiam atque orbem univerſum diffundebant, ſed informem, ſed obſcuram: tandem vero

D. Thomas Doctorum præfer.

D. Thomas fons irrigans Eccleſiam.

Subiectio.

A mundi creatione.

D. Thom. Doctorum lux.

vero exortus est THOMAS, verus Ecclesiæ Sol ac novus, cæterorum in se lucem contraxit, noctis obscuræ tenebras dispulit, diem clarissimum & serenissimum fulgentissimis sapientiæ suæ radiis effecit. Vidit hanc sapientiæ Angelicæ lucem rerum omnium molitor Deus: & ut bonam approbaret; *Bene*, inquit, *scripsisti de me Thoma*. Viderunt Pontifices Romani, Vicarii DEI, Ecclesiæ Reges, & hinc Innocentii V. vox illa, *nunquam qui Thomam tenuerit à tramite veritatis deuiasse, semper qui Thomam imaginauerit, de veritate suspectum fuisse*. Hinc Gregorius X. *Tot in Sanctissimo Thoma miracula reperiri protestatus est, quot articuli reperiuntur in illo*. Hinc Clemens VIII. *Angelicum divinæ voluntatis interpretem appellavit*. Hic ut amplius suum affectum tanquam Ecclesiæ caput ac rector aperiret, plurimum se suo ac totius Ecclesiæ Christianæ nomine D. Thomæ Angelico Doctori debere confessus est. Hinc Paulus ille Quintus, cuius hodie triplicem infulam purpuramque in Apostolica sede veneramur. *Splendidissimum Catholicæ fidei athletam appellat, cuius scriptorũ clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter eludat*. Viderunt hanc lucem Ecclesiæ CONCILIA, Lateranense, Lugdunense, Tridentinum: & quia è purissimo splendidissimoque sole emitti eam non ignorabant, cæteris omnibus antepofuerunt. Vidit, imo videt hanc lucem, ea fruitur universa quaqua versus in Orientem Occidentemq; solem Ecclesia propagatur, & quod olim Voluscanus Episcopus de Augustino dixit, Legi Dei deesse quicquid Augustinũ contigit ignorasse, hoc Ecclesia de sanctissimo Thoma, Theol. deesse, quicquid Thomã contigit ignorasse, Dicant, & attestentur

A testimoniis. *Testimonium Conciliorum.*

tur quotquot in orbe sunt universo Academiæ, an non hodie Gymnasia, Scholæ, Doctrinarum Domicilia, religiosorum virorum Cænobia, Synodi verba Thomæ tanquam oracula recitant, discunt, tradunt ac docent? O felix Colonia, quæ Doctorem tam eximium, tuum sub Alberto Magno discipulum vidisti, & erudivisti: felicior Parisiensis SORBONA! quæ non tantum doctrinam illi, sed Lauream etiam Doctoralem contulisti, & in eo Principem Theologorum coronasti. Imo felicissimæ illæ omnes Academiæ, quæ ab hoc oraculo responsa accipiunt, ab hoc Sole veritatis lucem hauriunt, ab hoc Doctore doctrinam omnem & sanctitatem emanare vident. Sed vestra prima est ac suma felicitas, RELIGIOSISSIMI PATRES quod inter vos atque in illo vestro sanctissimo ordine hic ingens sapientiæ Thesaurus formatus est & asservatus, quem profecto si unica hac oratione laudare satis possem; magnus omnino non esset. Non possum AVDITORES, & ut ingenue fatear, solius est Angeli Angelicum laudare Doctorem, hominum est imitari. Atque utinam per vitæ puritatem, hæc enim est sapientiæ principium; utinam per sapientiæ amorem, hæc enim est vitæ omnis ornamentum! Tu utrumque SANCTISSIME THOMA, concede, ut in re ac tuas virtutes ita oculos coniiciamus, ut animos apponamus; ut à te sancto puritatem, à te Doctore eximio sapientiam veram perdiscamus. Tui enim alumni, sapientiæ discipuli, tibi Philosopho veritatis, ingeniorum Phœnici, Theologiæ Principi, affectum consecramus & æternum acclamamus.

Alia testimonia Academiarum omnium.

Apostrophe ad loca in quibus floruit D. Thomas.

Optatio.

Invocatio.

DIXI.

ORA-

ORATIO XVI.
DE LAVDIBVS D. FRANCISCI.

Exordium à L. Æmilii facto.

LVCIVS ÆMILIVS, MAGNIFICE DOMINE, ILLVSTRISSIMI DOMINI AVDITORES ORNATISSIMI, cum olim Polybio teste beatam illam Elæi Iovis imaginem, quam Phidias nunquam satis laudatus artifex expresserat, vidisset, confestim diu attonito similis hæsit quasi ingenti stupore perculsus, ac tandem soluto animo in has voces erupit, Pape, solus Phidiæ Iupiter, Homerici Iovis maiestatem est complexus.

Applicatio.

Ego vero non minori hodie admiratione commotus iure tamen meliori ac maiori cum veritate, dum animo cogitationeque sanctissimum FRANCISCVM complector, & quasi intueor affirmare possum. Vere solus FRANCISCVS divinam quandam in terris maiestatem est complexus. Vere solus FRANCISCVS illustrem cælestium omnium virtutum effigiem in corpore mortalium oculis aspiciendam proposuit.

A rei præstantia.

Quid igitur? egone tanti Numinis Maiestatem in hoc gravissimo consessu vestro explicare me posse putem? Non puto. Egone tantæ virtutis dignitatem ullo Eloquentiæ etiam Tullianæ subsidio aperire, illustrare, commendare possem? Non possum. Neque enim satis magna sanctitas est, quæ vel ornari verborum floribus potest, vel affluentibus facundiæ opibus augeri; quæ magna vere est adorari potest, non explicari.

Dicendi causa.

Atque ea est beata Divorum omnium conditio, ut divino quodam animo plus Deo sanctitatis offerant ad felicitatem, quam hominibus ad dicendum relinquant dignitatis. Quæ causa est cur ego hodie susce-

Susceptum hunc de Beatissimo FRANCISCO sermonem non ad artificiosas disertissimorum Oratorum leges adornare velim, sed ad admirationem efferre, ut quanquam videri possim. Artis prævaricator, non sim tamen temerarius admirandæ sanctitatis laudator. Vos igitur quotquot hic summa cum benevolentia & attentione adestis ita animis & cogitationibus vestris ad mirantes beatissimum FRANCISCVM obiicite, ut intueri vos cælestem illum Heroem putetis, qui quantum homini in hac vita fas est, tantum ipse summa virtutum omnium excellentia, & admirabili inusitatæ probitatis specie ad divinæ Maiestatis Christique Servatoris similitudinem accessit. *Attentionis & benevolētia captatio.*

Id ego ostendere non tam dicendo, quam admirando conabor. Atque inprimis nescio quis arrogans & superbo animo plenissimus olim Mathematicus audacia potius quam confidentia sermonis asserere audebat, quod si figere extra terram pedē posset, omnem terram hinc atq; inde levi negotio commoveret. Facilis profecto iactantia, ubi experientia difficilis, ac plerumque audaciores hominum animi sunt, ubi omnino nihil possunt, quasi fidem confidentia, non rerum eventus apportaret. *Subiectio.*

Sed ita tamen evenit, atque ubi non pedem, (quid enim pedem attinet?) sed mentem, sed animum, sed affectum extra mundum (quid extra mundum:) sed in mundo extra rerum terrenarum desideria fixit FRANCISCVS, non illam terræ molem immensam (aberro, punctum dicere volebam) sed homines & expertes rationis animantes atque ipsa Naturæ elementa, adeoque Deum ipsum ita commovit, ut si ipse Deus in cælo non fuisset. FRANCISCVS in terris esse voluisset. Ne miremini, minus dixi, quam dicere volebam, ut inquam, cum Deus æterna illa maiestate in cælo resplenderet, esset tamen idem quodammodo in *Præstantia D. Francisci*

ter-

Atestimonio D. Brigittæ. terris FRANCISCVS. Testem hic sanctissimam Brigittam appello, quæ cum admirandæ cuiusdam sanctitatis prærogatiua ad divinum colloquium admissa, gratissimam de Francisco mentionem fecisset, ibi Christus, vere inquit, ô Brigitta, amicus ille mihi fuit, quasi ignitus, quasi igneus quidam lapis, quia in se me habuit, qui sum ignis. Ecce DEVM in se habuit ac possedit Franciscus; an non vero quodammodo Deus ipse Franciscus? Sed huius vitam quantum fas est, *Comparatio vitæ Francisci cum vita Christi.* cum illius divino in terris manere actionibusque sacratissimis conferamus. Maxima profecto divinæ Maiestatis ea benignitas ac misericordia fuit, coæternum sibi ac gloria infinita parem filium ex immensæ bonitatis suæ gremio ut hominum genus in libertatem ac salutem simul assereret, in has terras ablegare, atque illi vitæ auspicia in stabulo à nuditate, ab egestate, à solitudine, à contemptu, à patientia designare. Sed & idem præpotens ille Deus, cum sacram illam, quam in terris authoritate divina sanctissimisque legibus, Rempublicam constituerat, depravata morum disciplina collabentem, inque suum ruentem exitium animadverteret, ut eam erigeret, non tam in terris Divum Franciscum excitavit, quam è cælo numeris omnibus virum absolutissimum, & arcana quadam sancti Spiritus opera formatum demisit, ut cum hominum perditorum Redemptor Christus extitisset, redemptorum restaurator Franciscus extaret. Cogitate nunc quantæ fuerit dignitatis in tanti ad homines salvandos muneris societatem cum ipso Deo quodammodo venire, statuetis apud vos non tam illum hominem aliquem, quam cælestem quendam in terris heroem exstitisse. Atque *Franciscus mundi contemptor fuit* huius vitæ suæ (nolo incunabulorum eius hic recordari, nolo pueritiam excutere) an non auspicia à nuditate duxit, rerum omnium contemptu consecravit, patientia constantiaque

nunquam vincenda confirmavit? Nimirum, nunquam quisquam virtutis dignitate magnus esse potest, qui non in ea quæ prima apud homines sunt generoso affectu conculcavit. Nimirum Cœlestis Gloriæ purpuram nunquam is induet, qui fucatas illas vanitatis humanæ trabeas & prætextas non exuerit. Videre mihi videor, ac coram hic intueri hinc FRANCISCVM nunc inter pauperes & mendicos delitescentem, nunc leprosorum manibus ac pedibus oscula figentem: aliquando ægris humanitatis obsequia summa pietate præstantem, aliquando tenuioribus & egenis sacerdotibus facultates aliquas impertientem, nonnunquam aurum & argentum promptissimo animo manuque à se removentem & aspernantem: inde vero partem iracundia intumescentem, furore excandescentem, avaritiæ stimulis concitatum convitia nefandissima ore impudenti eructantem, ac nihil omnino minus quam se patrem, & illum suum esse filium (quanquam quid dico Patrem? quid dico filium?) nihil, inquam, minus, quam se hominem esse, cuius misereri deberet, cogitantem. Hinc verbis omni furore plenissimis pater detonabat, inde summa cum modestia filius tacebat: hinc animi & manuum impotens durissimis verberibus filium pater pertundebat; inde patris furorem animo gestiens, filius excipiebat: hinc pater verberando defatigatus in vincula carceremque filium pertrahebat, inde filius catenis onustus, quod aliquid propter iustitiam pateretur, exultabat. Et nunquid ea quoque fuerant Christi Salvatoris vitæ principia, nasci in miseriis, circumcidi doloribus gravissimis, iniquissima Herodis sententia ad mortem deposci, à sicariis crudelissimis ad mortis supplicium quæri, fugere, & exilio patriam commutare? Iis tanquam vestigiis quibusdam non leviter ad gloriam impres-

Hypotyposis.

Contraposita

Principia vitæ Christi.

pressis cum insistendum sibi esse statuisset, & esset etiam ad Antistitem suum è parente deductus, cum ut paternis omnibus facultatibus renuntiaret, tum iis quæ possidebat, se abdicaret, nihil cunctatus, habe, inquit, ô pater, tua, habe mea, habe etiam, si ita cupis, hanc vestem. Deus meus, & omnia, in quo, cum & tuis, & meis, & omnibus mundi bonis exutus fuero, satis amplas ac nunquam finituras opes inveniam. Et quoniam cum natura jam parentis animum exuisti, ne inane retine nomen, Deum hodie & patrem solum accipio, & securus appello. O vere animum cœlo dignissimum, & terris omnibus majorem! Hic ego vos obtestor, Auditores, quo tandem animo fuissetis? quid cogitassetis? quid dixissetis, cum inde patrem filii vestibus onustum abeuntem, hinc filium toto corpore pene nudum, aut certe vix bene palliolo, quod ei dederat Antistes, conjectum in nemora sylvasque properantem vidissetis? Nunquid animis perculsi ingemuissetis? Non equidem sane decuisset, cum ille terrenæ vitæ contemptus principium sit æternæ. Nunquid tamen retinere ac patri reconciliare filium studuissetis? Neque istud profecto convenisset, cum non satis æterna illa felicitate judicandus sit dignus, qui spem suam perituris tantum rebus affixit: dignissimus autem ille Deo discipulus fit, qui ut Dei solius esse possit, opibus omnibus valedicit, & Naturam exsuperando parentes suos derelinquit. Atque hoc primo sanctitatis excellentissimæ gradu tanquam saltu quodam posteaquam FRANCISCVS hominum consortia commerciaque deseruit; id egit potissimum, ut ad cuius imitationem componere vitam suam statuerat, illius actiones omnes ac virtutes suis moribus exprimeret. Si oculos sursum in pulcherrimam illam ac tot syderibus distinctam cœlorum machinam erigeret, angebatur ani-

Prosopopœia (margin) · *Subiectio.* (margin) · *Distributio.* (margin) · *S. Franciscus imitator Christi.* (margin)

animo & ibi esse desiderabat, ubi cum Deo omnia esse non ignorabat. Si in terram quandoque oculos deiiceret, ingemiscenti similis homines aliquid in ea se dignum arbitrari, suasque in ejus bonis spes omnes collocare, dolebat. Quoniam tamen vivendum esset in ea, hunc exilii locum, virtutis scholam esse volebat, ut in hoc terræ theatro tanquam in publico quodam spectaculo corde, ore, opere homines, quantum quidem fas est, Deum suum repræsentarent. Et vero quid est tandem, quod imitari homines in Deo possunt, & non illud summa eum excellentia in hominum oculis FRANCISCVS expressit? Sciebat benignissimum illum mundi Servatorem humiliasse semetipsum & factum obedientem esse usque ad mortem; nihil erat FRANCISCO humilius. Didicerat mitissimum fuisse: nihil erat FRANCISCO mitius aut mansuetius. Non ignorabat perpetuam illum hic in terris paupertatem coluisse; nihil erat vera paupertate FRANCISCO amabilius. Audiverat ardentissima eum charitate homines omnes complexum fuisse, & ipse cum amore divino arderet, tum hominum salutem ardentissime deperibat. Non eum latebat quot & quanta hic in terris ille perpessus fuisset, atque ideo laboribus delectabatur, doloribus reficiebatur, molestiis gravissimis ac durissima vitæ asperitate crescebat. Ita nihil in Deo erat, quod in se, si posset, nollet FRANCISCVS, ut & in Deo FRANCISCVM esse judicares, & in FRANCISCO Deum ipsum cognosceres. Atque inprimis tantus divinæ humilitatis æmulator extitit, ut cum esset ex omnium virtutum aggregatione conflatus, nihil se tamen esse proclamaret; cum esset innocentissimus, sceleratum se ac peccatorem nullo favore honoreque dignum reputaret. Tantum esse hominem unumquemque in se dicebat, quantus in oculis Divinæ Maiestatis judicare-

Amplificatio imitationis Christi.

Summa eius humilitas.

caretur. Plurimi sunt, qui nihil libentius, quam suarum laudum præconis vocem, ut olim Themistocles audiunt, hic ad suarum laudum prædicationem summo mœrore conficiebatur: multi titulis quibusdam & inanibus hominum favoribus extolluntur, hic opprobriis & conjectis in se conviciis exultabat. Non ignorabat quippe laudem esse, quæ in exitium homines impelleret, vituperium autem, quod ad vitæ emendationem adduceret. Ideoque convocata populi concione robore pudoreque excusso suos ipse defectus audientibus manifestabat, delicta sibi affingebat, se vel maximum peccatorem omnium accusabat. Neminem laudandum atebat, cujus incertus adhuc esset exitus: in humilitate positum esse animæ lucrum, nec aliam ad veræ dignitatis magnitudinem esse viam, quam per ipsam profundissimæ humilitatis submissionem. Quantum est, quod aliquando fune in collum injecto, seminudus, populo spectante, & stupente per urbis Assisii vicos tamdiu raptatus sit, donec ad eum lapidem pertractus esset, in quo fures aliique mortis acerbissimæ rei collocabantur? Ita equidem ipse volebat, sed est tantum profecto, ut excogitari major humilitas vix possit, reperiri non possit Summa humilitas summam peperit obedientiam. Quis præesse, quam subesse non malit? Dissimulandum non est, quod obscurari non potest, innata est gloriæ quædam cupiditas singulis & imperandi appetitus, quam qui in se extinguit, jam Naturam vicisse videtur. Ita tamen constitutus animo FRANCISCVS erat, ut non præcipere, sed parere, non jura dare, sed recipere desideraret, cumque ipse Ordini suo præesset, alium tamen sibi præfici imperareque volebat, ut uberrimos obedientiæ fructus obtemperando colligeret, Nec aliam ob causam institutum à se Ordinem Minorum Ordinem appellavit, quam ne ho-

Contraposita.

Laudis contemptus.

Factum ejusdem.

Prælaturas contempsit.

no-

norum ambitu, & dignitatum quadam excellentia cæteris esse maiores optarent. Iam vero tam submisso animo ac tanta obtemperandi virtute præditus, quid tandem in hoc orbe terrarum vel ambire studiosius, vel desiderare ardentius potuit? Vultis dicam? Nihil. Quid istud est tandem nihil? nihil auri? nihil argenti? nihil pretiosæ supellectilis? nihil possessionum humanarum? Nec istud tantum nihil. Quod igitur tandem est præter hoc rerum nostrarum nihil? Nihil rerum istarum appetitus, nihil desiderii, nihil ullius omnino voluntatis. Verbo eloquar & apertè, veram FRANCISCVS paupertatem amavit paupertatem ambivit, paupertatem amplexus est & fovit, ut cum in terra nihil habuisset, totum aliquando Cælum possideret. Hanc esse sui Ordinis fundamentum dicebat, hanc certissimam ad salutem viam appellabat, hanc thesaurum illum esse affirmabat, quem qui comparare sibi vellet, vendere omnia aspernarique deberet. Vis perfectus esse? Vade vende quæ habes, & da pauperibus. Oraculum est nunquam mentientis veritatis. Vis imitari Christum, imo vis æmulari? Filius hominis ubi caput suum reclinaret non invenit. Nunquam hominem ullæ divitiæ vere magnum fecere, semper autem extulit paupertas, quem depressit. Quod illa rerum humanarum cupiditas exposcit in terra est, quod paupertas in cælo est. Tantus erat paupertatis amor in pauperrimo FRANCISCO, ut stipem ostiatim colligere ipse mallet, quam oblata munera recipere tantus, inquam, ut paupertatem unicam Fratribus suis reliquerit hæreditatem, per quam ipsi nihil possidentes divitibus ipsis multo sane sunt opulentiores. Ex hoc amore tam ardenti paupertatis ardentior ille charitatis ignis effulsit, quo ita vir sanctissimus medullitus incendebatur, ut totus divini illius amoris flammis non absorberi tantum, sed con-

Subiectio.

Complexio.

Eius amor paupertatis.

Ab effectu.

Allegoria.

Repetitio. sumi videretur. Si quis cælestis illius amoris mentionem excitaret, commotis ipse visceribus excitabatur: si quis sacratissimum Dei nomen proferret, inflammabatur? si quis de acerbissima salutiferaque Christi morte loqueretur, quasi animi deliquium passus ita animo afficiebatur, ut præ amoris nimia suavitate colliquescere videretur. *Amor in Deum.* Quæcunque in hoc ambitu rerum universarum condita sunt à Deo, ea sibi omnia tanquam quædam amoris specula proponebat, ut cum in illis pulchritudinem aliquam & elegantiam intueretur, ad sui Conditoris pulchritudinis amorem novo amore raperetur. Quæcunque divinæ bonitatis notam aliquam præ se ferunt, ea sibi tanquam gradus quosdam ad divinum amorem erigebat; adeo ut hæc universa naturæ machina una tantum esset FRANCISCO schola, per quam continuo ad Deum ascendebat, continuo ad illum possidendum anhelabat. *Amplificatio eiusdem.* Audebo dicere, sæpius in Christo FRANCISCI anima divinis absorpta flammis erat, quam in Francisco, quo fiebat, ut quoties sacra synaxi reficeretur, toties non suus, sed spiritu ebrius, ac divino quodam furore plenus crederetur, *Traductio.* illa est divina charitas, quæ eum, ut aliorum martyrum laureas ac triumphos æmularetur, impellebat. Illa est, quæ tantum alienæ salutis in eo cupiditatem excitabat, ut imitari se Christum non posse putaret, nisi quas ille redemisset animas, foveret. Illa est, quæ tantam in eo rerum omnium terrenarum oblivionem inducebat, ut in rerum Divinarum contemplationem abreptus, nec loci, in quo iacebat, nec temporis, quo vivebat, aliqua saltem ratione meminisset. Longum esset cæteras in eo virtutes non dico recensere, sed admirari. *Transitio* Pietatem illam incredibilem, per quam cum protensis in crucis formam brachiis oraret, aliquando toto corpore sursum à terra abripiebatur, & nubecula qua-

quadam, sed splendidissima cingebatur. Misericordiam illam, quam cum in imis præcordiis foveret, in leprosorum domos sese ingerebat, eorum pedes lavabat, vlcera ligabat, putredinem ac saniem abstergebat, osculabatur, amplexabatur. Mansuetudinem illam, qua ita præditus erat, ut irasci nemini posset, humanissimus vero erga omnes appareret. Castitatem illam, quam ita sollicitè intactam servavit, ut cum ei strui à Dæmonibus insidias sentiret, in multam se nivem conijceret, in eaque sese volutando pruritum carnis ardentis extingueret. Atque ut paucissimis omnia contraham, cum omnia dicere non possim, nihil aliud FRANCISCVS erat, quam virtus, nihil aliud virtus, quam FRANCISCVS. Iam illud à vobis inquiro AVDITORES; quantam tantæ virtutis dignitatem, quantam tanti Viri sanctitatem fuisse putatis? Ego sanè ita existimo, tantam in eo innocentiæ puritatem, ac tantum sanctissimæ vitæ decus extitisse, ut perfectissimam Christi Servatoris similitudinem mortalium omnium oculis exhibuerit. Testis hic non homines, sed bestias ipsas appello. Cum iter quodam tempore susciperet relictis pascuis oves accurrunt, Franciscum intentis in eum oculis motisque capitibus salutant; & cum uni inter alias ut divinis intenderet, laudibus imperasset, illa templum ingressa & flexis genibus ad altare abiecta quo poterat balatu, Dei laudes intonabat; imo etiam cum à sacerdote sacrum Christi corpus elevaretur, prona adorare videbatur. Aves ad eum invitatæ volabant, iussæ cantillabant, iussæ iterum, ne oranti molestæ essent, silebant. Ab illo separari Phasianus non poterat; illum falco quidam è somnis stata hora excitabat; ad eius imperantis vocem lupi rabiem ponebant, lepusculi accurrebant, tempestates sedabantur, ægritudines & morbi abcedebant. Et quemadmodum

Mansuetudo eius cæteræq; virtutes.

Subiectio.

A testimoniis bestiarũ.

Avium.

Christi imperium creatæ res omnes ita sequebantur, ut promptissime illi obsecundarent, ita Francisci nutum observabant, ut quo vellet, procederent, quod vellet exequerentur. Quantum est, obsecro, aquam in vinum commutavisse? commutavit FRANCISCVS. Quantum est domum, aliquam iam iam ruinam minitantem momento uno instaurare? solo crinium aliquorum suorum attactu instauravit. Franciscus. Quantum est candentis ferri vim ardentissimam suo corpore excipere, nec sentire? Excepit nec sensit FRANCISCVS. O vero incredibilis plusquam humanæ vim sanctitatis! Te etiam, ô Christe, hic testem appello, an deesse Francisco tuo poterat aliquid ad verissimæ laudem sanctitatis? Nihil, inquis. An ad perfectam tuæ vitæ hic in terris similitudinem? unum ais. Et quod unum obsecro? An ut etiam cruci suffixus vitam exhalaret? pro te paratus erat. Vt inquit, non moriendo, aut profecto summo amore moriendo mortis meæ vestigia suis in membris portaret. Quid? ergone non vitæ tantum tuæ, sed etiam mortis imitatores esse debemus? Ita sanè debemus Auditores, & hoc unum cum Francisco deesset, non defuit tamen Francisco. Nam cum eius oculis hominis cruci affixi species, (Seraphinum putatote.) Inter alas obversata fuisset, ubi disparuit, confestim dexterum latus quasi lancea transfixum rubraque cicatrice obductum, manus ac pedes confixi clavis apparuerunt. Stigmata erant, & erant vulnera, vulnera cruenta, vulnera sanguine quotidie stillantia, quo non raro vestis ipsa distillabat. Clavi erant, nec apparentes, sed veri, sed ferreis similes, sed duri, fortes, cuspidati: Quanquam dum iam simillimum Christo FRANCISCVM habemus, & plus hic admiratio, quam oratio potest, illud vobis cogitandum relinquo, quam sancta, quam omnibus virtutum orna-

Ab enumeratione miraculorum.

Apostrophe.

Stigmatum impressio in ipsius membra.

ornamentis exornata, quam ad summam Reipublicæ Christianæ utilitatem instituta sit ab eo illa familia, quæ sub ejus vexillis militans & legibus acquiescens ad ipsius vitæ perfectionem contendit, & pro Ecclesia nostra, proque singulorum salute conservanda, nullos omnino labores recusat. Huic ut nomina darent, aliquando duo Orientis Imperatores Ioannes & Xerxes diademata sua & purpuras abiecerunt, duodecim Reges sceptris suis se abdicaverunt, regii juvenes innumeri summorum honorum spem omnem depofuerunt, Duces plurimi ac Principes, quibus provinciæ singulæ tanquam gemmis quibusdam exornatæ fuerunt, voluptatibus suis & honoribus valedixerunt. Ex ea summi Pontifices quatuor extiterunt. Cardinales quadraginta tres claruerunt, Nihil dico de Archiepiscopis, nihil de Episcopis, quorum iniri numerus non potest: ac latere patior eos omnes, qui cum in Ordine sanctissimo viverent, lumina doctrinæ & sanctitatis erant; cum vivere desierunt, numina terrarum in cœlo resplenduerunt. Illud dico, debet FRANCISCO, debet FRANCISCI familiæ, vetus Orbis veteris fidei ac morum restaurationem: Novus fidem & religionem Christianam acceptam. Non ego vobis adulati contendo, Patres Religiosissimi, sed ita veritas, ut dicam, me cogit, non potuistis sanctiorem instituti vestri & Ordinis Authorem habere, nec vestro sanctius, dignius, utilius vitæ, genus invenire. Vivite ergo felices, & illi meo judicio futuri sunt felices, qui ita vivent. Felicitatem illam non invidit vobis, sed vobiscum amavit Potentissimus Hispaniarum Indiarumque Monarcha Philippus III. qui purpuram suam, paulo ante obitum, in Ordinis vestri vestem commutavit, in eaque respiravit & expiravit. Amavit illam serenissimus Archidux idemque Belgarum

Honor D. Francisci ob Ordinum fundationem.

Enumeratio eorum qui hunc Ordinem ingressi sunt.

Apostrophe.

Princeps Albertus Pius, qui nuper in Beatorum cœtum evolaturus vestra in veste cadaver suum conspici speliríque desideravit. Amat illam Potentissimus & Catholicissimus Philippus IV. Hispaniarum Rex, qui cum Carolo Principe fratre suo tertii Ordinis sanctissimi Francisci institutum gestienti animo suscepit; quasi non felix satis Rex futurus, nisi prius Patriarchæ Francisci cliens esset. Amat illam Serenissima ISABELLA CLARA EUGENIA, infans Hispaniarum, quæ hodie in Belgio nostro ita summa prudentia Rempublicam administrat, ut simul tamen tertium FRANCISCI Ordinem, cui nomen dedit, incredibili pietate colat. Cæteros hic non commemoro. At de te FRANCISCE sanctissime, quid amplius dicam? Tua illa divina virtus, & admirabilis vitæ sanctitas omnem omnium Oratorum eloquentiam exhaurit, æternæ vero parest admirationi. Et ecce jam te omnes admiramur, admirantes veneramur, venerantes amamus, amantes immutamur, volumus, optamus, utinam; utinam! DIXI.

Apostrophe ad D. Franciscum.

ORATIO XVII.

DE LAUDIBUS SANCTORUM OMNIUM.

Exorditur à more Atheniensium.

LAUDATISSIMUS Atheniensium olim mos fuit, Reverendi Patres, Ornatissimi SODALES, quo receptum quotannis erat, ut Februario mense justa iis omnibus persolverentur, qui pro Republica in armis occubuissent, communemque patriæ libertatem sua morte asseruissent, atque in iis vir aliquis publica authoritate insignis doctrinaque clarus de eorum lau-

laudibus audiente universo populo orationem recitaret. Qua quidem consuetudine Athenienses id assequebantur, ut in eorum urbe nullus esset, qui animum ad virtutis studium non applicaret & vitam suam, qua nihil esse charius potest, pro Reipublicæ incolumitate gloriaque in gravissimum quodcunque discrimen non libenter offerret. Nimirum ea vis est speratæ gloriæ atque immortalitatis, ut cum sola eius cogitatio in animum benè natum vereque generosum incidit, consistere eum nequaquam patiatur, atque ita exstimulet, ut publicam utilitatem propriæ anteponat, proque otio laborem, pro voluptate molestiam, pro vitæ humanæ commodis summas rerum omnium difficultates sibi perferendas esse constituat. Quod cum ita sit, iure sane meritissimo cum in universa Ecclesia, tum in hoc sacro Sanctorum omnium Sodalitio à maioribus nostris institutum est, ut quotannis Calendis Novembris, quo tempore festivis ubique cantibus & solemni templorum apparatu Divorum omnium laudes celebrantur, eorum præconia publicæ gratulationis officio & faustis acclamationibus decantentur. Cuius quidem instituti ea ratio est, ut opinor, ut quemadmodum olim Themistocles conspectis in Atheniensi foro Milciadis trophæis nullam in animo quietem, nullum in oculis somnum admittebat, & gloriam eius apud posteros sempiternam æmulatus ad pares pro Republica labores suscipiendos inflammabatur, ita qui præclara Divorum iam in cælo triumphantium facinora, & exanthlatos pro assequenda immortalitate labores, atque illam, qua in optato Æternitatis ipsius sinu perfruuntur, gloriam audiunt, commotis generoso quodam amore mentibus ad eorum imitationem excitentur. Nam si conspecta in Herculis apud Gades templo Alexandri Magni effigie Iulius Cæsar ille

Præstantia gloriæ.

Huius moris applicatio.

A facto Themistoclis.

A causa & exemplo.

Imperatorum ut primus, ita victoriosissimus, temperare sibi à lacrymis non potuit, quod ea ætate qua Alexander universum propemodum orbem, subiugarat, nihil dum ipse posteritatis memoria laudeq; dignum peregerat, ac protinus missionem à se obtinens ea perfecit, quæ nulla unquam ætas satis est admirata, quis est, qui si vel animo tantum non Dico Divorum effigies, sed erecta ab iis in his mortalitatis nostræ campis æternæ laudis trophea, comprehendat, non ilico vehementi perturbatus affectu ingemiscat, & expedito de repente animo contemprisque humanæ vitæ periculis ad eorum immortalem gloriam anhelet? Ego illam iam de vobis opinionem concipio Ornatissimi SODALES, nullius gratiorem vobis esse posse, quam eius, qui Divorum omnium, in quorum amorem ac vitæ studium iurauistis, laudes ad animorum vestrorum inflammationem repræsentet; quod etsi præstari à me pro dignitate non possit, tamen in tam honesto aleæ iactu contendere imbecillitatem meam & verecundiam cum temeritate permittam, & aliquid audebo. Vos, ô Divi, fulgentes cælo faces additæ, quorum splendoribus perculsa sydera per tenebras & umbras incedunt. Vos, ô sanctissimi Heroes, quorum divina virtute inferorum Imperatores profligati sunt, & proposito ad posteritatem exemplo gentes ac nationes omnes in celeberrimo virtutum omnium stadio ad veram gloriam & ostensum Æternitatis bravium decurrunt, permittite, ut Sodalibus & Cultoribus vestris certissimam quam ad beatissimæ vitæ triumphum, tenuistis, semitam, & impressa præclarissimarum virtutum ad sempiternam sæculorum omnium memoriam vestigia protensis velut digitis ostendam. Etenim cum obstinata quadam hilaritate iam animus ad cultum vestrum assurgat, tum parum esse vos honore prosequi existimamus, si non imitemur.

A minori ad maius.

Propositio cum benevolentia captatione.

Apostrophe ad omnes Cælites.

Vi-

Videre jam mihi videor, non in illo beatarum mentium domicilio, sed hic in terris candidatos divos omnes profunda cogitatione defixos, & salutari consilio, quæ certissima sit salutis via, perquirentes, ac de instituendæ vitæ ratione, de salutis summa de æternitate consultantes. Non ii placent inprimis, qui inexhausta quadam aviditate felicitatem in opulentia ponunt, quod, ut Gentium Doctor affirmat; *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli*, &, Satyrico teste, ejusmodi homines sint, curuæ in terris animæ, & cœlestium inanes. Displicet eorum deinde opinio, qui sub purpura & fastuosis sublimium dignitatum insignibus delitescere Beatos arbitrantur, quod nullus sit tam excelsus in terris honor, qui hominem non consumat, *quoniam*, ut Propheta regius proclamat, *in imagine pertransit homo, sicut cera fluens à facie ignis*; atq; illi etiam, qui in his mundanorum honorum subselliis omnia aliquando fuerunt, ut Severus Imperator, quem per omnes dignitatum gradus fortuna extulit, nihil expedire judicaverunt. Neq; eorum auditur sententia, qui ut felices evadant, tanquam Sardanapali quidam in libidinum ac voluptatum pelagus sese demergunt, quod spurca & falax voluptas homine sit indigna, nec in eo felicitas esse possit, in quo fœditas est, infirmitas, pudenda calamitas. Immo quod *incrassatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo Salutari suo*, ut divinæ vocis præco attestatur. Vnicum in hac tam ardua deliberatione divini Oraculi responsum arridet. *Beati pauperes spiritu quorum ipsorum est regnum cœlorum*: & hunc ad immortalitatem primum esse gradum constituunt, nihil eorum, quę mundus admiratur, possidere, omnia, quę

Prosopopæia.

Contemptus divitiarum.

Dignitates spernuntur.

Ab exemplo.

Allegoria.

Voluptatis incommoda.

Paupertatis studium.

apud homines in pretio & delitiis sunt aspernati. Quod nimirum cœlum ac terram simul intueri nemo possit, atque ii ad cœlestem gloriam adiicere animum non videantur, qui honorem, qui opulentiam, qui voluptatem in terris sollicitâ mente perquirunt. Abeunt igitur, & tanquam gratissimo Senatusconsulto confirmati, omnibus sese exuunt, mundo valedicunt, ac tum prius ad cœlum contendere se putant, si nihil in mundo possideant, ut Guilielmus Burgundiæ Dux crebro usurpare sermone solebat. Omnium una vox est, quæ sanctissimi Ignatii Societatis IESV conditoris fuit, *O quam sordet mihi terra, cum cœlum aspicio!* Nonnulli positis imperiorum diadematibus & sceptris religiosæ vitæ instituta suscipiunt; quidam è mediis castris galea loricaque exuti in eremum & mutas solitudines discedunt; aliqui vix è pueris egressi plorantium, uberaq; ostendentium matrum lachrymas, amplexus, blanditias contemnunt; plurimi hæreditates opimas & partam à majoribus gloriam aspernantur; non pauci parata in Rerumpublicarum subselliis loca, & invidendos in Principum Aulis fasces ultro oblatos fastidiunt; cæteri, quorum in sinum auara fortuna nihil congessit, cum quod relinquant non habeant, omnium affectum deponunt, quod præclarum sit nihil appetere, singulare in egestate lætari, eximium pro Christo nihil desiderare. Et vero cum ita comparatum sit, ut nihil sine pretio obtineri ap[ud] homines possit, tum apud Deum illa æterna nunquamque peritura bona inopi duntaxat & misero tribuuntur. Addo etiam, unum nihil velle præter Deum, pretium esse salutis; & cum facultatibus abundare nequaquam sit inhonestum, tum sine paupertatis amore nemo esse felix potest. O prudentissima non humanarum, sed divina-

Mundi renunciatio.

narum mentium consilia! O felicissima commutatio, per quam pro caducis bonis æterna comparantur, pro terra cælum possidetur, pro vita angustis brevissimi temporis spatiis conclusa Æternitas obtinetur! Deserunt voluptates, sed *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ,* ô Deus! *& torrente voluptatis potabis eos.* Contemnunt divitias, sed *gloria & divitiæ in domo eius:* aspernantur honores, sed *nimis honorati sunt amici tui Deus*; respuunt aurum, sed *superna ipsa civitas aurum est mundum:* non admittuntur delectationes, sed *delectationes in dextera Dei usq; in finem:* nec pacem curant, nec securitatem, sed nimirum, inquit Deus, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis & in tabernaculis fiducia.* Enimvero dum illæ sanctissimæ animæ rebus omnibus terrenis expeditæ ita abeunt, & sua mundum habere jubent, insonat omnium auribus divina illa vox: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* ideoque alterum ad beatam immortalitatem gradum esse acceptam à primis pueritiæ incunabulis animi puritatem innocentiamque toto vitæ decursu illibatam conservare certo sibi persuadent. Nimirum placere Divinæ Majestati non potest, quod fœdis delictorum sordibus est inquinatum. Illa cor ab hominibus tantum petit, sed quod innocentia candidissimum sit, puritate mundissimum, charitate ardentissimum. Sane si qui olim apud Romanos aut Consulatum aut Præturam ambibant, comparere in candida veste, quæ recens erat à Fullone, debebant, an non æquum est, ut qui ad cœlestis imperii magistratus aspirant, candidam innocentiæ vestem apportent? Concitatus hac ambitione cœlesti aliquando David cum quæreret, *Quis ascendet in montem Domini, aut quis*

A testimonio.

Castitatis studium.

A more Romanorum.

stabit in loco sancto eius? responsum hoc accepit: *innocens manibus & mundo corde.* Innocentia est, quæ viam ad cœlum sternit, quæ immortalitatis candidato suffragatur, quæ securam inter timores vitam reddit, quæ sub carnificis manu non trepidat, quæ à vigiliis curas, & à somno pavores excludit quæ in solitudine nec anxia nec sollicita est, sed læta, quæ hominum oculos aut aures non vitat, quæ in publico, &, ut ita dicam, aperto ostio ita vivere hominem facit, ut nec janitoribus opus habeat, nec satellitibus. Amplius dico, quæ sola Divinæ Maiestati in hominum animis præparare sedem potest. In hujus studium ita Divi omnes aliquando cum inter mortales essent, curis omnibus & laboribus incubuerunt, ut solam innocentiam vitæ scopum sibi proposuisse viderentur. Cogitabant sine timore se natos esse, & sine timore mori volebant; unicam hæreditarii sceleris maculam in lucem attulisse, deposuisseque, & nullam è vivis excedendo secum auferre desiderabant, naturam nec perfidiam, nec luxuriam, nec cupiditatem, nec ullum aliud scelus dedisse, sibi etiam nullum inurere, ne naturam in se peruertissent, peroptabant. Optimum esse securius mori, quam nasci, judicabant Confugiebant in eremum, sed ut in eremo puritati studerent; vitabant hominum consortia, sed ut nullius consuetudine hominis fœdarentur; respuebant mundi blandimenta & voluptatum illecebras, sed ut animi munditiam conservarent; sæviebant pia quadam in corpus suum crudelitate, sed ut candidissimam innocentiæ vestem in eo retinerent. Quicquid cogitabant, quicquid optabant, quicquid loquebantur, quicquid moliebantur purum erat; nihil oderant, nisi quod fœdum esset; nihil timebant, nisi quod scelus. Atque cum tales essent non tam homines in terris; quam di-

Effectus innocentiæ.

Amplificatio eiusdem.

Causa.

Disiunctio.

vini quidam heroes apparebant, quorum consortium cælestes Spiritus magna aviditate expetebant, & eorum familiaritate ita ipsa Divina Maiestas delectabatur, ut libentius eum illis, quam in cælo esse videretur. O antra beatissima ô sanctissimæ speluncæ, quæ innocentissimis illis Heroibus hospitium aliquando præbuistis! ô fœlicia tecta; quæ fortissimos istos Athletas cælestis beatitudinis candidatos excepistis? utinam aut loqui possetis & transactam intra parietes vestros Divorum omnium vitam nobis enarretis, aut saltem in illo vestro silentio sanctissimos eorum labores nobis repræsentaretis! Quid volebant, obsecro vos, cum proni toties tot osculis iterum atque iterum repetitis terram magnam illam matrem suam delibabant? Quid cogitabant, cum flammantia illa cælorum astra contuentes tremulis singultibus anhelabant, fluentibus perpetim lachrymis madebant, pene avolantibus animis expirabant? Videbatis eos fere semper Divinæ Maiestati assurgentes laudando, sese illi submittentes adorando, cum ea frequenter loquentes orando, sæpe etiam familiariter cum eadem agentes contemplando. Tanquam in publico quodam theatro spectantibus Angelis, arbitro & iudice Deo, intuentibus hominibus omnibus versari sibi videbantur, & ut personas suas dignè agerent, nullius virtutis exitium omittebant. Ieiuniis sese macerabant, vigiliis conficiebant, flagellationibus dilaniabant, superbiam profunda submissione vincebant, cupiditatem paupertatis amore reprimebant, lasciviam abstinentia domabant; nunc toti divina charitate ardebant; nunc expediti sacro quodam zelo, lachrymis & votis aliorum salutem anhelabant; hic acriter vitia reprehendebant, ibi suaviter virtutes instillabant, semper in carnem severi, in mundum asperi, in dæmonem violenti. Vnum erat & sir-

Apostrophe ad locadeserta.

Repetitio.

Traductio & Sanctorum devotio.

Ab enumeratione partium.

Otii fuga.

firmum illis propositum nunquam otiari sine labore nihil agere sine virtute semper operari & semper mereri; semper pugnare & semper vincere. *Non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Et vero in hac tam gloriosa virtutum exercitatione, in qua non mediocriter quotidie proficiebant, hanc quoque divinam vocem audire sibi semper videbantur. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, atque idcirco tertiū ad felicitatis æternæ fruitionem gradum esse statuebant, pati cum Christo, nec iniurias ullas nec contumelias, nec dolores, nec cruciatus, nec ullum supplicii mortisvè genus detrectare. Nolite obsecro, expectare, ut celeberrima Divorum pro religione certamina, & magnificentissimam triumphorum, quos reportaverunt, gloriam hic deprædicem; nam præterquam, quod tanti argumenti magnitudine omnis oratio absorbeatur, tum perstrictus tot fulgentissimis inusitatæ gloriæ radiis animus hebescit. Vos ipsi vobis illos repræsentate: at ubi? ante Prætorum tribunalia, ubi unius criminis rei accusabantur, quod summum numen colerent, & omnium salutem desiderarent; interim gloriosissimi facinoris cor scientia erecti nec animo nec vultu mutabantur. Iam à tribunalibus ad amphitheatra publicamque lanienam perductos putatote vos intueri; hic cum ita lacerarentur, ut in eorum corporibus nullus amplius ferro locus esset, non deerat tamen illis, unde superarent. Si cruces, nervi, virgæ plumbatæ, mucrones ferrei pectines, ungulæ ostenderentur, pro ludo & delitiis reputabant; si belluæ feritate immanes producerentur, id unum dolebant, quod illæ celeritate mortis nimis cito sævitiam consumerent; si torcularibus premerentur, suum cruorem tanquam vinum

Tertius gradus ad calū.

Prætermissio

Hypotyposis.

Ad patiendum affectus

nium Deo Angelisque gratissimum exprimi fundique gaudebant, si exquisitis suppliciorum aliorum instrumentis torquerentur, tot ora ad decantandas Divinæ Maiestatis laudes sibi optabant, quot in corpore vulnera recipiebant. Illis enim erant vulnera margaritæ, galeæ candentes coronæ, stagna cuiusdam voluptatis balnea, prunæ ardentes, rosæ, & cum morerentur, properantem in victoria spiritum effundebant. Neque vero existimandum est ullum unquam alio, quam hoc dolorum & cruciatuum pretio sibi felicitatem comparavisse. Ita sacrosancta Dei parens, cujus menti nulla unquam labes adhæsit, animum suum doloris gladio penetrari sensit; Illi generosissimi Christi Legati & primi Ecclesiæ Antistites Apostoli tyrannorum gladiis & securibus cervices suas subiecerunt; illi gloriosissimi Martyres, quod pro Christo pœnarum victores, & efferatissimorum Regum moriendo triumphatores extiterint, nomen invenerunt, illi Sanctissimi Confessores per cilicia, jejunia, humi cubationes, vigilias, flagra, (cum illis tyrannorum crudelitas aut deesset, aut parceret,) ad cœlum contenderunt, & cum vitam in incredibili austeritate traducerent, prius sponte è vivis exiverunt, quam morerentur; illæ tenerrimæ sed animosissimæ Virgines virginitatis suæ lilium suo sanguine purpurarunt, aut inter difficillima certamina intactum servaverunt. Adeo nemo unquam propositam cœlestis imperii gloriam est assecutus, qui non invicto animo adversa toleravit. Toleraverunt Divi omnes, & nunc illis tot sunt sepulchra, quot in orbe terrarum regna; tot laudes quot hominum linguæ, tot triumphi, quot virtutum pompæ, tot trophæa, quot ubique religionis monumenta! Et nunc innumeris suppliciis perfuncti contritaque mortalitas tyrannide Deo perfunduntur, & radiatis fulgore capitibus

Amplificatio.

Per crucem omnes Sancti cœlum sibi compararunt.

Traductio.

bus in æterna beatæ immortalitatis Curia de mundi regibus aliquando judicaturi sedent. Quāquam quid ago? quid tanta tot verborum contentione Divorum labores repræsento? pateant illa mortuorum monumenta; immo prodeant ipsi ab illo Beatorum Domicilio, & in hunc suggestum immortalitate gloriaq; circumdati conscendant, suam ad cœlum viam nobis exponant, ita credo loquentur. Equidem jam supra mortalium conditionem positi de Deo & in Deo vivimus, sed nimirum divitiarum despicientia ad æternas opes nos perduxit, honorum contemptus ad gloriam nos euexit, terrenarum voluptatum despectus sempiterna delectatione nos implevit. Per laborem ad quietis portum appulimus; per de sævientes adversitatum procellas, & crudelium suppliciorum tolerantiam ad felicissimam immortalitatem pertigimus. Illa nostra in hominum diversorio vita, insipientibus stulta, opulentis egena, Principibus & dignitate aliqua sublimibus obscura videbatur, at nunc nostra paupertate nihil ditius, nostra obscuritate nihil fulgentius, nostris molestiis nihil jucundius, nostra miseria nihil beatius est. Errant errant illi, qui gradibus aliis ad cœlum contendunt, & mundana felicitate veram in æternitate felicitatem assecuturos se putant. Ita illi, & quoniam id unum opto, ut æternum Divi illi nobiscum loquantur, qui non tam laudum speciem, quam factorum præstantiam, nec tam faustas acclamationes, quam accuratam imitationem à nobis requirunt, eorum sermonibus nihil addo. DIXI.

Subiectio.

Prosopopœia.

A causa ad effectum.

Conversio ad mundanos.

ORA-

ORATIO XVIII.
DE PRETIOSA MARGARITA.
Matth. 13.

Exordium deductum à præstantia Regis Epirotarum.

CVm multa sint naturæ miracula, in quibus singularem industriam & admirabilem omnino solertiam homines obstupescunt, tum nihil est quod ulla unquam tempestate aut admirabilius novitate rei, aut excellẽtius dexteritate artificii sit visum, quam ille Pyrrhi Regis Epirotarum annulus, in cuius gemma seu achate novem Musæ cum Apolline cytharam tenente spectabantur, non arte, sed natura ipsa magistra, ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua insignia redderentur. Et vero si Divina illa Maiestas, cuius infinitam sapientiam natura, naturæ vim admirabilem ars hominum imitatur, singulari bonitate permisit, ut in quibusdam naturæ artisq; operibus obstupescenda quadam industria sagacitateque confertim cælestium rerum imaginem intueremur: opinor equidem, quod quemadmodum in vitrea illa Archimedis machina, in qua cælos omnes tarditate, celeritateque dissimillimos coniunxerat, Solis, Lunæ, syderum errantium motus illigaverat, diem ac noctem oriri fecerat, repræsentationem aliquam verorum cælorum habuit antiquitas, ita in hoc Pyrrhi Regis annulo beatitudinis æternæ simulachrum aliquod apparuisse non immerito dicemus. Etenim quid aliud est obsecro, universa hæc ac rotunda naturæ machina, quam cæli circulus terreno auro longè præstantior, ac nulla unquam iniuria corrumpendus, ambit, in quo æterna illa Sapientia incredibili artificio tot stel-

Comparatio.

Applicatio.

Denotatio huius universi.

stellarum ac sydetum, ignes, tanquam micantes gemmas insculpsit, illam Zodiaci lineam duodecim distinctam signis, per quam non aliter, quam per annularia quædam horologia, splendente sole momenta rerum & temporum discrimina, horas, hebdomadas, menses, annos cognoscimus, mirabiliter elaboravit, quid, inquam, est aliud quam quidam annulus? In huius vero fastigio, atq; in ipso cœlorum culmine nunquid est pretiosa illa gemma atque Margarita beatitudo cælestis, in qua non Apollo cytharam tenens, sed Deus æterna maiestate immensis, infinitus, omnipotens; non distinctæ suis insignibus novem Musæ, sed distincti pulchro ordine novem Angelorum chori pleni DEO, atque Deum æternis hymnis celebrantes conspiciuntur? Hæc est pretiosa illa MARGARITA, Honorandi Auditores, quam hodie vobis offerre præsentareque contendo, ut illam aureis purissimisque vestrorum animorum annulis includere aliquando, eaque perfrui desideretis. Invito vos, gustate & videte quam suavis est Dominus. Hæc est MARGARITA illa, quæ in abscondito thesauro latebat. Hæc est, quam tanta diligentia negotiator Evangelicus quærit, tanto pretio facultatum omnium divenditarum sibi comparat, ac emit. Hæc est, quæ manus absconditum victoribus promissum, atque aliquando post decursam huius vitæ militantis arenam concedendum includit. Hæc est, inquam, illa pretiosa Margarita, quam Deus illi coronæ affixit, quam beatissimis electorum suorum animabus sponsis suis in æternum præparavit.

Denotatio Margaritæ huius. *Propositio.* *Repetitio.*

Pulchritudo virtutis comparata cum Margarita.

Marcus Tullius pulchritudinem venustatemq; virtutis tantam esse dicebat, ut si oculis cerneretur, mirabiles sui in hominum animis amores excitaret. Sed ô si Margaritæ huius splendorem admirabilem oculis intueri, suavitatem incredibilem animis degustare possemus, quanto non a-

mo-

more sui desideria voluntatesque nostras inflammaret? quo nos totos nostri oblitos & res humanas pertæsos non abriperet? Ego (fatebor enim) tantam huius Margaritæ pulchritudinem adumbrare repræsentareque non possum, ad eam conquirendam emendamque tantum invitare vos possum.

Quomodo enim possem, cum vas illud electionis, Gentiumque Doctor Paulus, posteaquam in tertium cælum abreptus, per aliquam quasi rimam micantis huius Margaritæ splendorem in concha cæli conspexisset, iamque in terras è cælo reversus esset nihil aliud mortalibus nunciare potuerit, quam: nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit DEVS diligentibus se? Quomodo possem, cum Hercules ille Iudæorum David ubi aliqua tantum splendentis huius Margaritæ scintilla perculsus esset, duntaxat valuerit exclamare: QVAM MAGNA MVLTITVDO DVLCEDINIS TVÆ, QVAM ABSCONDISTI TIMENTIBVS TE? Quomodo possem, cum Doctorum ille Phœnix Thomas Aquinas posteaquam gloriæ cælestis Oceanum ingenii sui velis remigioque tentavisset, sistere cursum, iacere anchoram, atque in tutum silentii portum confugere, profiterique coactus fuerit, nihil unquam excellentius à Deo factum esse, aut ullo unquam tempore fieri posse, illa ipsa gloria, qua beati perfruuntur? Quomodo possem, cum fulgentissimum Ecclesiæ lumen Augustinus affirmet, pretiosam hanc cælestemque MARGARITAM fide non capi, spe non attingi, charitate non apprehendi, desideria & vota transgredi, acquiri tamen posse, æstimari non posse? O igitur pretiosa, ô admirabilis MARGARITA! cuius pulchritudo sermonem omnem atque omnem humanæ mentis sensum excedit! O quam gloriosa dicta sunt de re Civi-

Confirmatio eiusdem præstantia à testimonio.

Amplificatio eiusdem.

Hypotyposis. Civitas Dei ? ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te. Quanquam hærendum hic erit,& nō nos male fortunati, quid hic agemus? ſi aures erigamus atque oculos intendamus, nec oculus eam vidit, nec auris audivit: ſi ſperemus, ſpe non attingitur: ſi fidem oſtendamus, fide non capitur: ſi deſideria votaque in cælos emittamus, deſideria votaque tranſcendit: ſi pretium quæramus, æſtimari non poteſt: ſi minimum eius ſcintillam aliquam ſingulari benignitate Deo aliquando perſentiſcamus, hoc tantum hic reſtat, ut magnam eſſe dulcedinem eius exclamemus. Quid igitur agemus? quoniam oculos, aures, animos convertemus? bene eſt, hærendum hic non eſt ô Chriſtiani, ſi videri, ſi audiri, ſi apprehendi æſtimarique non poteſt, ſatis eſt, acquiri poteſt. Negotiamini, inquit Chriſtus, uſque dum venio. Simile eſt Regnum Cælorum homini negotiatori quærenti bonas Margaritas. Modum igitur videmus acquirendi, negotiando nimirum: paulisper ipſum perpendamus. Rerum omnium acquirendarum ſuperandarumque duo mihi inſtrumenta conſtituiſſe natura videtur, amorem & laborem: laborem amor excitat & intendit, amorem labor promovet victoremq; reddit. Vnde quicunq; Chriſtiani negotiatores eſſe volunt, & ad hanc acquirendæ illius Cæleſtis Magaritæ, quam eſſe beatitudinem ipſam in annulo cæli iam dixi, negotiationem accingere ſeſe cupiunt, opus eſt ut amorem inflammato animo, ut laborem excitata opera diligentiaque apportent. Vultis amoris exempla ut ametis? Videte Moyſis Hebræorum Ductoris in hanc MARGARITAM affectum: *Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi faciem tuam.* Ita ille per dies ſupplicabat. Audite ſponſæ deſiderium in Canticis, nam ad huius Margaritæ conſpectum anhelans &

Modus hanc Margaritā aſſequendi.

Amoris exempla.

iam

m ejus radiis aliquibus perculsa sæpenumero dicebat; *ostende mihi fasiem tuam, facies enim tua decora.* Nimirum in huius visione vitam, in hujus amissione mortem constituebat. Attendite ad suspiria Davidis, spe plenus inprimis votum edit, FACIEM TVAM DOMINE REQVIRAM: anhelat deinde & suspirat altius, QVANDO VENIAM ET APPAREBO ANTE FACIEM DEI? denique ardenti desiderio supplicat, OSTENDE FACIEM TVAM ET SALVI ERIMVS. SATIABOR CVM APPARVERIT GLORIA TVA. Ita videre hanc Margaritam supremæ est felicitatis, ab ea excludi extremæ calamitatis. Sed expecta David, quid properas, qui Rex es in terris? quid anhelas ad cœlum, cui vivere tam honorificum est & jucundum? HEV MIHI QVIA INCOLATVS MEVS PROLONGATVS EST, MVLTVM INCOLA FVIT ANIMA MEA! Non expectat amplius David, non patitur moram, & nimis est longum vita frui, ubi non datur hac Margarita perfrui. Repræsentate vobis Apostolum, imo animum ejus introspicite, anhelat, suspirat, gestit intueri Deum: hunc ambit, hunc exoptat, cum hoc exultare, regnareque contendit; nulla mors pallorem, nulla tormenta terrorem incutiunt, ultro, ultro clamat: *Cupio dissolui, & esse cum Christo; Nostra conversatio est in cœlis.* O amor! ô amor, & unde obsecro tantus amor? Nimirum quemadmodum tanta in Salomonis Regis vultu majestas ac splendor elucescebat, ut occulta quadam ratione hominum omnium oculos attraheret, adeoque quodammodo fascinaret, ut ex diversissimis mundi partibus plurimi Reges ad intuendum eum Ierosolymam accelerarent, ita tanta est divini vultus Maiestas, tantus pretiosæ huius Margaritæ splendor, ut Angelis stuporem iniiciat,

Exemplum Davidis.

Apostrophe.

Affectus D. Pauli.

Comparatio

Amplificatio.

San-

Sanctos in admirationem rapiat, homines occulto quodam amoris attactu ad se pertrahat: nec Principes tantum & Reges, sed ipsi Cherubini, Seraphini, Potestates & Throni in ejus conspectum exardescant. Est, est IN QUEM DESIDERANT ANGELI PROSPICERE. Et nondum nos amaremus? nondum in nobis cœlestis ardor flammas aliquas, quid dico flammas? nondum scintillas aliquas in nobis excitaret? nondum frigescunt, rigescuntque multi, & nescio qua mundana glacie congelatis animis cœlestem ignem non admittunt, aut admissum vanitatum aquis extinguunt: nec sine amore vivunt, sed vanitatibus & insaniis mundi suum amorem adscribunt. Vah filii hominum, usque quo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Audite non illepidam Historiam. Erant Regum externorum Legati Romæ, hos Augustus cum animadvertisset catellos melitæus brachiis tenere, stringere, delinire, dissuaviari etiam & osculari, subridens, audite, inquit, Legati, nunquid apud vos fœminæ liberos enituntur? Aculeatum omnino dictum, sed quo prudens Imperator docere voluit, affectum illum, quem parentes erga liberos habere debent, nequaquam ad bestias esse transferendum. O stultiores & vesaniores mundi amatores? Illum, illum affectum, quem DEO debent, quo res cœlestes amplecti deberent, mundi opibus addicunt, honoribus consecrant, vanitatum idolis amplectendis & dissuauiandis insumunt. Tanquam fascinati quidam Sampsones relictis tot filiabus in Israel pulcherrimis ac ditissimis, alienigenam, immo Philisthæam amant. Tanquam Israëlitæ vesani repudiato manna suavissimo ad Ægyptias ollas adspirant, atque alium, cæpas, herbas alias pani suavissimo, vanitates inquam & insanias mundi, pretiosissimæ MARGARITÆ antoponunt. Quam verum est Philo-

Allegoria.

Exemplum Augusti.

Invectio in contemptores huius margaritæ.

so-

sophorum axioma! sensibile supra sensum positum non facit sensationem? Mundum in oculis ferunt, & oculos in mundo, immo mundum in animis gerunt, & animos in mundo, adeoque fucatum ejus vultum, fœtidum ejus anhelitum, fraudulentum amorem non vident. Quod si vel ad punctum temporis cogitationes à mundo reducerent, ô quam cito fucus ille pateret, & detectæ vanitates displicerent! quam cito fœtor ille sensibus occlusis amoveretur! quam cito fraus aperta pœnitentes animos in hanc vocem appellaret, *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas*. Sed nec nos amplius in has vanitates & insanias falsas respiciamus, si amorem jam agnoscimus, ad laborem concitato cursu properemus. Tradunt qui arcanorum naturæ participes, ipsi quodammodo sunt à secretis, in mari conchas esse, quæ certo anni tempore ubi genitalis hora stimulaverit, luxuriante conceptu sitiunt rorem tanquam maritum, & cum lunares maximè liquuntur aspergines, oscitatione quadam sese pandunt & humorem hauriunt concupitum: sicque concipiunt gravidæque fiunt, atque earum partus sunt Margaritæ. Quod si purus ros influxerit, candicant orbiculi lapillorum; si turbidus, pallore languescunt, aut rufo innubilantur: itaque magis de cœlo, quam de mari partus habent, & quo amplius cœlestis roris hauserunt, eo majores existunt margaritæ. Si fulguret comprimunt sese conchæ, & vitia quædam contrahunt arbortiva scrupulosque tantum enituntur: si dies flagrantioribus radiis excanduerit, ne fuscentur solis calore margaritæ, subsidunt conchæ, & se profundo ingurgitant, ut ab æstu vindicentur: si piscantium insidias reformident, aut inter scopulos, aut inter marinos canes delitescunt. Cæterum dos om-

Optatio.

Transitio.

A partu concharum in mari.

nis earum est in candore, splendore, rotunditateque, reperiunturq; in Indico mari, Persico sinu, Taprobana insula, circa Arabiam etiam & Britanniam. Omnibus est à natura concessum vi quadam occulta sanguinem repurgare. Videtis vim naturæ ac miraculum. Nos in mundi hujus Oceano conchæ sumus, nostra autem margarita est in cœlis, quod si hanc concipere & aliquando etiam parturire velimus, dum nos stimulat salutis hora, oscitatione quadam animi, expansis nimirum animi desideriis, cœlestis gratiæ rorem sitire haurireque oportet, ut illo gravidæ tandem animæ divinam illam Margaritam enitantur. Multi sunt in quorum animos purissimus gratiæ cœlestis ros influit, & hi sunt, qui candicant coram Deo; plurimi sunt, qui turbidum illum recipiunt, & hi languescunt in via salutis, & rufo vanitatum humanarum innubilantur. Quo plus divinæ gratiæ fuerit in nobis, eo majorem aliquando MARGARITAM in cœlis parturiemus.

Applicatio huius ad homines.

Cœlestis gratia effecta.

Hic est ros ille cœlestis, qui vitam omnem repurgat. Hic est, qui inter scopulos adversitatum humanarum, atque in ipso fidei profundo, si mundus aut dæmon insidietur, custodiendus est. Hic est, cum flagrantiora carnis desideria exsurrexerint, nec illorum calore obfuscetur sedulo protegendus. Quanquam sic concipitur Margarita, sic invenitur, quomodo autem comparatur? *Abiit & vendidit omnia quæ habuit & emit eam.*

Pretium margaritæ huius.

Nimirum omnes opes ac facultates in hujus Margaritæ commutatione sunt impendendæ, omnia sunt relinquenda, omnia tradenda Deo, qui Margaritam hanc vendit. Adeo pretiosa est; ut nisi omnia dederunt, emere illam comparateque non possimus. Nihil Deus de pretio remittit, omnia petit, seipsum ac tua, & adhuc tamen vili pretio, pretiosissimam Margaritam alienat.

Apostrophe.

Quid est? te ne turbo Christiane? tanti emere non placet? relin-

linquere omnia non placet? recedis? abis? imo adsis, subsiste, verbum unum. Alexander Magnus cum multa de regni indici opulentia divitiisque intellexisset, tanto eius acquirendi desiderio exarsit, ut quicquid antea magno labore, summaque armorum difficultate paraverat, adeoque regnum ipsum paternum purpuratis suis distribueret. Hoc cum Hephestion amicorum intimus admiraretur. Regisque liberalitatem susciperet, ne sollicitus sis ô Hephestion, inquit Alexander, solæ enim Indorum opes universo Philippi patris imperio prævalent. Audis igitur Christiane? si totum orbem in hac commutatione tradideris, si teipsum & affectum illum tuum obtuleris, adhuc sola illa beatitudinis æternæ MARGARITA infinities prævalebit. Pro paucis illis facultatibus tuis cælum universum accipies, pro terrenis bonis cælestia, pro temporalibus æterna, pro transitoriis permanentia, pro teipso Deum ipsum possidebis. Ampliusne igitur offerre dareque placet? video commoveris; iam, iam conveniemus: affectum tantum aliquem retinere placet? Immo adde etiam illum. Nescis Helvetios aliquando audita Italiæ fertilitate iniectis flammis patriam suam universam delevisse, hocque sacramento se obstrinxisse ne redirent? Age ergo tolle illum affectum tuum, & divinæ charitatis flamma, quicquid restet, exure. Vnam hanc MARGARITAM possidendo universa possidebis. Satis est, bene est, annuis, manum porrigis; tua est MARGARITA. Tu vero, (nam hoc restat) ô sanctissima Anna, quoniam in te tanquam in mari concha illa, Virgo MARIA, producta est, ex qua pretiosa illa Margarita prodiit in mundum, tu nobis tuis precibus concham illam aperi, ut per eam frui aliquando Margarita illa pretiosissima possimus. DIXI.

Ab exemplo

Excitatio Christianorũ ad hanc margaritam.

Apostrophe ad D. Annã

ORATIO XIX. DE THESAVRO IN AGRO ABSCONDITO.

Matth. 13.

Exordium à dicto Salomonis.

MAgnum illud Sapientiæ Divinæ speculum gloriosissimum Israelitarum Monarcha & humanæ prudentiæ terminus Salomon, cum ad æquilibrium stateramque rationis, sapientiam & universas mundi divitias ponderavisset, de præstantia sententiam pronunciaturus, *Omnem*, inquit, *lapidem pretiosum & divitias nihil esse, duxi in comparatione illius, & omne aurum coram illo arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Verissimum profecto præclarissimumque decretum, imo vero sapientiæ ipsius divinæ oraculum, à quo quanquam permulti homines, quarum pronæ sunt in terram animæ & cælestium inanes, nescio qua tandem mundi dementia ad insanum cæcumque vanitatis humanæ iudicium provocent, & appellent, nunquam tamen irritabunt. Etenim si tanti iudicis sententiam liceat hic aliquousque propugnare, & illam dementis orbis vanitatem veritatis ipsius flagello discutere; quamobrem non divitias nihil esse duxisset, cum attestante Regio Propheta, nihil invenerint viri divitiarum in manibus suis? Per me licet, instruat aciem & ordinatum divitiarum suarum exercitum vir dives educat, cum in medium mors prorumpit, & feralem sonante tuba pugnam indicit; sint in procinctu primaque acie gemmæ quæcunque rarissimæ, purpura, pretiosa suppellex, peristromata, quicquid tandem ocu-

Inanitas divitiarum.

Enumeratio divitiarum.

oculis hominum humana vanitas obtrudit; constituant secundam aciem & in principiis consistant, fundi, villæ fundatæ in mari terraque domus, arces in excelsis rupibus, agri innumeri, & infinitæ quarumlibet rerum possessiones: claudant agmen, & triariorum fortissimorum stationem occupent argentum & aurum, illæque tam amabili metallo gravidæ cistæ, quibus incubet vir ipse dives: adsit in auxiliis lateraque stipent amici, & clientes, volitent in vexillis honores, inflent lituos & tympana pulsent quæsiti emptique rumores blanditiæ, adulationes: fortuna dux universorum totam aciem impellat, ac promoveat successu suo. Quid erit tandem, cum ingressa mors arenam lethale iaculum vibravit, & frustra reluctantibus desideriis animam evocabit? evolabit hæc omnia ordinata pompose acies ac tum prius nihil esse divitias suas vir divitiarum agnoscet, cum ab illis moriendo destituetur. Iam vero cur non aurum omne arenam exiguam appellavisset, cum ita graves ac ponderosæ sint mortales divitiæ, totque ab illis corda mortalium indurentur? Cor eius (inquit sapientiæ Iob exemplar) stringetur quasi lapis: Vt enim ille per solem ex aqua & pulvere concoquitur, ita hominum opulentorum animi per ardentia cupiditatis inexhaustæ desideria, per abundantiam, qui stipantur, indurescunt, callumque ducunt. Denique cur non tanquam lutum æstimari dixisset argentum, cum vere nihil aliud sine humanæ divitiæ, quam lutũ, quam sordes, quam fumi evanescentis fuligo? & tamen qui in hac insipientis sæculi mortalitate sapere velle videntur, tanquam Esau quidam lutea quadam lenticula primogenita sua vendunt & salutem à se suam alienant.

Inutilitas divitiarũ.

Comparatio.

Quod si igitur verissimo sapientiæ ipsius oraculo ac decreto nihil omnino sunt humanæ cupiditatis opes, nisi forsitan umbra quædam &

fumus; non ego hodie, qui thefaurum cœleftem inquiro, vos in fepulchrum gloriofiffimi Davidis inducam, in quo, Iofepho tefte, decies octies centena millia talentorum (magnus profectothefaurus) continebantur. Non Sancta Sanctorum aperiam, ubi totidem centena millia eodem tempore affervabantur; quæque attingere præter unum Craffum Romanorum omnium avariffimum, nemo unquam eft aufus; Non perluftrabo Regum Indiæ monumenta, in quibus auro veftita ac, ac coronis pretiofiffimis redimita Regum cadavera poft mortem etiam honorabantur: Non illum admirabilem admirabor triumphum, quem orbe fubiugato tertium duxit Pompeius Magnus, quo quidem nihil vnquam illuftrius, nihil pretiofius, nihil omnino ad omnem memoriam celebrius aut Roma, aut Orbis confpexit. Profecto non in iftis vanitatis umbraculis ac tentoriis, non fub iftis ambitionis alis, non iftum intra ridentis fortunæ finum cæleste regnum, cæleftis, inquam thefaurus reperitur. Abfconditus eft, & ubi tandem abfconditus eft? In agro, fed in agro, quem humana vanitas ignorat, humana fapientia vix credit. In laboribus, dico, in adverfitatibus & miferiis, in tribulationibus abfconditus eft hic thefaurus. Quis hic thefaurus? Interna illa dulcedo, felicitatis æternæ particula quædam, quam fub adverfitatum mole preffi, qui iufti funt, mediis in miferiis experiuntur ac prægustant; quaque olim inebriatus propemodum David, Quam magna inquiebat, multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abfcondifti timentibus te? Illa dulcedo, ac fpirituales electorum confolationes thefaurus hic funt; & ubi illum mens fibi hominum non poteft imaginari, ab inquirentibus reperitur. Salomon admirabilis ille Metaphyficus orbis, cum de tranfitu rubri maris agit, In

Propofitio.

Præteritio.

Locus thefauri huius.

Teftimoniū de hoc Davidis.

In mari, inquit, *rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio per quam omnis natio transivit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia, & monstra: tanquam, n. equi depaverunt escam, & tanquam agni exultaverunt magnificantes te Domine, qui liberasti illos.* Grande hic & arcanum omnino mysterium, quod ut evoluamus, constituamus transituros mare rubrum Hebræos in litore timidos, anxios, & deliberantes. Inde tribus Ruben, Isachar, Zabulon, Simeon, quoniam vicini erant cum armis Ægyptii, & jam in eorum perniciem irruebant; ut sese in mare omnes præcipitarent ac submergerent, suadebant. Hinc tribus Gad, Aser, Dan, Nepthalim faciendam esse deditionem urgebant, ac potius, quam extrema illa ac misera desperatione moriendum, iterum Ægyptiis serviendum. Inde rursum tribus Levi, Iudæ, Ioseph Beniamin rapienda arma, defensionem instaurandam, Deum adfuturũ acclamabant. O inopes consiliorũ mortales! O cæca atque inania mortalium consilia! & inter vos, ô Hebræi, nemo erat qui tentandas maris aquas suaderet? nemo erat, qui sub aquis pulchram aliquam ac facilem viam latere polliceretur? Cernebant mare rubrum & sanguinei propemodum coloris; inde timor; animis suis latitantia sub aquis monstra repræsentabant; inde novus servitutis amor; contemplabantur vastitatem & altitudinem aquarum; inde mortis desiderium & desperatio; non videbant Deum illum suum delitias sub aquis servare, & viam sine impedimento parare, non spectabant campum illic esse germinantem de profundo nimio, & tamen cum transiverunt quasi per amænissima prata, per flores suavissime redolentes, per arbores fructificantes transiverunt, quarũ etjam delicatissimos fructus comederunt; tanquam enim equi depaverunt escam. Quid deinde tanquã

Transitus Hebræorum per mare rubrum.

Vastitas maris à transitu deterret.

agni exultaverunt magnificantes te Domine, qui liberasti eos ; qui illis per viam tam arduam, tamque difficilem, tantas elargitus es consolationes. Agite nunc ô molles & delicatuli mundi
Apostrophe. nostri clientes, videtis ustulantes arenas ? fodicantes spinas ? torrentes salebrosos ? contrahitis humeros : videtis paupertatem, nuditatem, flagra cilicia, vigilias enecantes ? vultum avertitis. Vi-
Ab exemplo multorum Sanctorum. detis eremos, exilia, ardentes vultu tyrannos, carceres, equuleos, cruces, ferrum, ignes ? fugitis. Et tamen sub illis latet, & absconditus est coelestis ille thesaurus. Illum eminus intuebatur magnus ille Apostolicæ Curiæ Senator Andreas, cũ ad crucis supplicium contendens crucem diu desideratam, & jam animo concupiscenti præparatam salutaret. Illum invenerat ac jam possidebat generosus Athleta, tyrannorum domitor & contemptor Laurentius, cum ad prunas ardentes applicatus tanquam in rosis roribusque exultaret. Illum plenis animis amplexabantur gloriosi martyres Marcus & Marcellianus, cum ad stipitem alligati pedibusque durissimo clavo confixis nunquam se tam jucunde epulatos fuisse, quam cum hæc tormenta perferrent, testarentur. Et quis unquam existimavisset in cruce tam vili atque abiecta omnem Christi fortitudinem latere ? *Cornua in manibus eius*, inquit Abacuc Pro-
Comparatio. pheta, ibi *absconditu est fortitudo eius*. Quemadmodum enim cum Megarensibus oraculum respondisset, duraturum eorum imperium donec arbor peperisset, unde sempiternum illi futurum arbitrabantur ; quidam nescio quo casu miles ex arbore suspendit arma, quæ paulatim cum tenuis circum accrescens cortex involuisset, mirarentur
In cruce latet hic thesaurus. autem ac stuporem omnes ; ruperunt arborem ; & eversionis futuræ augurium repererunt. Prorsus ita in illa crucis debilitate vilitateque abscon-

dita erat fortitudo eius, quæ in cruce apparuit ac se contra mortem manifestavit. Nam

Mors mortua tunc est.

In ligno quando mortua vita fuit.

Verè verè DEVS pretiosissimos thesauros suos abscondit, sed quo pervenire credendo fides humana vix posset. Obsecro vos, AVDITORES, nunquid paradoxum est hoc Christi verbum: *Tollite iugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris?* Si iugum est, nunquid labor? Si labor, nunquid defatigatio? Quomodo ergo requies? nunquid etiam, qui cervicibus suis Christi iugum imposuerunt adversitates, martyria, mortes patiuntur? ubinam igitur requies animorum illorum? Quod si tamen penitus grande hoc arcanum DEI curiosa, sed non impia mente perscrutemur, reperiemus nihil aliud esse adversitates, quam delicias; martyria, quam victorias; mortem, quam vitam. Interrogate Ionam Prophetam, & acclamantem audietis: *Tolle Domine animam meam, melior est mihi mors, quam vita.* Interrogate gentium Doctorem, & hoc eius desiderium intelligetis: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Interrogate Deum ipsum, & hanc eius vocem ad Iosiam regem, qui lucos succiderat, & idola destruxerat audietis: *Flevisti coram me, & ego audivi; idcirco colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace.* O verò paradoxum & quis mortem inter summas fælicitates existimavisset? Boetii, quid homini fælicissimum in hac vita contingere posset, ab oraculo Delphico sciscitati fuerunt. Quid oraculum? mortem omnium esse rerum beatissimam, nec ullā præter hanc fælicitatem quærendam esse respondit. Agamedes & Trophonius architecti præstantissimi, cum

Gradatio.

Contrapos ita

Ateſtimonio

Mors beatitudo.

Ab exemplo Agamedis.

Delphicum Deo fanum construxissent, & iam operis mercedem ab ipso postularent, id nimirum quod in hac vita optimum hominibus esset, repentina ambo morte septimo post die corruerunt: atque hoc ipsum oraculum prænunciaret. Eodem prorsus modo cum Argiæ sacerdotis filii boum instar iugo suppositi matrem suam in templum vexissent, & illa dignam à diis mercedem postulavisset, subito matris in oculis diem suum obierunt. Dicam igitur cum Bernardo: *Quomodo non fictus labor ubi non labor, sed requies invenitur.* Quomodo non fictus fucatusque mundus, si sub mari rubro horti amœnissimi, sub cortice arboris armorum fortitudo, sub iugo requies? Bone Deus, videor enim tuæ liberalitatis ac munificentiæ vocem audire, quid est, quod Athletis tuis in hac arena circoque mundi certantibus tam benigne promittis: *Vincenti, ait, dabo manna absconditum.* Verè, vere manna absconditum, nec unquam visum est à quoquam manna detectum. Priusquam enim, ut Genebrardus annotavit, caderet in terra manna, ros in terram copiosus descendebat, & velut tapes sternebatur, in quem cum iam manna cecidisset, de repente ros alius tanquam cæleste quoddam velamentum descendebat. Et quod homines nunquam satis admirabuntur, nullo ignis calore dissolvebatur; at ubi minimum solis radium persentiscebat, confestim colliquescebat. Hærent hic humani sensus, sed quod in natura obstupescunt, arcana fieri significatione animadvertunt. Dat DEVS manna absconditum vincentibus, cum interna illa spiritus, dulcedine pascit electos, cum spirituales illis consolationes mediis in adversitatibus infundit; quæ si ad vanæ gloriæ solem exponantur, protinus dissolvuntur. O admirabiles & absconditæ omnino consolationes! vos efficitis, ut car-

Paradoxa.

Apostrophe.

Manna emissio eiusq; natura.

Præmium vincentium.

carbones igniti refrigerium existant, persecutiones exercitium, infirmitas medicina: per vos molestiæ fiunt delitiæ, infamia honor, tormenta voluptates à vobis habent cruces, ut sint coronæ, exilia peregrinationes, mortes triumphi. Nimirum sicut ex amarissimo thymo apes dulcissima mella colligunt, ita justi ex tribulationum amaritudine gloriæ æternæ & absconditi thesauri suavitatem decerpunt. Nimirum quemadmodum in absynthio, aut aliquo Rhebarbaro sanitas, in sale conservatio putredine, in vento flamma continetur: ita in tribulationum vehementia salutis & gratiæ cœlestis thesaurus asservatur. Non ignoro, hærent hic hominum mundanorum oculi animique, & cum in agro tribulationum adversitatumque cœlestem illum thesaurum ostenderim, nondum vident. Quid, inquiunt, non uret igitur ignis amplius? non ferrum lacerabit? non mortes occident? Quid? quæ amarissima sunt aliis, dulcissima Christianis fient? Plinius, qui quodammodo à secretis est naturæ Rhinocerotis hanc esse virtutem, ait, ut è fontibus suo cornu venenum expellat. Cum enim ad fluvium cæteræ feræ peruenerunt, circumstant & expectant, nec gustare, quanquam ardentissima sit sitis, vel fluvium, vel fontem audent, donec adveniens Rhinoceros cornu suo fluvium attingit & extrahit venenum. Ille dilectus quemadmodum filius unicornium Christus Dominus, cuius cornua sicut cornua Rhinocerotis, inquit Moyses, venenatam tribulationum & adversitatum aquam quam omnes amarissimam reperiebant, gustare nullus audebat: ubi cornu suum intinxit in cruce, dulcissimum effecit, ac posteaquam primus degustavit, omnium amorem excitavit. Iam qui veri sunt Christiani, & qui non rempublicam saluam esse volunt, sed animam suam, semetipsos abnegant, tollunt cruces suas & sequuntur illum; atq; ita

Contraposita.

Alia.

Similitudo.

Praeoccupatio.

Rhinocerotis natura.

Amplificatio ad Christum.

thesaurum inveniunt cœlestem, quem orbis Salvator crucem arduam subeundo, fel & acetum gustando sub laboribus & adversitatibus abscondit. O igitur quantum aberratis avari, qui cistis vestris ac loculis incubantes, verum vos possidere thesaurum existimatis; *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli.* Apostoli vox est. Quam ab hoc thesauro longè defectitis, ô superbi, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Sic Apostolus Iacobus affirmat. Non vos illum invenitis, ô Libidinosi: *Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.* Oraculũ est Gentium Doctoris. Non illum faucibus istis ardentibus degustatis, ô Ebriosi. *Væ enim, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Sapiens ipse sic minatur. Non illum tenetis, ô Molles & delicatuli mundi clientes, qui vestrum illud voluptatis idolum noctes & dies oculis sollicitatis manibus contrectatis brachiis amplexamini, animis fovetis & circumfertis. Delectatio cecidit & præteriit, vulneravit & transiit, miserum fecit & abiit, infelicem reddidit & reliquit. Verissime Ambrosius. Illum, illum inveniunt ac possident justi, quorum simplicitas irridetur; illum tenent, quorum vitam homines insensati æstimant insaniam, quosque in derisum habent & in similitudinem opprobrii. Illum degustant, qui paupertatem amplexantur, ciliciis sese & crucibus accingunt. Illum accipiunt in hæreditatem, qui oblivisci possunt populum suum, & domum patris sui: ut aliquando cum beatissima Catharina glorientur, *Regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi, propter amorem Domini mei IESV Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.* Vtinã & nos

Apostrophe ad avaros.

Alia ad libidinosos.

A testimonio.

Repetitio. Inventores thesauri huius.

Optatio.

nos invenire eum aliquando possemus! inveniemus, si crucem aliquam portantes Christum fuerimus secuti. Vtinam possidere eum aliquando possemus! possidebimus, si laborum victores & adversitatum pro Christo susceptarum domitores extiterimus. Veruntamen quoniam ea prudentia est illorum, qui cœlestes thesauros inveniunt, ut eosdem sedulo custodiant & abscondant dum supersunt; vos qui aliquando (ut opinor & opto) thesauros illos reperietis, nolite Regem Ezechiam imitari; qui cum ambitione quadam gloriaque ductus Babylonicis Legatis opes suas ostentasset, illis sepulchra Davidis & Salomonis aperuisset, illas amisit & punientis Dei manum sentiens. *Præcisa est, inquit, velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me.* Imitamini vero gloriosissimum Ducem & Italiæ fulmen Hannibalem. Hic cum apud Syriæ Regem Antiochum esset, ab eoque, ne Romanis traderetur, vereretur, abiit in Cretam insulam & suos secum thesauros exportavit. Vbi cum Cretensium avaritiam non ignoraret, varias ollas plumbo, cui auri aliquid superinduxerat, implevit. Cretensibusq; in Dianæ templo custodiendas commisit; aurum interim suum ac verum intra statuas, quæ pedibus manibusque carentes domi abiectæ despiciebantur, abscondit. Vix discesserat, manibus ollas, animis aurum invadunt Cretenses: sed ubi aurum non reperiunt, delusi recedunt. Imitemini dico hunc ducem; nō amat cœlestis thesaurus, qui humilitate optimè tegitur & conservatur, jactatores illos, qui ubique se Deum possidere gloriantur. Sumus in via peregrini, & in hac via maligni Spiritus thesauris nostris insidiantur. Ego vero in te finio, ô sanctissima Patrona nostra Anna Beatissima: tu enim in lachrymis tuis, quibus quotidie madebas, in opprobriis,

Adhortatio ad Auditores.

Factum Hannibalis.

Apostrophe ad D. Annam.

quibus te ſterilem vulgus inſectabatur, in contemptu bonorum, quæ à te rejeciſti, in ſterilitate tuæ vitæ, propter quam infamiam perferebas; in triſtitia deniq; & orationum aſſiduo labore theſaurum cœleſtem, dulciſſimam illam conſolationem, immenſam illam gratiam inveniſti, quà te matrem matris Dei futuram intellexiſti, & non multo poſt veram veri theſauri arcam: Mariam Virg. terris omnibus protuliſti. O illam nobis arcam tuarum clavibus precum aliquando reſera! O illa nobis arca tua filia, tuis precibus aperta & amore inclinata theſaurum ſuum Filium (nimiumne fortaſſis in hac vita?) gratias ſaltem aliquas & cœleſtes animorum conſolationes effundat. DIXI.

Clauſula cum precatione.

ORATIO XX.
DE LUMBIS PRÆCINGENDIS & LUCERNIS ARDENTIBUS IN MANIBUS GESTANDIS.

Luc. 12.

Exordium à Turcarum conſuetudine.

QUANQUAM apud impiiſſimam crudeliſſimamque Turcarum Gentem propemodum omnia fæda, immania, deteſtandaque reperiantur, nec tam quicquam admirandum ſit, quam reformidandum; ſuſpiciendum, quam abominandum; una tamen eſt, quæ ut multis, ita vobis hodie diſplicere conſuetudo non poteſt, qua in illa eorum ſuperſtitione Religioſi quidam (quos patrio vocabulo Torlaques appellant) victum oſtiatim emendicantes, inedia ſeſe magna macerantes, barbam cæſariemque cute tenus radentes, ſola melota circa pudenda tecti ita publicas per plateas incedunt, ut bina ſpecula præter-

tereuntibus omnibus ostendant, voceque clarissima ingeminent in his se, qui nam sint, & aliquando qui futuri contemplentur, nec rationis extra metam præscriptumque ferri se sinant. Etenim cum in duobus his oraculis: *Noscere seipsum, finemque respicere*. Vniversa scholarum humanarum sapientia concludatur: in duobus, inquam, his punctis, lineæ omnes Philosophicarum Theologicarumque disputationum terminentur; in hac puppi vitæ humanæ gubernaculum consistat, in hac prora veræ gloriæ vexillum erigatur, nihil esse melius, immo divinius nihil esse potest in hac vita, quam in ea specula considerationis humanæ oculorum aciem contorquere, in quibus clarissime videamus, cum Satyrico dicam:

Horum religio.

Allegoria.

Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ qua mollis flexus, & unde.

Verum enim vero non à Turcis hodierna die specula illa mutuabor, quæ vobis & ex hoc loco & in hac beatissimi Antonii solemnitate proponam, sed si lubet mentis aciem animique sensum ad evangelium hodiernum admovere, videbitis in Ecclesiæ manibus tanquam speculum quoddam propositum omnibus & apertum, in quo vir præcinctus & ad victoriæ cælestis expeditionem præparatus, lucem admirabilem è lucerna sua in terras omnes cælumque diffundat: audietis vero evangelicum præconem hominibus universis acclamantem: *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris*, ut omnino quid in hoc vitæ decursu tanquam in aliqua ad salutem comparandam expeditione facere conveniat unumquemque, liceat hic clarissimè tenebrisque remotis intueri. Et certè quemadmodum

Ab occasione Evangelii

Similitudo

dum omnia singulari divinaque prorsus ratione constituta esse in Ecclesia videmus, ita hodierna die divinitus, opinor est factum, ut præcinctos habere lumbos & ardentes gestare lucernas, juberemus, cum eum recordatione solemni veneramur, qui præcinctus virtutum omnium hominibus omnibus lucerna fulsit. Præcinxit lumbos suos Antonius, qui se rebus omnibus expediens, universa derelinquens; nuntium mundo remittens, eremum, hoc est fortitudinis, patientiæ, humilitatis, arenam est ingressus. Præcinxit lumbos suos Antonius, qui seipsum abnegavit, in se ipsum pugnavit, de seipso victoriam reportavit; in quo turpes omnes cogitationes extinctæ, libido mortua, vanitas sepulta fuit; cui non legem dixit rerum humanarum amore soluta voluntas, sed præcinctum divina ratio gubernavit; quem non effrænata depressit luxuria, sed præcincta erexit modestia. Quod si apud Romanos cinctus armatum strenuumque; discinctus autem imbellem & effæminatum significabat; non imbellis & effæminatus, sed strenuus & armatus fuit Antonius, qui admirabili quadam è virtutibus omnibus Zona carnis omnem luxuriam, ac se totum coarctavit. Sed & lucerna fuit Antonius; lucerna ardens in corde suo per charitatem, lucerna ardens in manibus suis per bonorum operum exercitationem, lucerna ardens universo mundo per exempla virtutum. In eo erat velut in lucerna cælestis gratiæ lumen, & per eum velut per lucernam in terras omnes admirabile lumen exibat. Quemadmodum vero in Pharo Ægypti insula dies totos ac noctes lucerna ardens fluitantibus in mari nautis, ut ad eam suarum navium cursum dirigerent, proponebatur; ita fuit lucerna ardens in Ægypto Antonius; cuius lumen precum radii in cælum usque deferebant, virtutum flam-

Lumbos suos verè præcinxit Antonius.

Traductio.

Amplificatio laudis Antonii.

A facto Pharaonis.

flammæ in terras omnes diffundebant; ad quem per scintillas aliquas evocati ex Ægypto regionibusque remotissimis populi confluebant, ut ad hanc lucernam per imitationem aliquam arderent, per virtutem acquisitam lucerent, per oleum ejusque calorem sanarentur. Fuit Antonius ardentissima illa lucerna, quam inani flatu mundus, vana compressione caro, suscepto frustra impetu Dæmones extinguere tentaverunt: sed sicut nisi effractis laterum compagibus extingui lucerna non potest, ita prorsus cum Antonii fidem concutere constantiam labefactare, patientiam fatigare terrereque Dæmones non possent, nec humanæ vanitatis aut carnis ventus intraret, illæsa immotaque sensuum latera, quæ virtutibus muniebantur permanerent, ardens hæc lucerna perseveravit in terris, donec affixa cœlo majori lumine terras omnes cœlosque ipsos illustraret. Quanquam non ego vos ad theatralem scenam aliquam spectatores adesse volo, sed ad salutis expeditionem cursores requiro, ut non ad cogitationem tantum beatissimum Antonium revocetis, sed ad illum præcincti & expedito cursu contendatis; qua in re si quid hodie prodesse possim, Zonas vobis aliquas, quibus lumbos vestros ad cursum præcingatis, apportabo, & aliquam in manibus vestris lucernam accendam.

Applicatio ad Antonium.

Constantia eiusdem.

Contra posita.

Israelitis olim in Ægyptiaca servitute detentis posita lex à DEO fuit apud Nilum, ut quam ocyssimè recederent ex Ægypto: succinctique lumbos agnũ ederent, & supremo Numini Pascha celebrarent. Evoluamus hujus legis ænigma, & obnoxios nos esse legi reperiemus. Sacræ litteræ delitiarum voluptatumque terram ac planitiem, Ægyptum appellant, in qua equus, fallax equus ad salutem homo, nisi frænis catenisque compescatur, perpetuo cupit exultare Nilus autem, Ambrosio teste, unum è quatuor Paradysi flumminibus,

Confirmatio à lege Ægyptiorum.

Ægyptus quis.

Nilus castitatis symbolum.

bus, Geon vocant Hebræi, & puritatem, castimoniam, temperantiam designans universam Ægyptum inundat, ut despicatissimum corpus illud abluat, & libidinis ardorem extinguat. Nos illi sumus Israelitæ in delitiarum voluptatumque servitute plerumque detenti; nos, nos illi sumus equi salaces ad salutem, effractis temperantiæ repagulis, excussa rationis habena, procurrentes in Ægyptum, in Ægypti voluptatibus insultantes, ac tandem voluptatibus pleni ferocientes. Data est lex apud Nilum, lex temperantiæ, ut præcincti lumbos ex Ægypto quam ocyssimè recedamus. O quam multi sunt, qui ad Nilum non accedunt, nec audire legem volunt! quam multi sunt, qui Ægyptum carnem hanc suam amantes in miserrima turpissimarum spurcissimarumque voluptatum servitute detineri malunt, quam lumbos præcingere & ad agnum edendum properare? Serviant illi dæmoni Pharaoni suo: jugum ferant peccatorum immiserabiles? at nos qui ad Nilum temperantiæ continentiæque flumen accessimus, qui legem audivimus, qui in libertatem vocati, immo vero jam asserti ad salutis expeditionem Christiani properamus, præcingamus lumbos nostros. Quid hoc est vero præcingamus lumbos nostros? Hoc est carnis nostræ luxuriam omnem per continentiam coarctemus, turpes animæ nostræ cogitationes extinguamus, infrænem appetitum refrænemus; ut, quemadmodum Princeps ait Apostolorum, succincti lumbos mentis nostræ, sobrii, perfecti, speremus in eam, quæ offertur nobis gratiam, in revelationem Iesu Christi. Sciunt, qui ritus antiquos non ignorant, receptum apud veteres fuisse morem, ut salutarium victimarum renes ac lumbi tanquã impuri, & in quibus libidinis concupiscentia resideret, eximerentur, ignibusque traderentur; ita qui ad vitæ puritatem anhelamus & offerre nos in

Lex hac applicata nostro tempori.

Libidinosi.

Præcingere quid?

Amore veterum.

in sacrificium Deo desideramus, præcingere lumbos nostros inprimis, & advrere debemus. Quid? lumbos ita præcingemus, ut minimum gustare liceat voluptatem. Ionathas post stragem Philisthinorum melle tantum degustato condemnatus est ad mortem: audita sententia cum tristem illam vitæ suæ fortunam deploraret Gustans, inquit gustatu in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior. Nimirum mel istud est voluptas, quæ vel tantum degustata persæpe mortem adfert, semper autem dolorem. Sed & illi mihi præcingere lumbos suos optimè videntur, qui ita se rebus omnibus humanis expediunt, ut universa diligenter efficiant, ut expediri mandatorum Dei viam decurrant. Quod si enim oblongæ talaresque togæ iter agere volentes impediunt, profectò longissimæ illæ rerum humanarum affectiones ac curæ salutis cursum non iuvant, attollere illas, & præcingere debemus; non fluidæ sint, non dissolutæ. Veruntamen duos animæ nostræ lumbos facultates eiusdem animadverto, intellectum & voluntatem. Quas obsecro non insanias dissolutus contemplatus intellectus? quos non vagus meandros sectatur? in quot errorum labyrinthos non abit? Miseri & infelices: Hæretici, dum intellectum præcingere nolunt, non Pontificum voluntate gubernari, non Conciliorum decretis astringi, non Doctorum sanctorumque Patrum sententiis stare concupiscunt, viam illam errorum latissimam ingrediuntur, & in præcipitium damnationis dissoluti vagique ruunt. Miseri etiam & infelices illi, qui dum liberum per res humanas intellectum emittunt, nescio quos non odores fragrantissimos in fœtoribus, aurum fulgentissimum in stercoribus, pompam splendidissimam in miseriis comminiscuntur. Placent honores, quia magnos illos & auratos fingit intellectus;

Ionathæ casus.

Voluptatis incommoda.

Similitudo.

Repetitio.

Miseria mundanorum.

pla

coarctetis, zonam, inquam, charitatis & amoris divini, de qua in Apocalypsi cælestis Aquila Ioannes: *Vidi similem filio hominis præcinctam ad mamillas zona aurea.* Ita fiet, ut cum castitas lumbos præcinget, intellectum fides constringet, voluntatem divinus amor coarctabit, similes sanctæ illi animæ simus, quæ Prov. 35. *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum, gustavit & vidit, quia bona est negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius.* *Zona ad præcingendum.*

Nondum vobis zonas omnes apportavi: unam adhuc accipite fortissimam præstantissimamque, sed pelliceam, qua Propheta quondam Elias, qua plusquam Propheta Ioannes Baptista cingebatur. De Elia 4. Regum habetis, Zona pellicea accinctis renibus. De Ioanne Marc. 1. Zona pellicea circa lumbos eius. Nec aliud est zona illa pellicea, quàm mortis recordatio, quæ hominis cogitationes optime cingit animumque coercet. Admiremini, & obstupescite quod dicam, Cum Propheta sanctissimus Elias moraretur in monte Oreb, spiritus grandis & fortis subvertens montes & conterens spinas iuxta illum præteriit, post spiritum commotio, post commotionem ignis. Evasit hæc omnia Propheta, sed in spelunca latens evasit. Quid hic est? Nonne fuit spiritus ille superbia? illa commotio, cupiditas? ille ignis, luxuria? Omnino, nam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, ut verissime Evangelista Ioannes. Quis hæc vero tanta pericula unquam evadet? qui mortis recordabitur, qui insurgentibus concupiscentiæ turbinibus, & ardentibus luxuriæ flammis in huius recordationis spelunca delitescet. Tu homo, qui tantopere te admiraris, superbis & insolescis, applica zonam hanc pelliceam ad lumbos tuos, & aliquando te moritu- *Zona præstantissima.* *A facto Eliæ.* *Ad hominē superbum adhortatio.*

rum

rum recordare, cadent illa sinuosa volumina vanitatum tuarum; demittetur ille tuus cristatus apex, sordescet tibi tua opulentia, tua doctrina, tua nobilitas. Profecto non sine causa Deus olim imperavit Levitico, ut avibus in sacrificium offerendis plumæ prius avellerentur, inque locum ubi cineres servabantur, proiicerentur. An non ut honores, dignitates, luxus, divitias, vanitates omnes, quæ plumæ sunt quædam, memoris mortis cinerumque temperaremus? Plura diceremus, nisi Sapiens uno oraculo pronunciasse omnia videretur: *Memorare novißima tua, & in æternum non peccabis.* Assume igitur, ô peccator, pelliceam hanc zonam circa lumbos tuos, recordare mortis tuæ. Quod si curiosus ille naturæ arcanorum indagator Albertus Magnus verè tradit, nunquam amplius in nidum suum corvos reverti, cum eidem cineres aut vitri pulveres inspersos animadvertunt, nunquam etiam amplius infernalis ille corvus Satanas suum ad animum redibit, in quo mortis venturæ cineres recordatione quadam consperfos esse videbit. Restat, ut cum vobis zonas hactenus præsentarim, lucernam aliquam vestris in manibus accendam, ac finiam aliquando. Multæ sunt tenebræ, multis opus est lucernis; in hoc ergastulo fragilitatis humanæ densissima undequaque obscuritas impendet, nisi lucernas præferamus ardentes, impingemus, & in præcipitia faciles corruemus. Agite tamen, si præcincti sint lumbi vestri, iam ardentes, non difficilè est lucernas habere: Bona, inquam opera, virtutesque per charitatem exercere, liberalem in pauperes esse, mansuetum ac benignum in omnes, iustum, pium, modestum, continentem ubique. Quanquam lucernas in manibus ardentes habere, nihil etiam aliud esse potest, quam ita vivere, quemadmodum qui in ex-

Attestimonio Alberti.

Tertia pars.

Bona opera lucerna sunt

extrema illa hora jamiam animam exhalaturi, & accensam tenentes lucernam moriuntur. Repræsentate vobis, si lubet, morientem aliquem, & mortem jam intra fauces titubante lingua frigidisque membris anhelantem, quid agit tandem, & quid loquitur? Circumstant plorantes amici, corpore semimortuo derelicto Medici discedunt, nulla spes est, moriendum est: ipse manibus, ut potest, ambabus lucernam ardentem apprehendit ac tenet, interim demissis oculis animam suam ardentissime Deo commendat, & misericordiam ejus singultibus abruptis implorat ignoscit omnibus, & ignosci sibi cum lachrymis exposcit; aliena restitui jubet, & distribui pauperibus eleemosynas curat, nullæ in ipso cupiditates, nulla opum desideria, nulli ultionum appetitus. Hæ sunt cogitationes illæ, quas habere nos Deus hac in vita cupit, dum ardentes in manibus nostris lucernas requirit. Hæc est imago vitæ, quam in speculo venturæ mortis intuemur. Ita vivendum est, sicut moriendum; sine cupiditate aut vindicta, ignoscendo omnibus & ignosci nobis ab omnibus exoptando, salutem nostram benignitati divinæ commendando, & promptissimam ejus misericordiam assiduis precibus implorando. Alexander Magnus cum aliquam urbem obsidione cinxisset, publico in loco facem accendebat, voceque clarissima per preconem edicebat, incolumes futuros omnes, qui quamdiu fax arderet victoris se potestati tradidissent; extincta vero face spem nullam amplius superesse salutis. Eodem prorsus modo quamdiu vita hujus fax ardet, clamat Deus. *Convertimini ad me, tradite vos, aperite mihi portas vestras*, namque ubi fax erit extincta per mortem, nullus amplius indulgentiæ locus erit. Non in morte sapiendum est sero, sed in vita sapiendum est

Hypotyposis.

Agonizanti.

A facto Alexandri.

cito,

cito. Inter aves illas quas offerri sibi Deus nolebat, olim, cygnus erat. Et cur obsecro avis illa pulcherrima non offerebatur? quoniam non in vita, sed in morte cantat. Neque certe offerentur illi Deo, qui morum vitæque correctionem ad extremum usque vitæ terminum differunt, nec nisi ex hac vita migraturi pœnitentiæ threnos palinodiamque cantant. Non ita nos sapimus, ita vero sapiamus, ut dum vivimus, sint lumbi nostri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus nostris. Non dormire possunt, qui sunt præcincti; non dormire possunt, qui ardentem manu facem tenent, cuius fulgore perturbantur. Nec nos profecto peccati somno indulgebimus, sed in Dei ministerio diligenter vigilabimus, si lumbi nostri sint præcincti, & ardentes in manibus nostris lucernæ.

Conclusio cum adhortatione.

Tu Deus benignissime, qui lux es vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, qui ignem venisti mittere in terram, & nihil vis nisi ut ardeat; qui Sol es Iustitiæ & lumen æternum, accende in his corporum animorumque nostrorum lucernis lucem aliquam gratiæ tuæ, ut ardeamus in te, & coram te luceamus. Vre etiam igne S. Spiritus renes nostros & cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus. DIXI.

Apostrophe cum imploratione.

ORATIO XXI.

DE AMBITIONE CÆLESTI.

Exordium ab inclinatione hominum.

MORTALIVM unumquemque excellentiæ cuiusdam ac præstantiæ studio, gloriaque duci (neque enim, ut Romanus inquit Orator dissimulandum est, quod obscurari non potest, sed præ nobis ferendum) ita notum

est

est ac manifestum universis, ut si illud argumentis planum facere constituissem, non ad rationem, sed ad uniuscuiusque cogitationem confugiendum esse putarem. Etenim cupiditatem gloriæ quandam ac principatus, appetitionem bene natis omnibus ac informatis ita indidit Natura parens, ut nulla gens sit, nullus ordo, nulla ætas, quæ non studio honoris inflammetur, atque adeo, ut in optimis quibuscunque etiam virtus quędam insideat, quæ noctes & dies animum gloriæ stimulis incitat, atque admonet, non in umbra atq; tenebris delitescendum; sed in luce palam apparendum esse; non vitam sine gloria, & omnibus honorum ornamentis spoliatam ducendam esse, sed ad gloriæ dignitatem, & ad ipsum virtutis præmium honorem, contendendum. Atque hæc est illa gloriæ cupiditas, quæ pierosque mortales ad præclara quæcunque facinora suscipienda ita vehementer incendit, ut pro honoris dignitate vel obtinendâ vel retinendâ gravissimis discriminibus vitam opponant, humanæ vitæ commoda virtutis ac sapientiæ studio postponant, omnia denique spe incitati immortalitatis se tanquam indigna atque animo suo inferiora contemnant. Verum quemadmodum olim fortissimus ille Romanus Mutius Scævola specie purpuræ oblatâ deceptus est, ut, cum Porsennam Regem occupare ferro cogitat, purpuratum ejus scribam occidat; ita plurimi dum insito sibi à Natura gloriæ studio ad gloriam ipsam magno animo contendunt, specie vanitatis obiecta falluntur, & pro vera inanem, pro æterna caducam ac momento perituram aucupantur & amplexantur. Quæ causa est, cur hodie, cum sanctissimum Iacobum summi in dextera sinistraque DEI honoris cum fratre candidatum gratiæ memoria pioque obsequio veneramur, atque illum quidem huius nostri Sodalitii tutelare Numen colimus, constituerim

Repetitio.

Gloria cupiditas.

A facto Scævola.

Causa dicendi.

apud Vos, Ornatissimi Domini SODALES, hoc in loco tanquam in theatro quodam veræ Gloriæ candidatum Christianum hominem repræsentare, atque eam vere cœlestem ambitionem designare, qua inflammati excitatique omnes ad obtinendum in immortalitate principatum aliquem contendere aspirareque debemus. Non patiar vagum aut dubium errare candidatum hunc nostrũ, sed per sanctissimi Iacobi vestigia securum ducam, ut iisdem, quibus ille meritis, atque eodem omnino ambitu ad cœlestem dignitatem aspiret. Rogo interim & obtestor unumquemque vestrum, ut tantisper, dum cœlestis hujus ambitionis officia brevi oratione designo, seipsum Candidatum esse constituat & me dicentem animo cogitationeque comitetur.

Propositio.

Captatio attentionis.

Finis ad quem creatus est homo.

Atque inprimis illud contendo, hominem, animal illud præstantissimum, cujus in vertice rationis facem ardentem Natura collocavit, in animo vero lucentem Divinitatis ipsius imaginem impressit, non ad illa dignitatum humanarum fastigia, quæ prima mundi maximaque creduntur, sed ad veram æternamq; gloriam, quę sola Dei possessione fruitioneque continetur, omni studio laboreq; contendere oportere. Circumspiciat, obsecro seipsum homo, & illud corpus suum contempletur, an non cum cæteras animantes ille opifex rerum, ille potens moderatur universi prono in terram corpore ad pastum abiecisset,

Os homini sublime dedit, cœlumq; videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus?

Neque sane ut spectator duntaxat esset pulcherrimæ mundi machinæ, & ignitas illas in orbibus stellatis faces admiraretur, sed ut se Cœli Candidatum, & ad veram illam æternamque, quæ à Deo fluit, Gloriam natum esse meminisset. Introspiciat vero etiam seipsum homo, & in seipsum

ſum deſcendat, an non ita compoſitum eſt à Natura cor eius, ut una parte ſit acutum & cuſpidatum, ſuperiore vero latum, & duplici culmine ſurſum aſſurgens? an non inquam, ita formatum eſt à Natura, ut triangularem quandam figuram quæ nulla re rotunda ita unquam repleri poteſt, quin vacuos angulos relinquat, præ ſe ferat? Nimirum, ut latiſſimo, ſemper affectu homo cæleſtem illam gloriam ac Deum ipſum Candidatus ambiat, nunquam verò, vel inpuncto duntaxat inferiora hæc & terrena contingat. Nimirum, inquam, ut ad Divinam illam Maieſtatem, quæ trina eſt, & in illa ſua unitate quodammodo triangularis, & à qua ſola repleri ſatiarique cor eius poteſt, inflammata cupiditate contendat, orbem hunc rotundum, qui totum replere cor nunquam poteſt, generoſo affectu contemnat. Conſideret nunc etiam homo ſe in Dei familiam adoptatum, eius imagine & inſignibus ornatum, eius filii profuſo ſanguine in libertatem aſſertum, an non etiam par eſſe iudicabit, ut ad ampliſſimos familiæ ſuæ honores adſpiret, & pro aliquo apud Deum Conditorem ac Liberatorem ſuum adipiſcendo Principatu ambitioſa pietate ſollicitet? Valeant igitur illi, neque in veræ Gloriæ Candidatorum numero cenſeantur, qui humanarum dignitatum culmina tantum reſpiciunt, de cælorum Magiſtratibus nihil ipſi cogitant: valeant, inquam, & hominem Ethnicum Severum Imperatorem audiant, qui omnia, quorum inſano amore ardere homines ſolent, adeptus ipſe, & vana expertus omnia, tandem coactus eſt exclamare: *Omnia fui, nihil expedit.* Non mihi hic adſint etiam illi, qui ut Satyricus:

A cordis humani conſtitutione inducente in Dei affectũ.

Alterum motivum.

Renunciatio mundi.

Ateſtimonio

Obſtipo capite & figentes lumine terram:

Inexhauſta auiditate divitias quærunt, & undique effodiunt, cæleſtium interim bonorum

contemptores. O verè. *Quam curvæ in terris animæ & cælestium inanes!* Eant, eant illi, & Themistoclem hominem etiam Ethnicum audientes erubescant, qui cum parta ingenti victoria ad maris littus consistens multa cadavera in terram vi fluctuum eiecta, & in quibusdam monilia torquesque conspicaretur, ipse præteriens duci cuidam tum forte sibi adstanti. Aspice, inquit, & accipe ea, tu tibi non es Themistocles. Sane neque tu, quisquis es Avarus, qui tantopere perituris bonis istis inhias & inhæres, Christianus es; cape tamen, congere, accumula, incuba & indormi iis, non enim es Christianus. Nolo etiam eos, qui popularem auram & hominem inanem applausum ambitiosi ipsi sectantur fumum ventumque venantes, neque enim esse possunt veræ Gloriæ Candidati; recordentur, si placet, Lucii Romanorum omnium hac re sapientissimi, cui cum Senatus propter celeberrimam de hostibus victoriam reportatam amplissimum triumphi honorem decrevisset, triumphare ipse recusavit, statuam vero suam è cera factam triumphali curtui imposuit, & ardentem circumquaque ignem, cuius ipsa paulatim calore consumebatur, ut illo nimirum dignissimo hominum omnium memoria facto declararet, nullam esse tam amplum tam fastuosum, tam excelsum dignitatis cuiusvis honorem, qui non modo hominem ipsum non ornaret, sed consumeret: *Quoniam in imagine pertransit homo, sicut cera fluens à facie ignis*, ut Propheta Regius attestatur Quanquam delectentur ambitione ista, quorum animus sese mundo maiorem non agnoscit; at tu Christiane, quem ego nunc compello, & in Campum Martium veræ Gloriæ Candidatum appello, age prodi, & ambi; vocat te æternus ille Pater, qui te propter se ac propter suam duntaxat Gloriam

A facto Themistoclis.

Lucii.

Testimoniũ Davidis.

Apostrophe ad Christianum.

riam aliquando creavit, iam vero suffragium promittit. Vocat te & tanquam magnes te trahit benignissimus ille Filius Redemptor tuus, qui te sibi vitæ suæ periculo ac pretio vendicavit, nunc etiam suffragari concupiscit. Vocat te sanctissimus ille Spiritus, qui toties gratiæ suæ rivos in te effundit, & ad tui cordis fores tam amicè pulsat; nunc etiam votum suum addicit. Et adhuc hæres? Et tuam illam animam, qua vivis, sentis, intelligis, è cælo tanquam divinæ particulam auræ haustam ignoras? Perituris illa caducisque bonis pasci, & inanibus honoribus delectari non potest. Et tuum illum intellectum infinitæ veritatis capacem: tuam illam voluntatem, quam nihil, quod finitum est replere potest, omnino nescis? Profectò, age quod vis, in hoc & illud te mundi latus converte, nunquam quiesces, nisi in Deo subsistas; nunquam satiaberis, nisi tibi gloria eius apparuerit. Sed adest, Gloriæ stimulis excitatur, & ambire tandem placet. Non ignoratis apud veteres illos Romanos publico more receptum fuisse, ut qui Magistratum aliquem, putatote Consulatum aut Præturam, ambirent, candida in veste, quam recentem à Fullone haberent; aut certe priscis illis temporibus, ut è Catone Plutarchus habet, absque togis & in indusio duntaxat in Campo Martio comparerent. Quamnam igitur Candidato nostro vestem circumponemus? Candidam sanè illam, & omni nive candidiorem innocentiæ vestem animi & cordis puritatem. Ita decretum fuit à Divina Maiestate supplicante Davide: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* responsum quippe illi fuit, & pro omnibus tunc decretum: *Innocens manibus & mundo corde.* Decretum iterum & alias fuit, cum ipse Deus de vera fælicitate disserens sacra-

A more Romanorum.

Candida vestis. innocentia.

tiſſimo ore ſuo, *Beatos mundo corde*, pronunciavit, *quoniam ipſi Deum videbunt.* Illa eſt innocentiæ veſtis, quam à Regni ſui Candidatis Cæleſtis Imperator repoſcit, dum toties acclamat: *Fili præbe mihi cor tuum*, cor nimirum candidiſſimum, ſed innocentiæ candore; cor mundiſſimum, ſed puritatis munditiæ, cor ardentiſſimum, ſed charitatis & amoris ardore. Illa eſt innocentiæ veſtis, quam cum Diva Gertrudis ſumma cum puritate cordi ſuo circumpoſuiſſet, ita Deo placuit, ut, teſte Bloſio. Divæ Mechtildi eodem in monaſterio agenti faſſus ſit, nullum eſſe in terra tota locum, dempto Venerabilis Euchariſtiæ Sacramento, in quo ageret libentius, quam in Corde Gertrudis. O immenſæ dignitatis beneficium! O cæleſtem! O Angelicam! O Divinam omnino puritatem! Sed iam igitur Candidatum habemus, nunc illum in campum Martium deducamus. Quæritis quemnam ego campum Martium intelligam? Mundum hunc univerſum, in quo ita conſtitutus eſt homo, ut innocentia ſua Divinæ Maieſtati placere, præclaris verò operibus ſuis cæleſtem Gloriam, quamdiu communis auræ beneficio ruitur, debeat promereri. Atque ut ambitioni huic cæleſti modum aliquem præſcribamus, & Candidato noſtro iam campum tenenti ſua ſtudia & officia deſignemus, neceſſe eſt inprimis, ut qui in cælo principatum aliquem ambit, humanarum dignitatum affectum omnem deponat, omnia deſerat, omnibus valedicat. Neque enim fieri poteſt, ut cælum una reſpiciat, & terram, ut Deum ſimul ſollicitet, & homines prenſet; ſi ad homines reſpiciat, iam Deum nolle dicetur, ſi honorem aliquem in terris, ſi plauſum, ſi opulentiam quærat, iam ad cæleſtem Gloriam nullum animum adiicere credetur. Vna eſſe ambitio, debet, quandoquidem una

Repetitio.

Exemplum candoris huius S. Gertrudis.

Campus hominum Candidatorum.

Contrapoſita conglobata.

una tantum est vera Gloria, quam ambire Christianus debet, & qua qui potiuntur, diademate cœlesti coronantur, sceptro immortali donantur, gemmis æternis lucent, omnibus omnino bonis affluant & quodammodo redundant. An non Alexander Magnus, ille Orbis universi Candidatus, & cui unus non sufficiebat Orbis cum multa de regni Indici opulentia divitiisque intellexisset, sua omnia, adeoque paternum regnum purpuratis suis distribuit, & sibi solas spes suas reservavit? An non Heluetii cum Italiæ fertilitatem rumore aliquo percepissent, tanta ejus occupandæ cupiditate exarserunt, ut injectis flammis patriam suam universam delerent? Et cœlum non tanti Christianus faceret, quanti Indiam Alexander? non tanti cœlestem Gloriam, quanti Italiæ fertilitatem Heluetii? Imitare Candidate Christiane Divum Iacobum; ille postquam relictis omnibus secutus est Christum, tum ad excelsum illum in dextera sinistraque DEI honorem aspiravit, ut cum amplius nihil haberet, Deum ipsum summum nempe bonum, possideret. Imitare Serapionem Anachoretam, cujus animum cum illa potens Gloria cœlestis ambitio occupavisset, relictis omnibus & amicis & bonis, indusio solo tectus, & bibliorum sacrorum Codicem sub brachio gestans, non aliter, quam si mente captus ac insanus fuisset, per agros & deserta loca discurrebat; cumque ab eo, cur ita furibundus, vestibus ac rebus omnibus spoliatus vagaretur, quispiam fortasse quæreret codicem suum ostendens, hic inquit, me spoliavit. Indicare nimirum volebat spem sibi ex sacro codice magnæ alicuius & æternæ felicitatis factam esse, cujus cupiditate usque adeo inflammaretur, ut illi libenter mundum universum postponeret, & vero etiam aspernaretur, relinqueret, conculcaret. O Generosissimum Candidatum!

Ab exemplo.

Amplificatio eiusdem.

Adhortatio ad quemcunq. Christianum.

Ab exemplo.

Prosopopœia. O laudandam ambitionem! Quam verè, Sanctissime Serapion, dicere poteras cum Augustino, *Domine fecisti nos ad te, & ideo inquietum est cor nostrum, donec perveniat ad te.* Videre vultis descendentes alios in hunc Campum Martium Candidatos, honorum desertores, mundi contemptores? Videte inprimis Candidatos Imperatores, Athanasium, Isacium, Michaelem, Theodosium, Ioannem Brennam, alios quam plurimos, qui spreto Orientis Imperio positis diadematibus & sceptris vitæ Monasticæ instituta susceperunt. Quos imitati Lotharius & Hugo Occidentis Imperatores deposita Imperii purpura religiosam vestem induerunt. Nec defuerunt hac ambitione cœlesti perculsæ Imperatrices Augusta & Theodora in Oriente; Agnes, Cunegundis, Elisabetha, Richarda; in Occidente, quæ omnes, ut cœli Imperium ambirent, terræ Imperio valedixerunt.

Ab exemplo Imperatorum rotam religiosam amplectentium.

Videte nunc Candidatos Reges, Rachisium Longobardorum, Lothiarium Austrasiæ, Pipinium Italiæ, Richardum Angliæ, Carolomannum Sueviæ, Bambam Hispaniæ, Egbertum Nortumbriæ, Trebellium Bulgariæ, Veremondum Castillæ; non omnes nomino: secutæ sint illos tamen Reginæ, Etelburga & Seburga, Angliæ, Batildis & Radegunda Franciæ, Nernecia & Terasia Hispaniæ, Cunegundis Poloniæ, Santiadis Siciliæ, aliæ innumeræ; qui omnes profectò Reges ac Reginæ, cum pro cœlesti regno sollicitarent, prius terrenorum regnorum voluptatibus ac titulis renunciandum esse judicaverunt.

Ab enumeratione Reginarum.

A Ducibus. Producere possem vobis in hunc Campum Martium Duces, Marchiones, Comites, Barones, Guilielmum illum Aquitaniæ Ducem, qui duodecim ipsis annis loricam ferream ad carnem sub veste religiosa gestavit. Arcigradum & Dieclandum Sueviæ Duces, quibus nihil unquam jucun-

iucundius fuit, quam humanis dignitatibus sese abdicare: Guilhelmum Burgundiæ Ducem, qui tum prius sese ad Cælum contendere putavit, cum in mundo nihil possideret. Quanquam quid attinet in hanc cælestis ambitionis arenam plures evocare? credo equidem, iam Candidati nostri animum tot Imperatorum, Regum ac Ducum exempla permoverunt, sed tamen si vel tantum oculos in cælum coniiciat, non dubito, quin cum B. Ignatio Societatis IESV Conditore, egregio sane Candidato protinus exclamabit: *O quam sordet mihi terra, cum cælum aspicio?* Pergam igitur, sed ecce videre mihi videor hic ambitiosum aliquem & terrenæ dignitatis Candidatum. Bone Deus, quam pavidus est? quam attentus, ne verbo aliquo aut facto offendat? quantam affabilitatem exhibet? quantam benignitatem ostendit? hos sequitur & obsequitur, illos profunda submissione salutat & honorat: omnibus sese inclinat, nunc Curiam frequentat, nunc ad Optimates decurrit, si transeant assurgit; si accedant, amplexatur & applaudit; verbo uno, nihil ipse non agit. Talem, talem esse Candidatum nostrum exopto. Principatum cælestem ambit? bene speret, sed cum timore; faventem sibi Divinam Maiestatem expetitur? caveat ne verbo lædat, ne cogitatione offendat, ne facto displiceat; à Deo tandem aliquando Principatum illum expectat? sæpe illi assurgat laudando, sæpe illi sese submittat adorando; cum eo loquatur orando, familiariter agat contemplando; cum ille ad eum pro sua benignitate in Venerabilis Eucharistiæ Sacramento accedit, toto illum animo, & expansis voluntatis benevolæ brachiis amplexetur. Opem aliquam & aliorum favores quærit? Adeat potentes illos cælestis Aulæ Optimates, efflagitet ab iis, ut suorum meritorum commemoratione Dei in se voluntatem inclinent. Talis erat

Atestimonio *Hypotyposis.* *Repetitio.* *Traductio.*

Ab exemplo Sanctissimus Iacobus, cuius genua procumbendi assiduitate instar pellis Camelorum occaluerant, ita sæpe ad Deum recurrebat, à quo petitam dignitatem expectabat; ita illi secreta cordis desideria communicabat, & nova gratia, novo favore ac robore in dies ab illo augebatur. *Transitio.* Veniamus nunc ad illud, quod caput est petitionis huius & ambitionis cælestis, inquiramus ab hoc nostro Candidato, quod à sanctissimo Iacobo atque eius fratre Christus ipse inquisivit. *Apostrophe ad Christianum.* Age dum, ô Christiane, ô Cæli Candidate, tunc calicem bibere, quem Christus ipse bibit, aliquando potes? Dicam apertius. Tunè calumniis ac convitiis vexari, ab hominibus rideri; famere sæpe ac sitire, ieiuniis macerari, ciliciis torqueri, flagris discindi, adversitatibus quibuscunque agitari potes? Possum, *Prosopopæia* inquis; laudo generosum & intrepidum animum; sed age rursum: tunè crucem subire, sanguinem dare; vitam per enses, per ignes, per undas, per cruciatus horrendissimos & atrocissimos pro Christo *Ab exemplo.* profundere morique potes? Quid dubitas? voluit & potuit, & vero etiam Apostolorum omnium primus vitæ authori vitam, Redemptori sanguinem generoso animo cervicem districto gladio subiiciendo beatissimus Iacobus reddidit, nec nisi suo sanguine purpuratus, quam ambie- *A causa ad effectum.* rat, summæ dignitatis gloriam impetravit. Nimirum pati cum Christo oportet, si regnare cum Christo velimus; conformes fieri necesse est illi, si ab illo ad gloriam electos nos esse speremus: ille per crucem ad cæli summum imperium ascendit, nos non alio quam laboris, quam difficultatis, quam afflictionis pretio locum aliquem *Ab exemplo Iulii Cæsar.* in eius imperio consequemur. Obambulabat die quadam suo in horto Iulius Cæsar, ille primus Romani Imperii Candidatus, cum forte sedentem in lauri vicinæ ramis columbam palmamque ore gestantem animadvertit, rei novitate nonnihil atro-

attonitus & animo perculsus aruspices exemplo convocat, quidque hoc novæ rei miraculum portendat, sciscitatur. Illi futurum illum aliquando Romæ, sed post gravissimos labores difficillimasque victorias, Imperatorem, respondent. Et vere ita evenit; & vere ita eveniet Candidatis omnibus, ut per molestias innumeras, per difficultates acerbissimas, per dolores acerrimos, per luctas & pugnas adversus carnem mundum, dæmonem gravissimas expectatum in cœlis Principatum adire debeant & obtinere Date mihi sanctissimam ipsam Christi matrem, an non ejus animam doloris gladius pertransivit? Date Apostolos, illos Christi Legatos, & Ecclesiæ primos Antistites, an non Tyrannorum gladiis & securibus subiicere omnes corpus suum debuerunt? Date Martyres, quãquam jam nomine ipso cruciatos cæsosque intelligitis. Date Confessores, Paulos, Antonios, Hilariones, Macharios, Hieronymos, an non per austeritatem incredibilem, per jejunia, per cilicia, per humicubationes, per vigilias, per flagra ad cœlum contenderunt? Date Virgines, an non virginitatis suæ lilium suo sanguine purpuraverunt, aut inter difficillima certamina intactum servaverunt? Et sane non aliter agere in hoc hujus mundi Campo Martio Candidatus noster potest, quam ut difficultatibus variis & adversitatibus expositis magno animo superare contendat, & superando propositam sibi Gloriam augeat, Quod quoniam jam apud se recepit, & nihil tam esse durum potest, quod subire pro Gloria illa paratus non sit, superest hoc tantum, ut Comitiorum aliquando dies elucescit, quo difficultatibus omnibus expeditus tandem aliquando perita gloria cœlestique Principatu potiatur. At obsecro, quis ille Comitiorum dies? Mortis & judicii dies; mors ambitioni huic & petitioni finem imponet, judicium merita expendet, & laboribus

Amplificatio ad præsens.

Ab enumeratione exemplorum.

Conclusio à comparatione.

Hypotyposis.

præmium ac Gloriam reponet. Parum est vitam deponere, plurimum est in vita multum meruisse. Non bene Candidati officio functus erit, qui favorem tantum expectabit, sed qui meritorum vim ostenderit, atque ita dicere poterit. Æterne Deus, summum Bonum, & infinita Maiestas, quoniam me tuam ad Gloriam creavisti, tuæ Gloriæ, quoad vivere licuit, Candidatus existit: ut me tuum esse novisses, candidam innocentiæ vestem gessi, & ut potui, servavi: pro te omnia in terris deserui, etiam omnium affectum posui, & servivit tantum mundus necessitati. Nihil mihi extra te placuit, ideo omni studio te quæsivi, pro te omnia adversa libenter pertuli, & si virtutis est ac meriti sic mori, pro te morior. Faxit Deus, ita vivere omnes, ita dicere, ita mori possimus. DIXI.

Apostrophe ad ipsum Deum.

ORATIO XXII.
DE THESAURO CÆLESTI.

ITA comparatum est à Natura, Ornatissimi & Humanissimi AUDITORES, ut cum thesaurorum, seu auri vel argenti alicuius, monilium ac pretiosæ supellectilis fieri mentionem homines intelligunt, statim erectis animis & auribus effusisque plane desideriis videre contendant, & tacitis quibusdam votis possidere concupiscant. Verum quemadmodum olim Persarum Regi Dario accidisse historiarum monumenta testantur, ut cum magna aviditate ad Semiramidis Assyriorum Reginæ sepulchrum, in quo thesauros ingentes latere didicerat, accessisset, illudque etiam magno labore aperiri curavisset, nihil tamen in eo præter hanc sententiam insculpta

Exordium à thesaurorum cupiditate.

Comparatio.

scul-

ſculptam, repererit. *Si non eſſes inſatiabilis, mortuorum ſepulchra non attigiſſes* : ita plerumque cupidis hominibus evenire ſolet, ut cum magna animi contentione ad res humanas acceſſerunt, atque in iis theſaurum aliquem ingentem, felicitatem, inquam, poſitam eſſe putaverunt, nihil interim niſi vanitatem, niſi umbram, niſi omnino nihil inveniant. Quæ cauſa eſt cur ego hodie dum regnum cœlorum, ſummum nempe bonum, & ſupremam hominis felicitatem theſaurum eſſe & abſconditum intelligamus, conſtituerim in ejus inquiſitione vobiſcum verſari, & illius aliquando tandem inveniendi modum reperire. Scio enim erectos jam eſſe animos veſtros, & theſauri quoniam à me mentio facta eſt, jam in illud votum abiuiſſe, ut ſi poſſidere fas non ſit, liceat ſaltem videre ac cognoſcere. Vos me cogitatione ſequimini, ego oratione præcedam : ſed adeſte potiſſimum, Adoleſcentes, quorum ætas cupiditatibus innumeris obnoxia, huic uni theſaurorum deſiderio & optimæ felicitatis auiditati facile ſuccumbit. Credo equidem ita vos omnes exiſtimare, non in humilibus agreſtium hominum caſis, non in egenorum & mendicorum tuguriis, non in perſtrepentibus multo labore ſudantium quotidie opificum ædibus, non in vicis, patentibuſque ac nullo muro munitis oppidis, ſed in urbibus, in arcibus, in Regum ac Principum Palatiis, in Nobilium illuſtriumque Domiciliis, in opulentorum Mercatorum domibus vim auri magnam vel argenti theſauroſque ingentes reperiri Si ita ſane, & nos urbem aliquam ingreſſi, (fingite quam vultis opulentiſſimam) num hic, quem quærimus, theſaurus, num hominis optima felicitas deliteſcat, perſcrutemur. Atque inprimis quid tandem eſt, quod Principes illi viri, illi Nobiles, illi opulenti

Cauſa dicendi.

Ad adoleſcentes.

A loco.

Confirmationu exordium,

Negotiatores in delitiis, in oculis, in animis habent, & quo cum potiuntur sese fortunatos ac felices arbitrantur ? Voluptas est, opinor, divitiæ sunt, honor est & excelsa in hominum oculis ac veneratione dignitas. Quid ? etiamne voluptas, illa est a serpentis, cicura, virtutis; spuma & sperma Veneris, sentina & tæda turpitudinis thesaurus erit hominis & suprema felicitas ? Fierine potest, ut Sardanapalus aliquis libidinum ac voluptatum Charybdis felix evadat ? Ita quidem porcus ille Aristippus olim existimavit, verum non hominis sed pecudis voce locutus. An non Balthasar ille Babyloniorum Monarcha in ipso mensæ apparatu regioq; convivio confossus fuit ? An non Attila Rex in novæ sponsæ amplexibus expiravit ? An non Galliarum Rex Henricus II. cum Philippo Hisp. Monarchæ in matrimonium filiam dedisset, in ipsa nuptiarum festivitate ex crustulo fractæ lanceæ per oculum in cranium ejus ingesto inopinata morte sua summam lætitiam in miserabilem luctum ac mœstitiam convertit ? *Usque adeo nulla est sincera voluptas, sollicitumque aliquid lætis intervenit.* Usque adeo quicquid à Baccho est, irritamentum est Veneris; quicquid à Venere, mortis præludium; quicquid à quacunque corporis voluptate, belluinum. Apage igitur fœda ingluuies, spurca & salax voluptas, homine indigna mollities, neque enim esse felicitas in te potest, in qua fœditas est; infirmitas, pudenda calamitas. Do exemplum, vos ut in speculum oculos coniicitote. Fuit Ducis cujusdam Venetorum uxor, Damiano teste, quæ usque adeo mollis, delicata, & multo luxu fracta fuit, ut non aquis communibus, sed roribus matutinis, quos colligi laboriosissime curabat, lauaret, non cibos ad mensam manu contingeret, sed fuscinulis aureis ori admoveret.

Voluptatis contemptus.

Huius mala ab exemplis.

Definitiones conglobatæ

Ab exemplo Veneta luxuriosa.

Corpus suum unguentis quotidie fragrantissimis perfundebat, cubiculum pretiosissimis aromatibus vaporabat; quidquid luxus ingenioso genio suggerebat, id omne in se & circa se consumebat. Quid deinde vero? Divinitus (ita n. opinor) gravi morbo percutitur, ex morbo corporis putredo; ex putredine graveolentia ac fætor tantus exoritur, ut intueri eam nemo posset, adesse illi nemo sustineret. Vna erat & fida illi ancilla, quæ aromatum multorum auxilio, & occlusis naribus raptim quotidie cibum illi porrigebat, & festinantius inde recedebat. Fædum profecto, sed verum, lamentabile, sed utile posteris omnibus ac sæculis exemplum, nullam esse in corporis delitiis ac voluptatibus fælicitatem. Discutiamus iam divitias, & si quid est fælicitatis in illis, excutiamus. *Alterum argum.* Quanquam si nihil aliud sunt aurum & argentum, quam Naturæ stercora, quo omnem in scopulum rapiuntur; si sunt irritamenta malorum, ut appellavit Poeta, qua lege summam in iis fælicitatem ponemus, & Crœsos, Mydas, Polycrates beatos dicemus? Illæ Cræsum ad rogum, Mydam ad extremam famem, Polycratem ad crucem perduxerunt. *Mala divitiarum.* Ita excæcant, illaqueant, perdunt. Perdunt, inquã, & obsecro perditionis horrendæ miseriam: quam aurum inducit, considerate. Refert Niderius fuisse Constantiæ civem quendam, qui aurum suum *Ab exemplo alicuius Constantiensis.* usq; adeo perdite deperibat, & insano eius amore inflammabatur, ut cum in morbum incidisset ne quid de auro suo detrahere cogeretur, in Xenodochium sese deportari curarit. Hic cum subeundam esse fatalis horæ legem animadverteret, & iam inter gravissimos cruciatus deficiente paulatim animo mortem ipsam anhelaret, jusculum aliquod ex leguminibus sibi parari, & ad se suum aurum adferri petit. Paratur jusculum, aurum adfertur, cuius aspectu ille animo vehementissime commotus lacrymari, & abruptis singultibus

eiu-

eiulare cæpit; tum admota, ut potuit, manu aurum accipit, iusculo & offæ suæ immiscet, arreptoque argenteo cochleari in os aliquoties ingerit, sed ingerendo, dum & ipsum devorare cochlear contendit, devorando suffocatur. En illa, quam ab auro miser auarus reportavit fælicitas, imo sanè æterna calamitas. Sed eiusmodi innumeris inhærere nihil attinet, dignitatum humanarum fastigia respiciamus, forte in purpura delitescit fælicitas, & Aularum regiarum splendoribus exornatur. Bene quidam regnorum quandam inflexionem grămatico more complexus est hoc versu:

Tertium Dignitates humanæ.

Regnabo, regno, Regnavi, sum sine regno.

Horum inconstantia.

Ita regnorum illa, si dicenda fælicitas est, in cursu est, stationem non habet, voluitur ad metam, ad mortem, lubrica est fortunæ scala, unde Cæsar cum pompa, Alexander cum sceptro cecidit. Videre vultis, quem pene novistis? Demus in noto exemplo rem notam: Philippus II. ille Hispaniarum & indiarum monarcha, cum in supremo magnitudinis terrenæ fastigio positus, persolvere extremum naturæ debitum deberet, pheretrum, quo componi defuncti corpus oportebat, suo in conspectu collocari coronamque, regium capitis decus, una cum mortui calvaria superimponi iussit, tum ad se filium filiamque acciri, qui ubi ægro adstaret, *En*, inquit, *aspicite in hoc afflictissimo corpusculo, quam tenui filo pendeat, pompa & splendor magnitudinis terrenæ. De mortali quidem vita actum est ilicet, sola sepulchri cura restat, vos ex me rerum humanarum instabilitatem & miserrimam vitæ conditionem animo reputate.* Ita ille inter morbi cruciatus, ut appareret mentem eius tranquilla pace ac securitate conscientiæ sustentari. Nimirum & sceptra & diademata sepulchris invol-

Ab exemplo Philippi II.

vun

vuntur, & honorum fila, ne qua in iis felicitas ponatur, mortis falce rescinduntur. Immo vero ne felicitas hic sit ulla, fortuna est, quæ omnia attollendo deprimendoque versat, & versando consumit, & consumendo odisse facit. Ventidium non ignoratis quem, ut inquit Sabellicus, Fortuna lusit & lusit ad derisum usque mortalium & vitæ ludibrium. Is puer bis ductus in triumphū est, & quidem in matris sinu ante currum Imperatoris; & adolescens tergendis mulis & vehiculis sordide victum invenit; inde cæsaris internuntius, mox tribunus plebis, urbis tandem Prætor. Retrahente se fortuna hostis cum Antonio judicatus, eodem redeunte Pontificatum & consulatum est adeptus tanto omnium risu, & vulgo viis urbis hi versiculi perscriberentur, *Concurrite omnes augures, aruspices portentum inusitatum conflatum est recens. Nam mulos qui fricabat Consul factus est.* Ita fluxu fallacique specie & volucri orbe res humanæ & dignitates circumaguntur. Naves sunt in procelloso mari, fluctibus nunc huc, nunc illuc impelluntur, nunc in altum deducantur, nunc in profundum deiiciuntur: felicitatem, quæ solida, stabilis, æterna esse debet, non habent. Nondum igitur veræ felicitatis thesaurum invenimus. Quid si in splendidis ædificiis, ac portentosis illis stultorum hominum ac Regum operibus esset? Pudet sane suspicari. Quid si in elegantis corporis formositate? Ita sane: *Sunt apud inferos tot millia formosarum*, inquit ille; & ipsa nunquid

Exemplum Ventidii.

Allegoria.

Quintum Argumentum.

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo?

Quid si in scientia ac præclara illa rerum omnium cognitione? At vero ipsa decrescit, defluit, præ-

Scientiarum inconstantia.

præterit, labitur dum memoriam vacillat, ingenium deflorescit, prudentia labascit, industria flaccessit. An non Angelus Politianus & Albertus M. omnium, quæ scivere, repentina quadam amnestia sunt obliti? An non Origenes. Tertullianus, Hozius (quam Deus bone magni & illustres viri!) nos, non secus ac Salomon, de sua incertos salute reliquerunt? Sed aberramus, AVDITORES, qui in urbibus ac speciosis hominum domiciliis summum hunc Thesaurum, quem in agro absconditum ante dicebamus, perquirimus; efferamus igitur hinc pedem, & in agros abscedamus, Ampla hic omnia, vasta, & in omnes partes diffusa: illic Cœlum stellatis ignibus ornatum ac distinctum, hic terra plantis & floribus vestita; illic aër, quem viventes respiramus, hic mare fontes, flumina. Quam ergo nos in partem vertemus? à quo thesauri hujus absconditi locum petemus? Fortunati si quispiam hic adesset, qui digitum intendens monstraret. Agite vero, obsecro vos, si Regis aut Imperatoris alicuius Palatium ingressi in eo aulas omnes inferiores, triclinia, ac conclavia cum arcubus ac porticibus servorum usibus destinata videretis, sed in quibus laquearia gemmis innumeris & pretiosissimis distincta, ac tabulis quibusdam eburneis versatilia noctes & dies vice mundi circumagerentur, pavimenta vero ex Iaspidibus essent argento purissimo illigatis, & interpositis quibusdam fistulis, ex quibus flores exsilirent, & unguenta emitterentur; mensæ interim & subsellia ex solido auro fabrefacta, valuæ ex dentibus elephantis, Aulæa pulcherrimè picta & smaragdis contexta; nihil non magnificentiam & incredibilem opulentiam ipso tantum aspectu testaretur, quid cogitaretis? quid diceretis? quis tum esset sensus animorum vestrorum? Nonne ita diceretis Admiranda est profecto tanti Imperatoris magnificentia, incredibilis thesau-

Transitio ad contrariam partem.

Regii ac splendidi alicuius Palatii descriptio.

aurus, infinita opulentia. Si enim tanto apparatu atque in ipso quodammodo fælicitatis, ipsius domicilio servos suos homines vilissimos & obscurissimos habitare cupit, quas non ipse Imperatrici filiis, honoratis familiæ suæ Nobilibus cænationes? quas non Aulas; quæ non conclauia omne auri, atgenti, gemmarumque pretium, omnem etiam celeberrimorum quorumcunque artificum industriam superantia reservavit? Ita sane diceretis, & nunquid simul animos curiosa quædam cupiditas incesseret superiorem illam Imperatoris Aulam invisendi, omnia attentis oculis perlustrandi, dicamne etiam ibidem habitandi, Imperatoris conspectu perpetuo fruendi, incredibili illa felicitate potiundi? Omnino, omnino cupidos ac curiosos animos cupiditas inflammaret. Quid? noster hic mundus ea pars est magnificentissimi & opulentissimi Regis Regum Palatii inferior, in quam nos homines servi vilissimi & obscurissimi habitamus, & ubi cælum tot syderibus tanquam gemmis quibusdam lucentibus ornatum pro laqueari, terra tot & tam varii generis floribus picta pro pavimento; Oriens, Occidens, Meridies, Septentrio pro lateralibus parietibus sunt: interim una argenteo lumine suo argentea, Sol aureis radiis suis aurea quodammodo, quæcunque hic sunt, universa facit. Iam vero si tanta est magnifici huius in terris apparatus pulchritudo, quantam existimabitis esse superioris illius Palatii excellentiam, in quo DEVS ipse Imperator est, MARIA Deipara Imperatrix, Divi omnes & Electi filii, Angeli Ephebi aliqui, & aliqui Nobiles honorati? Huc oculos ad hoc cæleste Palatium attollebat Moyses, gloriosissimus ille Israelitarum ductor, cum diceret: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel.* Huc respiciebat Iudæorum ille

Amplificatio.

Hypotyposis.

Applicatio huius ad cælestem splendorem.

A variis testimoniis.

Her-

Hercules David, cum inflammato perculsus affe-ctu exclamaret: *Quam pulchra tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria tua Domine.* Ita nimirum res omnes, quotquot vi divinæ Omnipotentiæ sunt creatæ, atque ipse mundus universus, si cælum, si terram, si aerem, si ignem, si Solem, Lunam, sydera; si animantia, plantas, reliqua omnia intueamur; thesaurum illum, quem inquirimus, ostendet, & in supremo illo Divinæ Maiestatis Palatio, in arca cælestis eius Gloriæ & æternæ felicitatis latere demonstrabit: *Quotiescunque enim*, ut verbis Richardi, Doctoris utar, *per visibilia ad invisibilium speculationem assurgimus, quid aliud, quam quandam scalam erigimus, per quam ad ea, quæ supra nos sunt, mente assurgimus?* Invenimus igitur abscon-ditum illum thesaurum, non illam sane argẽti vim & auri, quam admirari homines solent; non illas, quæ nunquam esse possunt sine spurcitie, voluptates, nos fastuosos illos, fluxos, & larvatos tantum mundi honores, sed æternam illam, quæ sola Dei possessione, fruitioneque continetur, fœlicitatem. Sed ecce videor mihi vestris in animis hanc cogitationem intueri; quid tandem est in isto fælicitatis æternæ thesauro? Vultis dicam? quicquid tandem optare cogitando potestis. Optatisne voluptates? *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos.* An divitias? *Gloria & divitiæ in domo eius.* An Honores? *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* An aurum? *Ipsa ciuitas aurum mundum.* An delectationes? *Delectationes in dextera tua usque in finem.* An scientiam? *Scientiam Sanctorum narrent populi.* An libertatem? *Quæ sursum*

Verus thesaurus quis sit.

Amplificatio huius ab enumeratione partium.

sum est Ierusalem libera est. An pacem & securitatem? *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia.* An Symphoniam & Musicam? *Cherubim & Seraphim non cessant clamare Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Vultis cubilia & lectos, ut post omnem gloriæ oblectationem quiescatis? *Exultabunt Sancti in Gloria lætabuntur in cubilibus suis*? Quid amplius vultis? *Veni*, inquit Moysi Dominus *& ostendam tibi omne bonum*, in illo suo nempe fælicitatis æternæ thesauro. Fateor equidem multa etiam esse in hoc orbe præclara ac magna, at vero non ut iis cælestem illum thesaurum postponamus, sed ut cum D Augustino ita ratiocinemur: *Si tanta tribuis nobis in carcere, quid dabis in patria? Si tanta tribuis amicis & inimicis, quid est quod servasti solis amicis?* Nimis viles, abiecti, ac non etiam generosi sunt, qui in hoc orbe tanquam in cæli atrio subsistentes inventis bonis oblectantur, & contenti sunt, nullam interim cælestis thesauri cogitationem assumunt, Datur etiam aliquid ultra, non hic figendæ sunt Herculis columnæ. Et sanè cum illa semel potentissima cælestis thesauri cupiditas generosos animos invadit, bone Deus! quo non ardore mentem inflammat? quos non vehementissimos motus excitat? quo non rapit, & vero etiam totum hominem abripit? Invaserat illa cælestis thesauris cupiditas Rachisium Longobardorum Regem, cum Perusiam obsidione cinxisset. Quid deinde vero? coronam capitis decus subito abiicit, copias relinquit, exercitui valedicit & Paduæ religiosam vestem assumit. Occupaverat animam Margaretæ Belæ Hungariæ Regis filiæ, cum illam tres Monarchæ potentissimi, Poloniæ, Bohemiæ & Siciliæ Reges ad nuptias sollicitarent

Absconditi thesauri. virtus.

Ab exemplis

rent: Quid deinde? Illa se Virginitatis voto Deo obstringit: hi ad Apostolicam sedem confugiunt, voti solutionem petunt, impetrant, & factam ad nuptias celebrandas, potestatem reportant; at illa prius, inquit, mihi & nasum & aures præscindam, quàm à fide Deo data recedam; abiit, & viginti quatuor annos in monasterio traduxit. Impulerat eadem illa cupiditas Iudocum regium, in Scotia adolescentem, cui cum Indacellus frater eius & Scotiæ Rex sceptrum regnique administrationem cedere paratus esset, ut rerum humanarum impedimentis exutus ad occupandum hunc aliquando thesaurum properaret ille annuere se finxit, & mox omnibus insalutatis fratris sui desideria præveniens religiosæ vitæ instituta suscepit. Nihil attinet plures huc evocare, sed interim, quam multi sunt, qui etsi multa de hoc thesauro, non rumore aliquo vano, sed certissima fide percipiant, non excitantur tamen, non moventur, hærent, & torpent? An quia, ut ille in fabulis Gallinaceus gemmam in stercoribus ac fimo inventam, quoniam vim eius ac pretium ignorabat, reiecit; ita ipsi ignorant, negligunt ac contemnunt? Dici sane id non potest. An quia mundum contemnere, quod oportet, nolunt? Suspicor profecto. An quia multo labore est opus? Ab hoc ipsi, ut opinor abhorrent. An quia exigenda est à nobis de peccatis nostris vindicta & pœna? Idipsum est, tanti, inquiunt, (aut certe cogitant) pœnitere non emimus. Sed non hominum ea vox est, perditorum est, insanorum est, eant ipsi, & pereant. Non vos ii estis, Ingenui & bene nati ADOLESCENTES; vestris enim in animis ingentem cælestis thesauri cupiditatem ardere, videre mihi videor. An non ita est? testor istam vestram hodie pietatem, qua singulari cum ardore Divæ Annæ supplices facti, eius opem ad hunc aliquando thesaurum obtinendum efflagi-

Aliud.

Adhortatio ad illos qui hunc thesaurum negligũt.

Traductio.

Apostrophe ad Adolescentes.

tati

tatis. Bene, bene, ADOLESCENTES, illa enim est quæ prisci ævi mortalibus, ad hunc thesaurum magno animo adspirantibus, sed unde haberi posset, ignorantibus, locum ostendit, arcam ipsam protulit, & ex arca filia sua thesaurum ipsum, Iesum Christum sæculis omnibus ostendit. Ite ergo magnis animis ad illam, & per illam ad Arcam Mariam, & per hanc ad ipsum felicitatis omnis thesaurum, quem ut nobis Divina Maiestas concedat ex animo precor & opto. DIXI.

ORATIO XXIII.
DE PERFECTIONE CHRISTIANA.

Exordium ab exemplo Polemonis, eiusq; conversione.

POLEMON nobilis olim apud Athenienses Adolescentes, AVDITORES, cum insolenti ac juvenili quadam audacia comitantibus nonnullis aliis liberioris vitæ juvenibus Collegis suis in Xenocratis Philosophi scholam, qui tum apud suos de temperantia virtutumque dignitate disserebat, ebrius, irruisset, ita repente immutatus animo menteque fuit, ut corollam capiti suo detrahens ac conculcans, nuntiumque lascivo isti Sodalitio remittens in Xenocratis sese disciplinam tradiderit, apud quem brevissimo tempore eos in morum Doctrina progressus fecit, ut ejus in schola gubernanda non sine incredibili civium omnium admiratione successor extiterit. Cujus etiam rei gratia tanto virtutis ac doctrinæ suæ stupore singulorum tantum animos defixit, ut ejus domi imaginem publico aliquo in loco retinerent, atque eam filiis suis, si quando ad morum honestatem eos inuitare, vel ad vitæ melioris semitam revocare nonnunquã aberrantes vellent, commonstrarent. Admiranda sane dissoluti illius ado-

Applicatio. adolescentis tam repentina mutatio, laudanda vero etiam hominum istorum consuetudo; sed tamen si excitare memoriam ad illius, cujus hodie festum diem solemni pietatis officio celebramus, recordationem libeat, parum aut nihil admirationis in eo fuisse dicemus, quod homines tamen nunquam satis potuerunt admirari.

Exemplum D. Antonii. Divus enim Antonius, quem ego jure merito Anachoretarum magistrum, solitudinis splendorem vitæ perfectioris exemplar appello, cum in templum (pietate dicam an consuetudine, aut curiositate fortasse motus non satis scio) cum in templum tamen ingressus esset, atque illam Euangelici consilii vocem vacuis auribus & erecto

Eius conversio. animo percepisset; *Si vis perfectus esse, vade vende quæ habes, da pauperibus & veni, sequere me*, ita divina quadam metamorphosi animum omnem & susceptas vitæ rationes immutavit, ut protinus abdicatis à se facultatibus omnibus patriis & avitis, quarum pretium in pauperes effudit, recisisque corporis voluptatibus, & contempta rerum humanarum dignitate atque opulentia ad Christi Servatoris nostri vestigia non degeneri æmulatione terenda sese contulerit. Et quoniam summa utilitate carere non potest, si ejus non raro imago animi oculis obuersetur, id enitar hodie vestra omnium pace ac benevolen-

Propositio tia, ut verissimis juxta & excellentissimis D. Antonii coloribus virum numeris omnibus absolutum, perfectumque Christianum vobis repræsentem. Permittite ut hanc effigiem, qua nihil præstantius aut admirabilius esse potest, vestris in animis non tam eloquentiæ fastuosæ, quam pietatis ipsius submissæ penicillo depingam. Animos enim vestros salutari quodam affectu impellere, non auribus phalerata ingerere verba contendo.

Ex-

Extitit aliquando quidam, Taulero teste, ex eorum, ut arbitror, numero virorum, qui ad sacrarum disciplinarum studium suam operam omnem ita contulerunt, ut perfectiorem quandam vivendi normam profiteri se velle dicant, qui cum octo jam annorum intervallo multis precibus à Divina Majestate contendisset, ut sibi eum aliquando intueri contingeret, à quo veritatem ipsam, & absolutam Christianæ vitæ perfectionem edoceretur, divinitus, ita credo, ut ad limina templorum exiret, admonetur. Patet ipse divinæ voci, exit, & quo mittebatur, ad ædium sacrarum fores festinat, ubi cum hominem conditione mendicum, natura ægrum, corpore toto pene nudum sordidumque repetisset, commiseratione motus inprimis, tum divinæ voce recordatione concitatus, prosperum illi, fortunatum, ac felicem diem apprecatur. Quem ille cum audivisset, & vero, inquit, quid ista me apprecatione salutas? prosperum semper ego diem sum nactus, qui, quæcunque tandem tempestas exsurgat, nunquam à divinis laudibus cesso; semper mihi fortunati ac felices dies illucescunt, qui omnia lætus & alacer à Deo tanquam optima suscipio, & meam illi voluntatem totumque meipsum resigno. Atque ut hujus, etiam voluntatis meæ affectum cognoscas, si ita fieri posset, ut benignissimus ille Deus infra ipsam inferorum abyssum deturbare, æternumque ignium cruciatibus adjudicare me vellet, duo mihi sunt brachia; humilitatis unum, alterum amoris, illud ipsi supponerem & humanitati ejus unirer, hoc vero ipsum amplexarer, divinitati ejus conjunctus adhærerem; mallem quippe cum Deo apud inferos esse, quam in cœlis sine Deo. Hoc responso cum attonitus alter amplius tamen percunctaretur, quis esset, unde venisset, qua via ac ratione ad tantam illam vitæ perfectionem

A facto Theologi cuiusdam.

Mendici descriptio.

Vere perfecto Christiana.

perveniſſet, Rex, inquit, ſum ego, tu regnum meum ſi noſſe cupis, in anima mea eſt, cujus omnes ſenſus ac facultates rationis ſceptro ſub imperio contineo. A Deo ipſo huc veni, quem ibi jam pridem inveni, ubi creatas res omnes reliqui & affectu generoſo contempſi. Viæ, quibus ad perfectionem hanc vitæ ſum perductus, hæ ſunt, Silentium meum, ſublimes animi cogitationes, & ſuaviſſima cum Deo conjunctio in nulla re, quæ quidem minor eſſet Deo, quietem inueni, hanc in Deo tranquilliſſimam jucundiſſimamque poſſideo. Obſecro jam vos omnes & obteſtor, AUDITORES, quiſquamne, non dicam ex humanæ Philoſophiæ ſpatiis, ſed ex ipſis divinis ſapientiæ adytis, quicquam potuit vel ad ſalutem auſpicandum utilius, vel ad cœleſtem illam gloriam, qua Divi omnes perfruuntur, aucupandam potentius pronuntiare? Ea ſane omnia talia eſſe exiſtimo, quæ permovere eorum omnium animos poſſint, qui in legem ſceleratiſſimæ flagitioſiſſimæque vitæ juraverunt, ut vel aliquando tandem pro mundo Deum, pro terra cœlum, pro turpitudine honeſtatem, pro ſpurcis momentaneiſq; voluptatibus, divinas æternaſque delitias ſuo amore complectantur. Atque ex iiſdem etiam illis oraculis jam conficere mihi poſſe videor, eum eſſe ac vere dicendum perfectione Chriſtiana virum abſolutiſſimum, qui univerſis ſeſe mundi facultatibus abdicarit procul ab hoc rerum humanarum orbe generoſæ voluntatis ſaltu poſiliendo, & ad Chriſti vitæ imitationem, quantum quidem aſſequi per naturam homo poteſt, tanquam ad veriſſimam inſtituendarum vitæ rationum diſciplinam tranſiverit. Duo quippe neceſſaria ſunt ei, qui ad perfectionem contendit, omnia relinquere, Chriſtumque ſequi; quæ cum à Sanctiſſimo Antonio, quem perfectiſſimum fuiſſe virum nemo dubitabit, præſtita ſint ambo in u-

Via ad dictam perfectionem.

Contrapoſita.

tro-

troque, sed quasi lento cursu transeuntes, commoremur. Atque in primis cum in omnium hominum animis insitus sit quidam à natura humanarum rerum amor tam vehemens tamque potens, ut non pauci reperiantur, qui pro nescio quo; ut appellant, honoris puncto, aut pro paucis iisque perituris brevi fortunæ bonis, vel etiam pro fœditissima aliqua voluptate, qua potiri, dicere volebam defœdari) concupiscunt, vitam suam in gravissimum discrimen adducant, tum opus est cælesti illo amore, qui & mentem excæcatam divina quadam luce illuminet, & ardentes in ea cupidinis humanæ flammas extinguat. Opus est, inquam, ut amoris divini sagittâ sauciatus hominis animus, ita extra mundum ac seipsum velut abreptus feratur, ut præter Deum nihil amare nihil optare, nihil omnino possidere possit, aut velit. Hæc est amoris illa sagitta, quæ cum primos religionis nostræ Antistites Petrum, Andream, Matthæum, alios, ac Paulum denique vulnerasset, eodem ictu rerum omnium contemptores ac mundi victores effecit. Hæc est illa, qua percussus aliquando Theonas Anachoreta, cum hunc recitari è Psalmis versiculum audisset: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*, confestim in abditissimam eremum eo consilio properavit, ut inde non prius, quam animum solidissima virtutum omnium armatura munivisset, egrederetur. Hæc est illa, cuius ictum cum innocentissimo animo Theresia mater excepisset nondum annum ætatis septimum egressa, protinus comitante parvulo fratre Mauritaniam versus iter aggreditur, ut sui inter Barbaros populos sanguinis profusione morteque pro Christo suscepta, amoris, quo flagrabat, vim potentissimam attestaretur. Nimirum candidati illi animi, qui non magistratum in terris

A perverso more hominum.

Repetitio.

Divini amoris virtus

Ab exemplo Theresiæ.

Christianæ perfectionis alacritas.

aliquem, non regiam, non Imperatoriam dignitatem, sed Cælum, adeoque Deum ipsum ambiunt, ubi inspirationis alicuius divinæ sentiunt impulsum, è vestigio prompti alacresque oculis & affectibus irretortis evolant, quo vocantur. Nulla hic tergiversantis animi consultatio suscipitur, non aliqua temporis exigui mora postulatur, non ad consilium patentes, consanguinei, amici, vel potius ad effectum divinitus impressum humano affectu minuendum adhibentur: sed quemadmodum audito tubæ vel tympani sono generosi milites promptissimis animis ac pedibus in campum prosiliunt, ita illi, quorum animum ac conscientiam divinæ voluntatis impulsus perculsit, relictis omnibus concitato cursu contendunt. Dilatio, divinorum affectuum est ruina, & ineptæ timiditatis est argumentum, vocante Deo ratiocinari. Sapiens est divinus Amor, hominum enim animos ab his rebus caducis ac perituris, ad æternas & immortales transfert. Potens est divinus amor, nam affixas terræ mentes una tantum adspiratione divina, cum vult in se convertit. Bonus est divinus amor, quippe detestandæ hominum malitiæ ita frequenter occurrit, ut qui in flagitium exitiumque suum depravatæ naturæ pondere præcipites ferebantur, eos in spem certissimam salutis erigas, & ad melioris vitæ cursum inflectat. Et vero cum huius amoris flamma hominis alicuius animus est incensus, quid non agit ac molitur, ut facultatibus omnibus humanis sese expediat, omnia fortunæ dona elato pede conculcet, suos ipse affectus, sua desideria & animi cupiditates, suam denique naturam propemodum immutet? Considerate hominem aliquem febricitantem, cuius in visceribus vehementissimi calores excitantur, an non stragulas omnes vestes, quibus antea tegebatur, impatientissimis manibus ad pedibus re-

Similitudo.

Virtutis & præstantia divini amoris.

A febricitante.

repellit? Considerate domum aliquam quantumvis amplam & vastam, cuius vel tectum, vel parietem aliquem flamma corripuit, an non in ea, in quo domestici sunt suppellectilem omnem & quicquid esse pretiosum potest de fenestris deturbant & eiiciunt? Ita plane, qui perfectionis Christianæ studio ducuntur, omnia à se tanquam impedimenta virtutis amoliuntur, voluntatem suam ac proprium affectum tanquam obstaculum seponunt, & quoniam divinis ardoribus mirum quantum inflammantur, pati secum nihil rerum cæterarum omnino possunt. Non arbitror vos hic temeritatem aliquam aut imprudentem subiti caloris impetum cogitare, ne dicam arguere, nihil enim hic aut iudicio certo, aut consilio divino caret. De Monocerote referunt Historici, solere eum nescio qua Naturæ industria cornu suum, quod unicum habet, subito impetu frangere, inque viam abiicere relinquereque, ut insequentes celerrimo cursu venatores, quos huius præstantia ad tot labores exanthlandos invitavit, in eo colligendo morentur. Pari solertia instinctuque Naturæ Cervi cum animadvertant ramosa illa cornua sua non leve sibi ad cursum impedimentum esse, certo anni tempore ea deponunt, itaque semper memores expediendæ salutis sunt ut sedulo caveant, ne cibo nimio onerentur quo ad cursum languidi ineptique reddantur. Et nunquid optabilius est caducas aliquas fortunæ exuvias, & leves tantum prosperitatis suspectæ plumas (ita divitias appello) aspernari eiicereque, quam earundem possessione in exitium adduci? Non potuit Vlysses inter fluctus commoti maris periclitans enatare, nisi pretiosissimam illam Calypsus vestem à se removeret. Non potuit castissimus Iosephus in Putiphatis Ægyptiorum Præfecti domo integritati suæ consulere, nisi clamydem in suam, in quam iam impudica mulier ma-

Ab ardente domo petitũ argumentũ.

A natura Monocerotis

A natura cervi.

Vlyßis factũ

nus iniecerat, fugiendo desereret. Producere vobis hic possem numerum aliquem innumerum, non dico hominum opulentissimorum aut nobilium generosissimorum, (possum tamen) sed Ducum, sed Regum, sed Imperatorum; aliquos Rachisios, Lotharios, Pipinos, Vibeanos, Indacellos, Carolos, Richardos, sexcentos alios, qui ut perfectionis Christianæ studium amplecterentur regnis & Imperiis sese abdicaverunt, sceptra & diademata abiecerunt, voluptatibus & honoribus valedixerunt. Nec defuerunt non inferioris animi Reginæ & Imperatrices Cunegundes, Agnetes, Augustæ, Batildes, Radegundes, Margaretæ, quarum ea animi persuasio fuit, perfectum esse Christiana virtute eum hominem non posse, qui in rerum humanarum possessiones immersus esset, aut ullo perituræ vitæ desiderio teneretur. At dicet fortassis aliquis, speciosè tu quidem ista commendas, at quam ardua? quàm difficilia? quam ab huius naturæ nostræ sensibus aliena? Virum ego, AVDITORES, perfectum quæro, & repræsentare speciem saltem eius aliquam contendo! sed tamen, quis non potest? Potuit Anaxagoras, qui cum in patriam ex navigatione reversus, quæ reliquerat, dissipata omnia reperisset, non essem, inquit, ego salvus, nisi hæc omnia periissent. Quis non potest? Potuit Zeno, qui cum sua omnia demersa esse intellexisset, iubet, inquit, me fortuna expeditius Philosophari. Quis non potest? potuit Bias, qui præter se nihil ex patria bonorum asportavit. Potuit Crates Thebanus, qui immersum auri pondus in aquas abiecit, ut pessum potius malæ cupiditates abirent, quam ab iis ipse mergeretur. Potuerunt alii quamplurimi gentilitiis tamen erroribus excæcati; & non possent, qui religionis veræ lumen acceperunt? qui ad salutis portum veteribus ignotum velis remisque contendunt? qui gra-

Ab exemplis variorum.

Ab exemplo Reginarum,

Anteoccupatio.

Subiunctio.

A minori ad maius.

gratiam è cœlo habent? exempla vident; inspirationibus divinis aguntur & impelluntur? Quanquam, ut quam arduum hoc sit ac difficile; sed aberro; quam, inquam, nihil omnino difficultatis habent, plurimum vero dignitatis, utilitatis, ac summæ jucunditatis ipsi intelligatis, eos audite, qui experti sunt, & rejectis omnibus ad perfectionis aliquando studium contenderunt; ipsum etiam, si placet, D. Antonium adhuc Anachoretam interrogare. Quæritis cur ab hominum consortio sese substraxit? cur civitatibus solitudinem, hominibus feras, copiæ inopiam, voluptati molestiam, honori opprobrium, opulentiæ egestatem anteposuerunt? Cuncta, inquit, quæ sub sole sunt, vidi, & ecce universa vanitas & afflictio spiritus. Quid mihi est in cœlo & à Deo quid volui super terram? Palatiumne fortassis aliquod regibus ipsis invidendum? Ecce mihi mundus est Aula, in qua cœlum est tectum, terra tabulatum, lectica rupes, pulvinar lapis, herba cibus, aqua potus, interim Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Regnumne aut fortassis Imperium? Latius regno animum hunc meum salutari lege frænando, quam si Asiæ, Africæ, Europæ affusos ad genua mea populos diademate triplici coronatus intueor. Opesne vel honores? Omnis abundantia, quæ Deus meus non est, egestas est: nec splendidior rerum humanarum dominus est, quam qui alta quadam mente contempsit. An denique voluptates? Nunquam me vitæ suavitas major invasit, quam cum me voluptatibus substraxi, in quibus eum multum sit occupationis, tum nihil est omnino veræ solidæque delectationis. Ita ille perfectissimus ac sanctissimus vir aliter respondere non potest. Nimirum;

Ab exemplis & testimoniis.

Christianorum horum pallatium latum imperium.

——*Illuc postquam se lumine vero*

Erexit, vidit quanta sub nocte iaceret.
Nostra dies, risitq; huius ludibria mundi.

Transitio ad aliam partem. Videamus nunc breviter illud, quod caput est perfectionis hujus, & in sincera Christi Servatoris imitatione consistit. Neque enim ad perfectæ vitæ gloriam contendenti satis esse potest, omnes à se mundi facultates abjudicavisse, nisi etjam ad Christi vitæ normam, vitæ suæ rationes instituat ac conformet. Ecce, inquit Apostolorum ille Princeps, reliquimus omnia; quid deinde vero? & secuti sumus te. *Fructus huius imitationis Christi.* Et sane tulit ille perfectionis omne punctum, & suo nomine dignissimam vitam egit, qui insigni aliqua morum æmulatione Christi vitam expressit. Videt illum in ipso quasi paupertatis tuguriolo natum? Amat paupertatem. Cernit illum adhuc tenellum ab effusione sanguinis vitam auspicantem? nullos in stadio virtutis labores reformidat, & adversitatibus delectatur. Intuetur cum matris ac nutricii parentis imperio obsequentissimum? Non est grave ei, cui debeat; juste imperanti obsecundare. *Repetitio.* Animadvertit ubique humilem, ubiq; mansuetum, ubique misericordem? gaudet nulli submissione profundissima cessisse, omnes comitate superare, erga miseros & abiectos commiseratione commoveri. Intelligit eum docendo, miracula patrando, beneficia ingenia profundendo ad salutis viam unumquemque vel aberrantem revocasse, vel ignorantem adduxisse, vel tardum & negligentem impulisse? Exardisse alienæ salu- *Amplificatio eiusdem.* tis zelo, & Christiana quadam negotiatione lucrum animarum quærens à vitiis deterret, virtutem instillat, ad melioris vitæ normam suaviter invitat. Audit eum libenter hostibus suis pepercisse; Nihil libentius, quam illatas sibi injurias remittit. Scit eum pro omnibus vitam suam contempsisse, & per gravissimos insuper crucia-

tus

rus animam exhalavisset? Optat vitam vitæ authori reddere, nec ullus est tam necessarius in corpore eius sanguis, quem non pro divini nominis dignitate tuenda, & proximorum salute conservanda profundere sit paratus. Hic est igitur perfectissimus ille, quem inquirimus, Christianus. Talis erat sanctissimus Malachias Hyberniæ Antistes, cui cum mortem Sicarii minarentur, fugam vero amici suaderent, sinite, inquit, magistrum me meum imitari, sine causa enim sum Christianus, si Christum non sequor. Talis erat Beatissimus Ignatius Martyr, qui cum Romæ ad bestias damnatus esset, læto vultu ac sermone hoc solum ingeminabat, nunc tandem Christi discipulus esse incipio, nihil de iis quæ videntur desiderans, ut Christum lucrifaciam. Talis erat gloriosissimus Patronus noster Antonius, qui tanquam excellens pictor aliquis perpetuo mentem atque oculos in Christum defigebat, ut illum in se effingeret, & debitis morum ac virtutum coloribus adumbraret, nunc orando, nunc ieiunando, nunc adversa ferendo, nunc mundum ac Dæmones insidiantes repellendo. Tantus est studiosorum perfectionis Christianæ virorum ardor, ut quam similes esse Christo contendant. Et quemadmodum duo illi apud Platonem amici, cum in via nescio quo casu in Vulcanum incidisset, isque eos, ut quod esset in terris optatissimum, à se efflagitarent, urgeret, nos ambos, inquiunt, tuam in fornacem, ut liquefiamus, iniice, aut supra incudem ita malleis contunde, ut è duobus unus duntaxat efficiamur: eodem plane modo illi perfectionis Christianæ generosissimi æmulatores nihil aliud in votis habent, quam ut amore supra cuncta, quæ quidem interitu obnoxia, elati, durissimisque molestiarum & adversitatum malleis politi, vel quam maxime Christo fiant conformes; vel in Christum transformentur. Quid

Ab exemplis Sanctorum.

Complexio.

Comparatio cum Platonis amici.

ORATIO XXIV.
DE NEGOTIATORE EVANGELICO.

Matth. 13.

CVM multæ ſint, AVDITORES, priſcis illis & Heroicis temporibus ſuſceptæ maxima cum gloria & utilitate vel ad victoriam aliquam ab hoſtibus reportandum, vel ad conquirendum aliud quippiam expeditiones, tum illa mihi nobiliſſima atque omnem omnis ætatis admirationem occupaviſſe videtur, quam generoſiſſimus & fortiſſimus Iaſon ad vellus aureum ex Colchide reportandum aliquando ſuſcepit. Nam cum in ejus celeberrimo frequentiſſimoque comitatu univerſæ Græciæ nobilitas eſſet, eſſent Hercules, Caſtor, Pollux, Orpheus, Telamon, Tiphys, Palæmonius aliiq; plures excellentiſſimi Heroes, tum verò non niſi poſt devoratas itineris periculoſiſſimi moleſtias, poſt ſuperatas Symplegadas & innumeras alias longiſſimi turbulentiſſimique maris difficultates, ac tum ſapientiſſimo mentis conſilio, quod illi Medæa ſuggerebat, invictoque plane robore domitis illis, qui è naribus ignem efflabant, tantis proſtratiſque, qui ex ſeminatis draconis occiſi dentibus proſilierant, hominibus armatis, tandem aliquando nobiliſſimum illud vellus eſt conſecutus. Quod ſi tamen ab antiquo illo Gentilium ævo ad hominum Chriſtianorum tempora revocare memoriam velimus, & eas animo perpendere expeditiones, quas non ad vellus aliquod aureum, ſed ad pretioſam beatitudinis æternæ margaritam obtinendam, nec in Colchi-

Exordium à raptu velleus aurei.

Eius difficultas.

Applicatio ad præſens.

dem, ſed in cœlum, vel olim conſtantiſſimi athlætæ ſuſceperunt, vel hodie laborioſiſſimi negotiatores adhuc ſuſcipiunt, profectò nec in laudatiſſimum Iaſonem laudes aliquas congerere, nec glorioſiſſimam ejus navigationem amplius admirari placebit. Etenim non illuſtres aliquot ad hanc expeditionem Heroes, ſed Principes Reges, Imperatores, & quotquot denique cœleſtis gloriæ ſtimulis excitati Chriſtianæ negotiationi nomina dedere, concurrunt; nec iter per Cyaneas aut Symplegadas, per obſtantes agitati maris undas aggrediuntur, ſed per vitæ humanæ innumera diſcrimina, per medias aſtutiſſimi Dæmonis inſidias, per formidoloſos turbulentiſſimi mundi fluctus, per objectos undique adverſitatum humanarum ſcopulos, ac domitis inſuper potentiſſimis animorum affectibus carneque ſuperata & contemptis voluptatis blandimenta incedunt. Quæ cauſa eſt cur ego hodie, dum illum in Evangelio negotiatorum ad pretioſiſſimam ſibi margaritam comparandam abire intelligimus, atque eam etiam negotiatricem, ſanctiſſimam Annam, celebri feſtivæ lucis officio, & inſigni pietatis affectu veneramur, quæ prima mundo concham illam oſtendit, in qua cœleſti rore pretioſiſſima margarita Chriſtus Ieſus concrevit, conſtituerim hoc tanquam in publico quodam foro Evangelicum ac Chriſtianum vobis negotiatorem repræſentare, atque eam verè cœleſtem negotiationem deſignare, per quam ſi quid in nobis eſt divini vigoris & bonorum æternorum cupiditatis, ad opulentiam nunquam exhauriendam aut perituram contendere aſpirareque debemus. Illud interim à vobis omnibus contendo, ut tantiſper unuſquiſque ſe negotiatorem eſſe, & jam ad nobiliſſimam expeditionem accingi conſtituat; neque vos negotiatoris hoc nomen offendat, non enim eum intelligo, qui fœnori pecu-

Duces expeditionis Chriſtianæ.

Cauſa dicendi.

Propoſitio.

Captatio benevolentiæ.

pecuniam exponit, sed qui misericordiam exercet; non qui vitiorum irritamenta, sed qui virtutum ornamenta providet; non qui lapidum pondera, sed qui morum gravitatem perfert; non qui luxus, sed qui honestatis monilia gestat; non qui voluptatis pompam, sed qui insignia disciplinæ portat ac præ se fert. Eum, inquam, intelligo negotiatorem, non qui ex his, quæ in mundo sunt, rebus lucrum aliquod emendo vendendoque venatur, sed qui omnium commutatione rerum, & assiduo virtutum operumque bonorum exercitio Deum sibi atque illum solum comparare laborat. Vos ut illum intueri possitis & imitari patienter me dicentem audite.

Contrapositio.

Negotiatoris descriptio.

Atque illud inprimis contendo, hominem omnem ita à Deo immortali in hac vitę statione constitutum esse, ut negotiari donec ipse veniat, hoc est virtutibus Christianæque perfectioni studere, Christi ac Sanctorum vestigiis insistere, pro salute nullum omnino laborem recusare, animi sui affectionibus legem ponere. Evangelicæ legis jugum libenter subire, omnino debeat. Ita ipse apud Lucam Deus pronunciavit: *Negotiamini usq; dum venio.* Ita idem apud Matthæum præcepit: *Estote perfecti sicut pater vester cœlestis perfectus est.* Ita per Zachariam aliquando, *Visitasse senos & plebis suæ redemptionem fecisse* declaravit, *ut illi in sanctitate ac iustitia serviremus.* Ita rursus apud Matthæum homines omnes vocat, *Venite ad me omnes, tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Quis igitur otiari audeat, cum negotiari præcipiat Deus? Quis filiorum cœlestis Patris adoptionem tueri velit, qui paternæ sanctitatis imitationem recu-

Confirmationis initium à causa.

Ad negotiationē Christianam invitatio.

ſet ? Quis tanto pretio & à Deo ſe redemptum gloriari præſumat, qui in ſanctitate ſervire redemptori contemnat ? Quis accedere ad Deum aſpiret, & Dei ſuave jugum rebelli cervice excutiat ? Valeant igitur nec in hoc Chriſtianorum Negotiatorum numero cenſeantur illi, qui languidi, ſocordes, otioſi ita vivunt, ut defixis in terram oculis & compreſſis horrore quodam humeris, nihil aliud, quam culcitram, plumas, pulvillos, in quibus ipſi de ſalute nihil ſollici ti jaceant, perquirunt. Puniviſſet profecto homines illos Athenienſium ille Legislator Draco, qui, ut qui otii damnati forent, capite mulctarentur, legem ipſe ſanguine humano ſcripſit & ſancivit. Vtinam vero erubeſcentes recordarentur, ipſas quoque apud Lacedæmonios Deorum ſtatuas in templis armatas extitiſſe, ne aliquibus Dii otioſi viderentur, & ne probra, quæ ab ignaviam in homines jaciuntur ad Deos, quoque referrentur. Neque ſanè ſine cauſa graviſſima Deus in antiqua olim lege præcepit, ut à ſuo miniſterio procul ii repellerentur, qui cæci eſſent, qui claudi, qui fracto pede, qui manu. Verbo dicam, qui ita otioſi ſunt, ut carere oculis, pedibus, manibus, videantur, adeoq; quid agere in hac ſtatione vitæ debeant, non vident, quo ire ſalutis ſuæ cauſa deberent, non contendunt; quod moliri eos pro æterna vita fas eſſet, non agunt. Non mihi hic adſint Negotiatores illi, qui cum multa rectè faciant, & virtutum opera oſtendere ipſi poſſint, interim lucrum aliquod hic in terris caducum, & honoris neſcio cujus, perituri tamen, mercedem de cœlo nihil cogitantes aucupantur. Excuſarem profecto niſi etiam Crates Thebanus immenſam auri argentiq; vim in aquas abieciſſet; & Alexander Severus Imperator, cum ſexdecim vix dum annos natus eſſet, & ob eximias virtutes ſuas magnificis à Senatu titulis decoratus nunquam in

A contrario

A lege Athenienſium.

A præcepto Dei in antiquo Teſtamento.

Negotiatorum huius mundi virtus.

Contemptus horum.

animum induxisset, ut se magnum & patriæ patrem appellari pateretur, Ita ille opes repudiavit, hic honores; ethnici ambo, & nulla, quæ quidem vera esset, religione imbuti. Vtinam eo essent homines illi animo, quo regius quondam Propheta David, procul dubio deposita rerum omnium humanarum cura & affectu, ita cum illo exclamarent: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Nolo etiam hic eos, qui imbelli fractoque animo vel idcirco ab hac negotiatione recedendum sibi esse statuunt, quod à periculis & adversitatibus abhorreant, pati omnino, etiam pro æterna illa beatitudine, nihil possint, Quibus hominibus quantum, obsecro, ruborem incuteret Anaxarchus, qui cum malleis quondam in dolio contusus esset, non ingemuit, sed doloris patientiæ auxilio victor summa lætitia exiliit? Ideo veteres illi Ægyptiorum Sacerdotes Patientiæ Hieroglyphicum Crocodili tergus adumbrarunt, quod quemadmodum usque adeo duritia obriguit, ut nullis quantumvis gravissimis ictibus lædi possit, ita vir patiens nulla omnino adversitate frangatur. Vtinam illi Doctorem Gentium asserentem audirent: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Multæ equidem subeundæ sunt difficultates, sed plurimum propositum est gloriæ, multæ devorandæ molestiæ, & exanthlandi labores, sed æterni per eos adeundi sunt honores, multa superanda pericula discriminaque, sed immortalitas ipsa & æternitas est invadenda. Et quemadmodum Pedaretus olim signa cum hoste collaturus dicenti cuidam magnum esse hostium numerum, tanto, inquit, gloriæ plus referemus, quanto plures interficiemus, ita *Cum regnum calo-*

A testimonio

Præteritio.

Ab exemplo

Ab exemplis Ægyptiorũ.

A causa ad effectum.

Similitudo.

cœlorum vim patiatur, & violenti rapiant illud, quo plus in oppugnatione fuerit laboris, eo plus erit in occupatione honoris. Quanquam meticulosos istos & imbelles, istos terræ filios & solius mundi Candidatos, istos desides & otiosos relinquamus, propiusque ad Negotiatorem nostrum accedamus. Quæritis quemnam illi negotiationis exercendæ locum assignem? Vniversum hunc Orbem. Quodnam tempus? vitæ totius tempus. Quem modum? Cogitate vos hic præsentem Mercatorem aliquem intueri, in quo cum ingens sit ac pene incredibilis lucrifaciendi cupiditas, tum periculorum contemptor animus & ipsa fortuna maiora. Hic cum ad ultimas Indorum oras iter aggredi per vastissimum illud mare constituerit, rebus suis ac possessionibus magna ex parte diuenditis pecuniæ vim aliquam accumulat, res alias, quarum permutatione negotiari cum Indis possit, comparat; uxori, liberis, Patriæ valedicit, & se, suam salutem ac navem ventis atque Oceano committit. Non illum reflectere oculos in terram dilectæ coniugis amor facit, non liberorum charissimorum suavissima recordatio, ut de reditu maturando cogitet, impellit; non viarum longinquitas, non dubia maris fortuna, non incertus navigationis exitus, non instantia & præsentia quotidie pericula ab itinere suscepto deterrent. Trahit illum amor lucri, & tantam in animo eius vim exercet, ut pro eo procellas, ventos, scopulos, tempestates, adeoque mortem ipsam aspernetur, satisque magnum esse solatium videatur, quod hæc aliquando meminisse iuvabit. Ingruitne tempestas aliqua & naufragii metum adfert; vix est, inquit, ut sine tempestate navigetur. Circumsonante horribili strepitu venti, & circa vela, antennas & anchoram sollicitos nautas reddunt? nulla, inquit, sine labore magna opulentia paratus. Hæretne in vadis aut ad scopu-

Transitio ad alteram partem.

A constantia mercatorum mundanorum.

Ab enumeratione periculorum.

Amplificatio eiusdem

pulos affixa navis? Nimium, inquit, felices essemus, si tam facile divites & opulenti fieremus. Ita nulla difficultas animum ejus frangit, nulla adversitas propositi pœnitere facit, nullus fortunæ conatus aut ictus timorem inducit. Portu tandem optato potitur, res suas exponit, commutat, gemmas, margaritas, & quicquid est rarum, pretiosum, ac apud suos inauditum, ut in patriam ipse revehat, magna cura industriaque sibi procurat. Talem, talem ego Negotiatorem hunc nostrum exopto, qui inflammatus beatitudinis æternæ cupiditate firmissimo apud se proposito constituat nullis ærumnis aut adversitatibus cedere, sed invicto per aspera & dura quævis animo ad eam aliquando pervenire. Quid igitur agat, aut quid tandem moliatur? Renunciare cum omnibus oportet, omnia ad cœlestem hanc Negotiationem suscipiendam à se removere, eorum pretio aut commutatione pretiosam illam margaritam sibi comparare, animum terrenis omnibus affectionibus exuere, dies ac noctes de Deo cogitare, & cogitando amare, & ipsum, solum anhelare, ipsum solum reperire velle ac possidere. Deinde vero ubi hæc animo cupiditas insedit firmaque propositi constantia, dare vela ventis oportet, & aspirante gratiæ cœlestis aura eam per medios mundi fluctus ac procellas tenere viam, quæ ad justitiam sanctitatemque per operum bonorum exercitium deducit. Non equidem hic dicam, Audaces fortuna juvat, mirum tamen est quantum generosos & confidentes vis quædam divinæ gratiæ promoveat, ut ubi desperationem difficultas iniicere videtur, ibi vel maximè sperent; ubi periculum moram timore quodam obiiciat, ibi potissimum currant. Et quemadmodum Marcus Marcellus clarissimus apud Romanos Imperator, qui primus tergum Hannibalis in acie vidit, interrogatus à quodam, cur ita audax in com-

Repetitio.

Applicatio ad præsentem negotiatorem.

Requisita ad hunc negotiatorem.

Complexio à facto Marcelli.

committendo prælio, cur ita in conflictu confidens esset; ego, inquit, Romanus sum, & Dux Romanorum, itaque singulis me diebus decet caput discrimini obiicere, hæc enim una ad famam perpetuam est via: ita plane summo ac confidenti animo tot inter mundi adversitates, tot inter Dæmonum insidiantium laqueos, tot inter impendentes quotidie difficultates Christianus esse debet, ac dicere. Ego Christianus sum & Christi miles, itaque singulis me diebus decet adversa forti animo perferre, hæc enim una ad gloriam æternam est via, & est Christianorum fortia pati & agere. Si parentum amantissimorum ac familiarium charissimorum ab hac negotiatione suavissimi complexus revocare videantur, vincat amor pretiosissimæ margaritæ cujus possessione nihil esse potest suavius aut amabilius. Si menti forsitan occurrat, durum esse humanarum rerum affectum ponere, & tot se commoditatibus privare, cogitet felicem ac fortunatam hanc fore commutationem, in qua pro terræ particula cœlum, pro perituris caducisque bonis, sempiternam beatitudinis æternæ possessionem obtinebit. Si Dæmonum frequentes insultus & assidua quotidianaque bella consurgant, reputet apud se nullam esse posse sine pugna victoriam, nullum sine victoria triumphum, & jam de hostibus illis tot Christianorum, etiam virginum tenerrimarum, agmina magna cœlestium omnium admiratione triumphasse. Si maria traiicienda sint, si tempestates perferendæ, si pericula quævis adeunda, si ferrum jugulo aut pectore excipiendum, si corpus secandum aut exurendum, firmiter apud se constituat, felicissimam, tutissimam, utilissimam hanc esse negotiationem, in qua quod comparatur tantæ dignitatis est, ut sanguine consignari & acquiri quavis etjam morte mereatur. Quintus Cicero magni istius

Pericula subeunda.

Prosopopæia

Ab enumeratione subeundarum, in acquisitione huius Margaritæ.

istius Oratoris frater, & in Republica administranda Vir exercitatissimus, cum fratrem illum suum ad Consulatus Romani fasces aspirare non sine confidentia aliqua intelligeret, pauca hæc ad illum verba exaravit: *Peregrinus es. Roma est, Consulatum petis.* Ita dicere volebat: Marce Tulli, amantissime frater, ne tua te fallat ambitio perpende; Consulatum petis, summum in urbe & in orbe Principatum; in urbium Principe Roma petis, nec tu Romanus petis; labore hic opus magno est, & ingentibus meritis; hæc ostende, aut noli ambire. Sed ego retexam sermonem, & Christiano Negotiatori dicam: *Peregrinus es, Cælum est, Felicitatem æternam petis, Peregrinus es;* immo exul & extorris es quid speras? *Cælum est*, & hic quid peregrino ac mortali debetur? *Felicitatem æternam petis* non est illa nisi virtute & meritorum ingenti pondere venalis. Sola desideria felicem facere neminem possunt, laborandum est, negotiandum est. Negotiantem igitur intueamur, & obsecro, putate vos iam in eius officina versari, quem antea ad ultimas Indorum oras profectum dicebamus, nunc vero reversum esse confingimus Christe bone! quam sollicitus? quot & quantis curarum æstibus agitatur? quomodo in omnem omnino partem inquietos oculos circumfert? quantopere oculis, manibus, ore, pedibus est impeditus? Instructa est omnis generis pannis officina, sericis, aureis, argenteis, conchyliatis, illic monilia sunt & multa & præstantissima, hic gemmæ plurimæ & pretiosissimæ, uniones, topazii, sardii, amethysti, carbunculi, adamantes, smaragdi, iaspides. Nihil est, quod venale ipse non habeat, imo plura habet ipse, quam optate aut fingere quis possit. Horis singulis hi & illi, iterum alii, iterumque alii in officinam subeunt: hic purpuram ostrinam pe-

A dicto Ciceronis.

Conversio huius dicti ad præsens.

Negotiantis mundani in officina sollicitudo est studium.

petit, ille amiculum nigellum, hic genualia, ille baltheum; hic uncinulos aut petiscelides, ille plumas versiculores; hic torquem, ille discriminale; alius aliud quidpiam vehementer exposcit, omnibus ipse omnia præbet, vendit, pretium ac pecuniam recipit. Si transeuntem quempiam audiat, sollicitus ne quid emere velit, aspicit; si quempiam oculos in officinam coniicientem videat, confestim, numquid placeat, interrogat; immo merces suas ultro obtrudit, & ad emendum invitat. Adeo nullam lucri occasionem amittit, rationes suas accuratissimo calculo examinatas diligentissimè conscribit, pecuniam, si quæ otiosa sit, ne fructu careat, vel ad nummularios transmittit, vel ad novas iterum merces consignat. Hæc est hominum in mundo negotiantium importuna pene diligentia. Agite vero Negotiator noster quid tandem? Ibit de virtute in virtutem, & eius animus tanquam instructissima virtutibus omnibus officina patebit, nunc precibus ipse vacabit, nunc stipem egeno porriget, nunc ieiunabit, nunc peregrinum hospitio excipiet, nunc ægrum aliquem, aut ad vincula damnatum inviset: nunc lugentem solabitur. Si quem frigore rigentem & nudum adspiciat, veste aliqua reget; si abiectum eriget, si rudem & ignarum, docebit? si quis iniuriam inferat, æquo animo patietur; si irriserit quispiam, magno animo contemnet; si nescio quis fortunæ casus dolorem apportet, forti & invicto pectore excipiet. Interim in hac eius animi officina videre licebit ardentem in omnes charitatem, singularem morum compositionem, ferventem pietatem amabilem æquitatem, admirandam mansuetudinem profundam submissionem. Adeo ut nulla sit virtus, quæ in hoc animo non reperiatur, nullum sit opus bonum, quod non exerceat, nulla sit dies, quæ non aliquid mereatur, nul-

Horum ad Christianam negotiationē applicatio.

Virtutes negotiatoris.

nullum virtutis exercendæ tempus, quod non arripiatur. Et ut tam fortunatam negotiationem novis auspiciis & gratia Deus ipse promoveat, quotidie divino interesse sacrificio & opem implorare, sæpius ad Sacramenta, ad ipsos, inquam, gratiæ fontes accurrere studebit. Hic est negotiationis Christianæ modus, hæc margaritæ acquirendæ ratio, hic unus & assiduus ad æternam illam beatitudinem aspirantium labor esse debet. Producerem huc in medium, & vero etiam dicendo sisterem Antonios, Paulos, Franciscos, alios innumeros Negotiatores verè Christianos, & qui pretiosam fælicitatis æternæ margaritam rerum omnium humanarum contemptu continuoque virtutum exercitio sibi comparaverunt, nisi una hodie sufficere sanctissima Anna posset & deberet: *Gustavit ipsa & vidit, quia bona sest negotiatio eius.* In hac negotiatione non vilis & abiecti erat animi, *manum suam misit ad fortia:* non deses & socors, *digiti eius apprehenderunt fusum, & panem otiosa non comedit:* non erat imbellis & abasperis vultum cum animo reducens, *fortitudo & decor indumentum eius:* Non erat, quæ mundi stultitiæ aures accommodaret, *Os suum aperuit sapientiæ:* erat vero quæ misericordiæ suæ beneficia apud pauperes & egenos collocando egregie negotiaretur. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Erat eius animus virtutum omnium quoddam domicilium & officina; in eo prudentiæ Topazii, iustitiæ Sardii, fortitudinis Adamantes, temperantiæ Amethisti, liberalitatis Smaragdi, amoris proximi Iaspides, pietatis Chrysoliti, vigilantiæ Carbunculi, castitatis monilia, honestatis omnis & sanctitatis insignia. In eo, inquam, quicquid exornare animum potest reperie-

Prætermissio

Ab exemplo D. Annæ.

Eius virtutes.

riebatur, ideo mulier ipsa fortis, cuius procul & de ultimis terræ finibus pretium; ideo Deiparæ mater, & Dei avia inusitato prorsus honore est effecta. Sed & vestra iam, Adolescentes, negotiatio quædam est currentis ætatis, & expeditione suscepta ad obtinendã pretiosam illam margaritam abitis. O quam pulchra est & quam fructuosa cum hac sanctissima Patrona vestra negotiatio, à qua nõ emendo, sed imitando tot virtutum ornamenta comparare fas est? An expeditos forsan animos socordia detineret? Absit vel ullam in Adolescentibus bene natis socordiam suspicari. An imbecillitas avocaret? Generosi nunquam animi argui volunt imbecillitatis. An difficultas deterreret? Ignauorum est ad ardua non niti? nec satis est iucundum, quod labore non constat. Ipsa vos ætas vestra, ut comptuli, ut ornati, ut splendidi esse velitis adhortatur, non illis dico vitiorum irritamentis, corporum paramentis, superbiæ vexillis, vanitatis quisquiliis, sed virtutum unionibus, morum elegantia, honestatis insignibus. Nec corpora tantum quotidie proceritate aliqua, sed & animi virtute crescant, & in hac assidua negotiatione æmulatio quædam adsit animorum, ut alii aliis sitis opulentiores. Hic pietate vincas, ille modestia sit amabilior, hic verecundia sit illustris, ille insigni pudicitia commendabilis; in hoc mansuetudinem singuli ament, in illo maturam prudentiam admirentur, in omnibus temperantiam fortitudinem, honestatem, morum elegantiam, vigilantiam omnes extollant. Nulla interim dies abeat quin linea virtutis alicuius ducta supersit, nec unquam post Solis occasum dici possit, hodie nihil emimus nobis, hodie nihil Deo vendidimus, hodie amici perdidimus diem. Ita fiet, ut huiusmodi diligenti negotiatione pretiosissima Felicitatis æternæ margarita vobis contingat, quam omnibus ex animo precor, & vehementer exopto, DIXI.

Apostrophe ad Adolescẽtes, & adhortatio ad eosdem per enumerationem

Complexio.

AD

AD LECTOREM.

I*Nter Divos, quorum hoc volumine laudes Panegyricis orationibus recensemus, referre* IOANNEM DUNS SCOTUM *facultatis nequaquam est nostræ. Quia tamen viri quamplurimi Doctrina & Virtute Clarissimi Divorum numero sua opinione, quam de eius virtutis & sapientiæ excellentia conceperunt, illum abscribunt, ut immortalis viri ac Doctoris memoriam honoremus, Panegyricum æternæ eius Famæ dictum, libenter hic post Divorum aliorum Encomia subiungimus. Tu, Lector, non alium, quam Divum iudicabis.*

PANE-



PANEGYRICUS
ÆTERNÆ MEMORIÆ ET FAMÆ
JOANNIS DUNS SCOTI
DOCTORIS SUBTILIS
Theologorum Principis,
Dictus & dicatus.

Exordium à præstantia viri sapientis.



HOMINEM aliquem inter homines summæ sapientiæ laudem promereri multum profectò est; probitate vitæ singulari inter cæteros tanquam quendam inter astra solem splendicare, amplius est, utriusque vero, sapientiæ ac probitatis Laurea decoratum reperiri, plusquam hominis est, & divini cujusdam Herois. Quis obsecro & qualis ille esse potest, vel ubivis etiam gentium & terrarum. *Vir bonus & sapiens? Qualem vix repperit ullum.* Poetarum, inquit Princeps, *Millibus è multis hominum consultor Apollo.* Reperi tamen & millibus è multis, imo multis ex sæculis unum inveni, IOANNEM DVNS SCOTVM, in quo si sapientiam aspicio, suspicio; si probitatem admiror, miraculum fuisse dico; si lauream in immortalitate memoriæ quasi ipsius manu contex-

Laus Ioannis Duns Scoti.

tam

tam ostendo, cum eam vitæ sanctitas mereri, & summa sapientia obtinere potuerit, hæreo. Multi sunt, qui scientiarum quædam lumina diffusis per orbem radiis claruerunt: non pauci, qui hominum vitæ rationes cœlesti quadam vivendi norma transcenderunt; vix aliqui, qui ita sapientes videri voluerunt, ut boni simul essent. Nolo sane cujusquam è Divorum numero gloriam, quam immortalitas ipsa æterna gloria decoravit, diminuere labefactareque conari, tot extiterunt sanctissimi Christianæ Reipublicæ Doctores, tot claruerunt religionis & veræ eruditionis Soles; tot admirandæ sanctitatis exemplaria perfectissima in hominum oculis sunt versata; unus tamen hic IOANNES SCOTVS ita omnem ætatis suæ cum admiratione gloriam duplici quodam probitatis & eruditionis summæ jure sibi vendicavit, ut parem illi nullum ventura sæcula datura viderentur. Ejus ingenium cum admirari nunquam satis possent quæcunque præstantissima orbis universi ingenia. *Ingeniorum Phœnicem & Doctorem subtilem eum appellauerunt*; eius doctrinam cum assequi tantum illi possent, qui ingenii quibusdam alia ad veritatis culmen attingerent, suspicere verò omnes & amare possent. Theologorum Principem non muto calculo, sed unanimi voce renunciaverunt. Et cum in eo cum admirabili sapientia incredibilem vitæ modestiam probitatemque animadverterent, virum illum esse bonum & sapientem, qualem multa sæcula vix unum proferrent, dixerunt. Ego vero, si quem etiam in tot de illo judiciorum urnam calculum injicere, & gloriæ ejus triumphalem currum non adulanti manu, sed veritatis ipsius humeris impellere possum, hominem illum inter homines invidendum appello. At, obsecro, quibus invidendum? Vobis sane, Religiosi

Comparatio cæterorum Doctorum cum hoc Ioanne Scoto.

A testimoniis.

Apostrophe.

ad Franciscanos. Viri quotquot in sacris illis beatissimi Francisci castris sub sanctissimæ militiæ disciplina ad æternam felicitatem contenditis, in quibus ipse ita vixit, ut floreret; ita floruit, ut fructum ingentem universo orbi adferret. In quibus, inquam, ita sapientiæ operam dedit, ut esset sapientissimus; ita vitam suam virtutibus exornavit, ut esset sanctissimus. Sed nimirum jam invidiam illam remittit orbis, cum non illum tantum modo vestrum esse videt, sed suum, perque ejus Do- *Propositio.* ctrinam ad sapientiam instruitur & per virtutes ad vitæ sanctitatem provocatur. Quæ duo dum admiror, & æternæ ejus memoriæ, si quid in me facultatis est, monumentum aliquod erigere contendo, bonitatem ejus & admirandum omnino sapientiam, si quispiam adhuc ignorare inter ho- *Alia Apostrophe.* mines potest, oratione manifestabo. Tibi sanè ac tuæ famæ, *Eximie Theologorum Scote,* alius præco debebatur, qui robustæ, & procul resonantis eloquentiæ tuba summas illas laudes tuas auscultante orbe universo intonaret, debebatur potens aliquis patronus, qui gravidam nescio quo *A materia gravitate.* veneno invidiam, & ex latebris aliquando erumpentem, auctoritatis & validæ facundiæ subsidio protereret. Sed nimirum jam ipsa æterna fama in ipsius te gloriæ fastigio collocavit, ut latere & ignotus esse orbi non possis; jam ea claritate ac splendore veræ laudis fulges, ut te intuentium oculi caligent, & positus in eo Immortalitatis culmine, ad quod adspirare vix humanum ingenium potest, omnem invidiam superavisti. Adeo quicquid de te dixero, erit infra laudem tuam, & dum coloribus aliquibus exprimere te præsumam, lineamenta tantum aliqua ducam. Verum si ex ungue Leonem, & ex pollice Gygantem metiri licet, metiatur te hinc quisquis volet, dicet profecto te sapientiæ summæ magistrum, te virtutis eximiæ Pædagogum extitisse.

titisse. Et vero quanta esse eius Regionis gloria potest, quæ tantum virum, tantum inquam, so lem, cuius radiis tot in orbe toto Academiæ, tot scholæ, tot Sapientiæ sedes ac delubra illustrantur, produxit? Olim cum is esset Homerus, ut eius ingenium, sapientia ac divina vis Poeseos omnem omnium sæculorum laudem occupatum videretur, ut ab illo commendationem aliquam haberent septem urbes; *Smyrna*, *Rhodos*, *Colophon*. *Salamin*, *Ios*, *Argos*, *Athenæ*, de eius patria certaverunt. Illum omnes suum civem esse dicebant omnes ex se natum, & in se lucem primam aspexisse contendebant, quasi reliquis omnibus ea præferri deberet, quæ Homerum virum ex omni antiquitate ingeniosissimum & scientiarum omnium communem quasi parentem genuisset. Pari vero ratione certare mihi pro SCOTO non urbes aliquæ, sed regna, sed integræ provinciæ videntur, ut tum illa quasi sola summam gloriam vendicare sibi possit, quæ SCOTI mater novum in orbe solem produxerit. Illum Anglia suum esse dicit; illum quæ hodie Scotia est vendicat; illum Hibernia alumnum suum & lumen asserit. Inter quas si tantam pro unius cælestis verè Herois gloria controversiam decidere fas sit mihi, nec tuus est, Anglia, quæ nati cunas non excepisti; nec tuus Scotia, quæ tum, cum communem hunc solem Sol ipse novus aspexit, nondum Scotia, nisi fortasse minor, sed Albanis est. Tuus vero est, ô Hibernia, tuus ille Scotus, quem tibi celeberrima ac pervetusta urbs tua DVN, tanquam æternæ gloriæ pignus quoddam & ingeniorum omnium miraculum genuit. Tu nimirum es illa olim regio, quæ Scotiæ nomine dicebaris, & quam tot amosissima doctrina vitaque viri, quos Scotos non pauca veterum monumenta appellant, patriam agnoscunt. Provo-

Laus regionis in qua natus hic Scotus.

Contentio regnorum de eius ortu.

Vera Patria eius.

cet ab hoc iudicio nostro, qui volet, sententiam nostram ad Antiquissimos Annales, & dignissimos omni fide Historicos examinet calculum ad veritatis ipsius tesseram expendat: condemnabit eum Richardus Stanhurstus Academicus olim Oxoniensis & Historicus, qui Scotiam non ita pridem pro ea Britanniæ parte, quæ hoc hodie nomen usurpat, dictam attestatur. Condemnabunt eum ipsi Angliæ Scotiæque Annales vetustissimi, qui Hibernos Scotorum nomine vicinis omnibus regionibus ac toti orbi cognitos fuisse produnt. Condemnabunt eum Capgravius, Paulus Amalteus, Richardus Conveus, Cæsarius, Fulgosius, alii sexcenti, qui ut Hiberniam Scotiam olim appellatam affirmant; ita divinum hunc Scotum natione patriaque Hibernum fuisse proclamant. Quanquam ne hoc nostro iudicio tristem litteram protulisse videamur, nullam sane provinciam condemnemus, & qui unius est, omnium esse dicamus. Tuus est, ô Anglia, SCOTVS, tu enim illum prima litterarum & Artium instructione tuum esse fecisti; & ille se tuum publica Sacræ Theologiæ professione in tua Oxoniensi Academia est professus. Tuus est, ô Scotia, Scotus; quidni enim eum tibi asserere posses, ex Scotia maiore, hoc est ex Hibernia, oriundum, quæ Scotia tum minor & Albania dicebaris? Tuus est, ô Hibernia, Scotus, qui in te principium accepit, tuos ciues parentes habuit, tuum solum Patriam agnoscit. Immo vero omnium est ac totius orbis cælique SCOTVS, qui Doctrina terram omnem, virtute Cælum occupavit. Glorietur Hibernia de alumno, Anglia de discipulo & Doctore, Scotia de propinquo vicinoque cive; omnium gloriam summam ipse facit, qui suorum temporum summa ipse gloria fuit. Et quoniam iam hanc litem ita composuimus, ut Scotum nostrum non sine Angliæ Scotiæ,

Ab exemplo

Ad Angliã Apostrophe alia.

Alia.

Transitio ad alteram partem.

tiæque ſumma laude Hibernum habeamus, ad eius tandem aliquando vitæ ſanctitatem, quæ veræ ſapientiæ fundamentum eſſe ſolet, accedamus. Ita enim arbitror planeque mihi perſuadeo fruſtra in eius animo ſapientiam expectari, in quo probitas domicilium nullum habet, & à quo virtus exulat, cum ea tantum ſapientia vera eſſe poſſit, quæ cum probitate virtuteque eſt coniuncta. Cum vero ſubtiliſſimi Doctoris huius animum tanquam ſacrarium quoddam ſuum virtutes omnes ordinatiſſimo choro poſſederint, ſplendore ſuo ad omnem gloriam exornarint, potentia ſua ad omne robur conſtantiamque contra exſurgentes quaſcunque in hoc orbis pelago tempeſtates corroborarint, cum inprimis ſingulari quadam ratione illum eius animum humilitas profundiſſimaque mentis ſubmiſſio ſibi vendicaviſſe videtur. Non ignorabat quippe vir ſapientiſſimus veriſſimum illud Salomonis oraculum, ibi ſapientiam eſſe, ubi humilitas eſſet, ideoque generoſiſſimo animo, & conatu laborioſiſſimo ad ſapientiam adſpirare ſtatuiſſet, mentem ſuam quanta potuit ſubmiſſione ita depreſſit, ut nullus in ea arrogantiæ nævus vel ab invido oculatiſſimo videretur. Cum loquebatur, loqui ipſa humilitas videbatur; cum ageret quippiam, quidquid eſſet, ordinare illud humilitas credebatur. Ita nulla erat in verbis eius arrogantia, nullus in factis eius faſtus ita diſplicere humillimi eius ſermones non poterant, poterant vero etiam, quæcunque tam ſubmiſſe perageret, hominibus omnibus placere. Quanquam vel ipſa eius veſtis ac corporis totius compoſitio quantam non, obſecro, humilitatem ſpirabat? Quam omnem omnino ſuperbiam ac faſtum excludebat? Trita ipſe plerumque, vili, ac centonibus, neſcio quibus, deformata veſte tegebatur; nudis pedibus, quodcunque iter aggrederetur,

Virtutes Doctoris huius.

Humilitas eius.

Repetitio.

Contemptus cultus corporis.

incedebat; curribus vel equis uti pene piaculum ipsi erat. Adeo instituti auctori Beatissimo Francisco similem sese esse cupiebat, & Apostolorum vestigiis insistens ad Christi vitam vitæ suæ rationes dirigere contendebat. Habes hic, quisquis invidere potes, quod admireris invidendo; habes, quisquis eius gloriam ferre non potes, quod probes improbando. Dic arrogantem Scotum: nimirum in veste quæ vix hominis esse poterat dic animi elati Scotum: nimirum cui ad iter conficiendum nec currus noti, nec equi. Vis humilem intueri? intuere stipem ostiatim precaria voce colligentem, de victu anxium, de hospitio sollicitum. Quoties enim in via pertingere ad ordinis sui domum aliquam aut cœnobium non poterat, toties tenue aliquod sustentandæ vitæ solatium, & hospitium emendicabat. O profundissimam & sæculis omnibus obstupescendam humilitatem; Eum ad stipem manum porrexisse, qui in summarum dignitatum fastigio propter excellentissimas virtutes sedere debuisset? Eum aliquando fores aliorum pro cibo aliquo sollicitavisse, qui sapientiæ in terras omnes ambrosiam diffundebat? Eum hospitium vel tectum aliquod submissis precibus ad pernoctandum quæsivisse, qui celeberrimas Academiarum sedes ac pulpita divina quadam voce replebit? Laborabat posteritatis fides, ut credat; credit tamen ut extollat, extollit ut admiretur, admiratur nec satis capit. Sed hoc humilitatis eius filum secuti ad eius laboriosissimas lucubrationes penetremus. Plurimi sunt, qui cum scribunt, non calamum, sed stylum stringere sibi videntur; clamant, pugnam cient, instant, & quasi prostraverint hostem, triumphum agunt. Alii sunt, qui cum rem aliquam controversam rationibus suis tanquam machinis quibusdam admotis, ut sibi videntur, ita pervaserunt, ut dissolvisse & veritatem

Amplificatio eiusdem.

Paupertatis studium.

Complexio.

Gradatio.

Comparatio cum aliis.

tatem attigisse videri possint, cæteros omnes tanquam cæcos & noctuas quasdam despiciunt. Non ita sane divinus hic Scotus, qui etsi subtilissimi sui ingenii ala per ardua quæque volitaret, submissionis tamen suæ nunquam immemor, non plus quam oportebat, sapiebat. Eratne fortassis aliquid, quod nulla vi ingenii penetrare attingereque potuisset? Hic ignorantiam suam libens fatebatur. Eratne rursum aliquid, in quo dubiis rationibus tanquam adversis quibusdam ventis mens agitata, statuere decernereque nihil omnino valuisset? Hic aut sapienter silebat, aut modeste dubitabat. Non ad dubia quæque Lectorem vel Auditorem auctoritate, quam ipse sibi fingeret, trahebat, sed ad ejus liberrimam voluntatem ac judicium rem omnem deferebat. Non in ambiguis velut ex oraculo loquebatur, sed ita videri ac dici posse, nihil asserendo, dicebat: Si quandoque in alterius sententiam erat incurrendum, non illum velut hostem ad pugnam evocabat, non in illum rationes tanquam tela vel potius fulmina vibrabat; non illum compellabat, ut audito nomine gloriosior tanquam de devicto triumphus appareret: quid ergo? sententiam in medium cum modestia producebat; nomen ut plurimum subticebat; errorem, nisi in omnium is oculos incurreret, non obiiciebat; rationes ipse suas sine invidia aut fastu proponebat; veritatem clarissimæ lucis radiis ostendebat. Nimirum expeditus ipse miles in arena, sed non jactabundus: prudens rerum æstimator, sed non censor; fortissimus veritatis assertor, sed non aliorum expugnator; Iudex bonus, sed non castigator importunus. Vincere sciebat, non triumphare, & cum vincebat, vix pugnavisse videbatur, ut non tam refutavisse quemquam diceretur, quam docuisse; non tam errorem cujusquam depulisse, quam eo suppresso veritatem

Modestia ejus.

Modus ejus disputandi.

Contraposita.

Qualis cum D. Thoma ejus disputatio. ritatem ostendisse. Vixit & immortali cum gloria ea ætate vixit fulgentissimum illud Sanctissimi Prædicatorum Ordinis lumen Beatissimus Thomas Aquinas, cujus quanta exstitit in omni vitæ ratione sanctitas, tanta in omni disciplinarum genere sapientia fuit. Vtraque hominum omnium memoria ac veneratione, illa vero etjam æterno, quo perfruitur, præmio dignissima. An in hunc igitur insolentem aliquam & inusitatam omnino pugnam suscepit? Sane ita credere videtur, qui ignorat: ita sentire, qui nunquam legit. Nimirum, hodie tam proclivis est judicandi facilitas, ut solo nescio cujus auditu judicia nitantur, & satis esse possit rumorem inter pueros esse, ut viri judicium ferant ac pronuntient. Sed *Subiectio.* tamen quodnam inter illos certamen existit, quod non ab ipsa sit ordinatum ratione? An ab ejus aliquando sanctissimi viri sententia recedit? Equidem potest, & cum ipsa ratio ducit, quivis potest. *Repetitio.* An eum acerbius, quam par esset, compellat? Aut nunquam, aut cum honore semper. An ejus improbat opinionem, & rationes insolenter rejicit? illam modeste proponit, his vero suas opponit. An ejus se judicem ac censorem constituit? Disputationis aleam in medio, judicium lectori relinquit. An tanti viri auctoritatem vilipendit? Imo amplectitur cum ratione semper; at, ubi alio ratio fortior trahit, deserit. Erat quippe in verbis parcus & modestus, in scriptis cum doctrina verecundus, in disputando sine acrimonia subtilis, in refutando sine invidia doctus, in *Transitio ad terram virtutem.* respondendo cum prudentia facilis. Quanquam, ut erat vir religiosissimus, non ea tantum erat animi submissione modestiaque, sed insignis omnino, & admirabilis in eo obedientia elucebat. Quam prompte? quam alacriter? quam animo gestienti, quæ quidem imperrabantur, exequebatur? Nolo omnium vitæ ejus dierum ratio-

tiones hic inire, nolo totum vitæ eius spatium excutere. Libenter illi omnes propter sapientiam sese submittebant, libentius ipse omnibus propter animi submissionem obsecundabat. Illud sanè omnis ætas & posteritas admirabitur, quod cum quodam tempore recreandi animi ac corporis gratia Lutetia egressus per campos obambularet, atque ordinis supremus præfectus consignato scriptis mandato Coloniam eum in Germaniam evocaret, id ubi ipse vidit ac cognovit, confestim iter ingressus in Germaniam contendit. O admirandam obedientiæ sanctissimæ vim! O dignissimum cælo pectus! Non illum Fratrum aliorum ab itinere suscipiendo familiaritas retardavit; non professionis publicæ negotium summa cum gloria susceptum moram iniecit; non rerum ad iter necessariarum comparatio, ut domum rediret, permovit; abiit statim corpore & animo, ut sibi videbatur, quia obediebat, expeditus. Sed nos etiam hinc abeamus, & in hoc virtutum cursu virtutem aliam admiremur; Delectum hic instituo, neque enim omnia dicere possum, quid tamen in hoc delectu seligam, cum tot sese offerant, ornamenta prorsus ignoro. Magnæ in eo virtutes omnes fuerunt, maxima vero vis Deum precandi ac contemplandi. Divinus in homine animus est, & divinæ auræ particula originem è cælo trahit, ideoque, si cælestis patriæ non immemor vivit, commercium hominum & terræ domicilium dedignatur. Talis erat divini huius SCOTI animus, quem in terris nihil oblectaret, redire ad Deum gestiret, cælestium consortio uteretur, cum divina Maiestate, velut in secreto Sacrario sermones misceret, & quasi corporis vinculis expeditus, inque libertatem assertus, sæpius extra, quam in corpore ageret, elementa ac cælos omnes transcenderet, ibique esset, ubi

Prætermissio

Prompta obedientia specimen.

Complexio.

Dehortatio.

Amor Dei & Cælestium

ubi se esse nesciret, in terris simul & in cælo esset. Quoties aggredi aliquid fixum erat, eius auspicium & initium à pia ad Deum precatione faciebat. Quoties arduam aliquam de divinis illis mysteriis dissertationem instituere, vel disputationis arenam calamo aut voce subire propositum erat, cælestem opem fusis precibus implorabat. Quoties commentationibus ac lucubrationibus illis suis finem ac coronidem imponebat, pietatis plenissimo sermone gratiarum actionem sapientiæ auctori DEO persolvebat. Ita nihil moliebatur SCOTVS sine Deo, immo cum nihil moliebatur sine Deo non erat, pura illa mens & cælo nata ita aliquando abripiebatur, ut sine sensu, sine vita corpus esse videretur. Iudicabant homines iam inter homines eum esse desiisse, in cuius corpore otiosi sensus, motus nullus, nullum vitæ indicium apparebat, nec hora una aut brevissimo tempore intervallo, sed longissimo. Tunc nimirum per contemplationem sursum evecta in divina illa penetralia sese insinuabat: tunc cælestium mysteriorum arcana curioso quodam & pio affectu perscrutabatur: tunc ad veritatis ipsius fores consistens fulgentissimis eius radii illustrabatur: tunc ea perdiscebat quæ quando felici calamo consignavit, & docta in scholis voce publicavit, hausisse eum è cælo nemo non affirmabat. Et sane si dicendum est, quod sentio hic admirabilem & eximiam illam sapientiam suam expressisse SCOTVS videtur, ut cum plura ipse noverit, quam exiguo non longæ ætatis spatio discere ab hominibus, vel ullo studio ac labore sibi comparare potuerit, necesse sit eum illa omnia divino quodam beneficio consecutum fuisse; plane cum abripiebatur divinus eius animus, scholam illam cælestem intrabat, & divinæ quodammodo sapientia discipulus factus, ea percipiebat, quæ præter Sco-

Repetitio.

Fervor S. Doctoris.

Similiter cadentia.

Raptus eius.

Scotum nemo omnino sciebat. Hic acuebatur ejus ingenium, hic subtilissimis contemplationibus mens instruebatur, hic inusitatas perquirendæ veritatis vias edocebatur, hic verisimum divinarum rerum sensum, & certissimam eximiæ Theologiæ rationem perdiscebat. Atque ita factum est, ut non tantum nullis vitæ cupiditatibus vivendo teneretur, verum etiam corporum similitudinibus (cum Bernardo loquor) speculando non inuolueretur. At, inquies, quantæ hoc tandem est puritatis? quantæ sanctitatis? *Anteoccupatio.* Non ego inficias ibo, neque hic in tanta SCOTI gloria quicquam dissimulabo. Fuit hoc sane, fuit Angelicæ puritatis, fuit plusquam humanæ sanctitatis. Cujus rei si quis à me testimonium requirat; testem ipsum appello DEVM. *A visione Christi ipsi facta.* An non cum vice quadam ea nocte, quæ natalis Christo fuit, divinum illud admirandæ incarnationis mysterium attonita, & amore plenissima mente contemplaretur, benignissimus illi IESVS apparuit, ejus brachiis dulcissimum onus incubuit, in ejus collum iterum atque iterum repetitis amplexibus insiluit, ejus animum suavissimis vocibus solatus est & recreavit? Nihil hic fingere me quisquam arbitretur, testis est *A testimonii.* Marcus Vlisiponensis, testis Gregorius Ruys, testis Paulinus Berti, testis Rebelledus, quorum omnium fidem sæculorum assentientium consensus approbavit. Et vero dubitant de ejus sanctitate quisquam posset, quem magno aliquando desiderio ipse Deus inuisit? cui se gestandum puerili specie exhibuit? Non, non amplectitur tam suauibus osculis quemquam Deus, nisi cujus animum Angelica puritas, & cœlestes virtutum radii illustrant. Non, non tam blande, non tam amice, non tam benevolè solatur quenquam *Dissolutio.* Deus, nisi cujus vita nullus ab hac rerum terrenarum fece sordes contraxit. Quanquam, quoniam

niam Scotum jam bonum habemus, sapientem ostendamus: jacta sunt magnæ sapientiæ fundamenta, ubi vitæ integritas sanctitasque innocentem animum occupavit. Audebo dicere, & vere dicam, non poterat non esse sapientissimus Scotus, qui id primum contenderat, ut esset sanctissimus. Dicam iterum & (teste cœlo) dicam, non poterat non omnem animo sapientiam complecti, qui nihil scire, nisi quod è cœlo didicisset, desiderabat. Quæritis cujus tandem ingenij Scotus fuerit, priusquam in scholarum spatiis sapientiæ suos labores consecraret? Videre quomodo nihil ad laudem ejus & gloriam confingo: fuit hebetis, fuit stupidi. Ita non ad scientias natus, sed nec ad eas fieri posse videbatur, ut nimirum quicquid in eo postmodum homines admirarentur, non tam humano partum labore, industriaque quæsitum, quam à Deo è cœlis datum esse crederent ac pronunciarent. Neque ipse hujus suæ naturæ tarditatem ac ruditatem ignorabat, ideoque cum primis illis disciplinis, quæ humanam naturam nostram, tanquam ejus ornamenta excolunt, & ad civilis vitæ rationem informant, operam navaret, animadverteretq; nullos se in iis per ingenium facere progressus, quadam die cum sub arbore forte consedisset, sublatis in cœlum oculis vultuq; ad pietatem composito multis à Deo precibus ac lachrymis, ut hanc ab ingenio suo ruditatem tolleret, contendit. Nec frustra piissimi & religiosissimi animi preces divinæ Majestatis aures impulerunt. Nam cum exhaustis lachrymis corporeque fatigato in somnum oculi incidissent, videre sibi visus est præsentem & videbat; audire etiam loquentem, & audiebat, gloriosissimam cœli Reginam Deiparamque Mariam: age, inquiebat illa, quo cepisti animo ac labore disciplinarum stadia decurre; ipsa tibi ab æterna illa sapientia quam vit-

Scoti summa sapientia.

Eius ingenium ante studia.

A quodam facto eius.

Prosopopæia.

virgineis hisce visceribus conclusi, sapientiam aliquam, nec dubites, impetrabo. Tu obsequio nostro devotum animum gere, & puritatis nostræ, quam nulla unquam macula deturpavit, existe propugnator. O singularem omnino benevolentiam! O incredibilem divinæ matris benignitatem! Excutit fortunatum hunc somnum Scotus, consurgit, gratias Deo & Virgini agit, obsequium æternum vovet, futurum se Virginei honoris acerrimum propugnatorem promittit, ad scholas, Disciplinarum illas officinas, redit, gaudio, ac lætitia summa plenus omnem laborem molestiamque superare contendit. Deus immortalis! quantos quam subito progressus cœlesti illo Deiparæ favore fecit? Nihil erat, quod ejus ingenii aciem effugere posset; nihil tam arduum, quod non subtilis mentis acumine attingeret; nihil tam obscurum, quod non illustrati ingenii face in lucem attraheret; nihil tam difficile, quod non sibi subiiceret & suum quodammodo faceret. Crescebat indies in eo vis ingenij, sed & simul pietas, & in Divam Matrem amor crescebat, quoque Doctor fiebat, eo sanctior; pari pene eruditionis & probitatis mensura cumulabatur. Quis unquam illo doctior fuit, aut esse potuit? Nullum est scientiarum genus, in quo non fuit versatissimus; nulla sapientiæ pars, quam non accuratissimè cognovit; nulla ars, cujus non ipse perfectissimum sibi notitiam comparavit. Taceo primas illas artes, quæ in limine sapientiæ primam discentis ruditatem expugnant, & ad ipsa sapientiæ adyta positum auditorem introducunt: hæ enim infra ejus sunt laudes, nec ab his stellis tanti solis splendor exsurgit. Quis subtilius unquam de universa Philosophia disputavit? quis majori cum audientium applausu illam ex celeberrimis Academiarum suggestibus explicavit? quis de ea plenius, perfectius, laudabilius ad-

Ingenii eius post summū acumen.

Complexio.

Eius in philosophia excellentia.

omnem posteritatem nunquam intermoritura volumina conscripsit? Differendi ratio suam à Scoto subtilitatem accepit; Naturæ cognitio SCOTI ingenium tanquam facem quandam habuit; Sublimis illa & supra Naturam Doctrina suo in fastigio per Scotum consistit. Quod Philosophia è tenebris excesserit, quod humi amplius non repat, quod ingeniorum excellentissimorum aciem in se convertat, beneficium est S C O T I.

Complexio. Non jam Democritus veritatem in puteo, cui fundus non sit, demersam conqueratur, illam eruit Scotus; non iam Anaxagoras tenebris septam ac circumfusam esse proclamet, illam ex his eripuit, & illustravit Scotus; non iam Academici res omnes incertas ac dubias esse dicant, obrutamque ac confusam latere veritatem, rerum omnium certitudinem ostendit, ac iacentem erexit veritatem S C O T V S. Patet via ad ipsa usque Philosophiæ arcana, sed quam aperuit SCOTVS: nulla amplius veritatem indaganti asperitas occurrit, hanc enim sustulit SCOTVS. Et

Similitudo. quemadmodum cum exoritur sol obducto nubibus cœlo confestim eius radiis dissipatæ nubes cœli serenitatem mortalium oculis proponunt, ita ubi SCOTVS tanquam sol fulgentissimus subtilissimos ingenii sui radios in universa Philosophiæ spatia immisit, protinus omnes cessere tenebræ, & veritas ipsa Doctorum mentibus ap-

Prætermissio. paruit. Nolo hic eorum librorum seriem ac catalogum contexere, quos de singulis Philosophiæ partibus ad hominum admirationem acutissimo suo ingenio posteritati consecravit; noti illi sunt in scholis omnibus, noti in Bibliothecis, noti in discentium ac docentium pulpitis. Ne-

Doctrina eius. que unquam acutè sapere visus est, qui S C O T I doctrinam non sectaretur; nemo subtiliter scribere iudicatus est, cuius calamus S C O T I subtilitatem non æmularetur, Ab illo qui dissentit, repit:

pit: cum illo qui loquitur assurgit. Nescit enim udam tenere humum, & humanæ sapientiæ littora legere, sed supra nubes volitat, & quo aspirare alii vix audent, ibi Scotus felicis ingenii acumine triumphat. At vero non Philosophorum ille tantum Princeps exstitit, verum etiam Theologorum Phænix. Hic unus librato super ardua quæque ingenio Prometheum imitatus cælestem ignem, cælestem inquam sapientiam, non ex solis rota ut lutum animaret, sed ex ipsis veræ sapientiæ ac cæli Arcanis, ut hominum mentes illustraret, accepit. Hic unus non divinam illam scientiam ab hominibus quanquam etiam ab hominibus, sed ab ipso Deo precibus & ad laborante ingenio impetravit. Vidistis unquam Aquilam, quæ irretortis oculis Solem intueatur, non caliget, non perstringatur? Hæc illa Aquila est Scotus, qui ubi ingenium suum ad veritatis Solem contorsit, non nimio lumine perstrictus, reduxit, sed radios eius excepit, exceptos in magnum lucem convertit, lucem ipsam in orbem universum, quaqua late patet, diffudit. Illum sententiarum Magister Magistrum invenit, ab eius luce lucem accepit, ab eius ingenio crevit, ab eius subtilitate plus sibi sapere visus fuit. Illum Scriptura Sacra sacrum suum & accuratissimum Interpretem agnovit; dum sublimia illa religionis Romanæ mysteria, quæ Evangeliorum libris, quæ Divini Pauli Epistolis, quæ generationis primæ volumine continentur, illustravit. Taceo quæ de Sanctorum gloria gloriosè conscripsit; non dico quæ de Dei cognitione, quæ de primo rerum principio, quæ de rebus aliis ut sublimibus, ita pene ignotis, ad sempiternam nominis sui memoriam exaravit. Invideant, ac vero etiam invidia sua rumpantur, qui volunt, fuit Scotus sapientiæ Magister, Theologicæ subtilitatis Doctor, reconditorum arcanorum perscrutator, summarum ubi-

Amplificatio.

Ab aquila.

Applicatio.

Transitio.

Definitiones conglobatæ. ubique difficultatem prudentissimus enodaros. Et cum omnem veræ Theologiæ sapientiam docendo tradiderit, scribendo asseruerit, disputando propugnaverit, cum vero vel acerrimum se athletam exhibuit, cum immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem frementibus ac frendentibus adversariis ita disputando in scholarum pulpitis asseruit ac sustinuit, ut stare pene per SCOTVM tantæ Virginis honor existimaretur. Huc omnes ille vigilias suas, omnem operam omnem laborem ac curam referebat: pro eo omnes molestias ipse devorabat, cæterorum inimicitias libenter subibat, invidiam magno animo,& gestienti conscientia contemnebat. Multi eum in hanc de immaculata Conceptione arenam provocabant, provocatus veniebat, multi gravissimorum, ut quidem credebant, argumentorum machinis illum impetebant, impetitus ipse, sed non læsus, eas in illos retorquebat; multi clamoribus inconditis vincere eum contendebant,ipse modestia sua illos superabat; multi auctoritatem obtrudebant, ipse rationem opponebat. Ita factum est, ut quoties de Virgine Matre pugnavit, toties Virgini Matri honorificentissimam victoriam peperit. Testor hic te & te appello, ô cæli ac terræ Regina, (nam hunc animam tuo auxilio, & doctrinam tuis precibus Scoto tuo procuravisti,) an non immaculatæ Conceptionis tuæ honorem in terris per Scotum ipsa defendisti? an non eius gravissimos pro te conflictus semper probavisti? An non pro te pugnaturo vires semper & animum addidisti? Nimirum(testor certissimam sæculorum elapsorum famam, testor celeberrimorum Doctorum conscientiam) cum Lutetiæ Parisiorum die quadam in gravissimo amplissimoque famosissimæ Academiæ Doctorum omnium consessu,ac præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis, quorum auctoritate

Scotus Beat. Virginis immaculatæ conceptionis propugnator

Contraposita

Apostrophe ad D.Virginem.

A testimoniis Doctorũ

tate hæc omnis concertatio suscipiebatur, de immaculato Magnæ Virginis ortu disputaturus esset, jamque ad locum progressus supra januam ejus imaginem sublatis modestè oculis animadvertisset, confestim in genua provolutus magno solliciti animi affectu dignare, inquit, me laudare te Virgo Sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos. Vix dum elocutus postrema verba videbatur (obstupescite, & miraculum audite) inclinato parumper capite sanctissimæ Virginis imago supplicanti annuere, & promittere victoriam est visa. Quin immo, quod admirari nulla ætas satis potest, inclinatum imaginis caput ad hæc usque tempora nostra, ne dubitare quis unquam posset? permanet. Testis est Osmensis ille Antistes, cujus auctoritate de immaculata Conceptione Luceri libri comprobantur. Testis est Ioannes Pineda, testis Baptista Lezana, testis Gregorius Ruysensis, testes alii sexcenti, quorum fidem nunquam sanus orbis reprobabit. Et sane cum ab hac arena victor Scotus recedens æternum immaculati honoris trophæum sanctissimæ Virgini erexisset, Deus immortalis! quantus hominum omnium applausus? quantus ad victorem hunc conspiciendum ex omnibus partibus hominum concursus? quanta in omnium animis ob defensam tam generosè Virginem lætitia? Audierat (nam fama subito in orbem universum provolarat) Coloniensis Academia, & Doctoris subtilis nomen, quo jam illum Parisiensis insigniverat, approbavit. Audierat Roma ipsa, & ne ingrata in Scotum tanti honoris propugnatorem videretur, idem ejus gloriosissimum nomen sanctissimus Pontifex confirmavit. Quanquam ut non tam meos, quam doctissimorum omnium hominum ore Scotus noster laudetur, prodeant in medium ac loquantur. Ac inprimis loquatur universa illa mundi Historia, nunquid Scotum velut

A miraculo quodam.

Testimonium aliorum.

Applausus de hac victoria.

Prosopopæia.

velut alterum Apollinem floruisse, & præ cæteris Theologis subtilissima quædam opera edidisse testatur? Loquatur Sabellicus, nunquid neminem Scoto subtilius divinas tractavisse litteras affirmat? Loquatur Antonius, nunquid multa subtilia scripsisse eum, ac jure meritissimo Subtilis Doctoris nomen reportavisse scribit? Loquatur Sixtus Senensis, nunquid virum admirandæ eruditionis subtilitate præditum appellat? Etiam hic vocem edat Trithemius, & Scotum virum in divinis Scripturis studiosum & eruditum inque Aristotelis Philosophia doctissimum, adeoque profundum, ut ejus à paucis intelligi penetrarique scripta possint, proclamabit. Audiatur summum illud purpuratorum patrum decus Bellarminus, & Scotum virum acutissimo ingenio præditum appellabit. Prodeat Hector Boetius, & Scotum sub sanctissimo D. Francisci instituto tantæ eruditionis Theologum exstitisse testabitur, ut ejus ingenio sæculum illud censeri possit indignum. Adsit Antonius Possevinus, fatebitur profecto in Aristotelis Philosophia ita Scotum præstitisse, ut cæteris omnibus disputando palmam præriperet; ita sanam omnem ejus doctrinam fuisse, ut in hanc usque ætatem per annos amplius trecentos, ejus sine ullo erroris nævo libri permanserint inuiolati. Euocetur huc Guilielmus Vuorillonius; quanquam quid evocetur? Non, inquit, quenquam in terris puto tuas, ô Scote, laudes dignis celebrare sermonibus posse, quem mater Vniversitatum Parisiensis suo in flore & pretio tot inter Doctorum turmas Subtilis nomine insignivit, & cui Coloniam adventanti universus obviam clerus processit. Tua dicta communem transcendunt facultatem: tu inquisitor es maximus veritatis, tu redargutor falsitatis, tu veri Arca, tu Legum summa, tu rerum comperta sanctio. Alios innumeros nihil atti-

Aliu testimonium. *Alia.* *Apostrophe ad Scotum.*

attinet citare, qui uno omnes ore proclamabunt illustratam à Scoto subtiliter Philosophiam esse & Theologiam feliciter auctam. Dicent etiam & testatum toti orbi esse volent eruditionis humanæ non miraculum tantum, sed terminum etiam Scotum exstitisse. O quot, ô quanti, ô quam admirandi ab hoc magistro discipuli prodierunt! A tanti Solis luce non potuerunt nisi illustres Lunæ procedere. Sed comprimere hic stylum malo, quàm in novum dicendi campum excurrere. Illud dico, erat in hoc orbe Scotus tanquam Apollo vel Salomon quidam: ad eum videndum audiendumque ex omnibus certatim partibus concurrebatur. Nemo satis se doctum existimabat, nisi Scotum magistrum audivisset: nemo Doctorem se putabat, nisi Scoti Doctrinam profiteretur: multi qui in eius nunquam schola auditores exstiterant, ut discipuli tamen fuisse viderentur, SCOTI opiniones ubique iactitabant. Tanta eius doctrinæ sapientiæque fama, erat tanta nominis auctoritas, tantus eruditionis ubique splendor. O fœlices vos & fortunatæ multum Academiæ, quæ tanti viri vocem vestris in pulpitis personantem audivistis! Fœlix tu in primis Oxonium, cui ille primam suam tuis in scholis vocem, dum Theologiæ sublimioris arcana interpretatur, consecravit. Fælicior tu Lutetia, quæ cum illum primo in Academia tua loco donavisses, illam ipse insolito splendore prorsus illustravit. Fælicissima tu vero, Colonia, quæ ut olim venienti Platoni Syracusanorum Rex quadrijugis albis & vittata navi; ita tu Scoto adventanti magna populi frequentia, celebri magnatum tuorum apparatu ita occurristi, ut eum non aliter quam Solem aliquem tibi exorientem susciperes & amplecteteris. Tuam ipse Academiam divinæ suæ sapientiæ radiis illustravit, & cum mori aliquando deberet, in tuo sinu moriendo con-

Exclamatio.

Confluxus ad hunc Scotum.

Apostrophe

Alia.

Alia.

Mors eius quanta. conquievit. Quid? & extinctus est aliquando Sol ille, à cuius æterno lumine scientiæ omnes lucem acceperunt? Extinctus est. Et obiit ille morte superatus, qui omnem immortalitatem sapientiæ opinione promeruit? Obiit. Et excidit ingenium illud, quod explicabat, quicquid erat summa difficultate interceptum: quod illustrabat, quicquid erat densissima caligine involutum? quod penetrabat & eruebat, quicquid infra tenebras ipsas occultum abstrusumque erat? quod tanquam Oedipus dissoluebat, quicquid in omni sapientiæ parte nodosum reperiebatur? Excidit, & non est amplius vir ille, qui non tam homo acie mentis stupendus, quam inter sapientes quidam existebat Deus? ille vir, inquam, (ac ne vir quidem per ætatem) qui in nullo vel tantillo unquam errore fuit deprehensus? Non est amplius. *Correctio.* Imo, imo extinctus non est, neque enim extingui Sol potest. Non obiit, neque enim obire potest qui est immortalis. Non excidit, neque enim qui gloriæ fastigium occupat, ulla invidia hominum, aut oblivione temporum potest deturbari. Non esse desiit, tam ut semper esset per virtutem & sapientiam suam effecit. Vivit, & vivit immortalis Scotus, docet Scotus, Academias exornat Scotus. At ubi vivit Scotus? In orbis universi scholis & Academiis. Vbi docet? In primis celeberrimarum toto orbe Academiarum cathedris ac pulpitis. Docet in regia Parisiensi Academia, quæ ex conscriptis ab eo libris suos, ut plurimum, articulos toti orbi exposuit, & nunc etiam propugnat. Docet in alma Complutensi Academia, ubi prima sedes SCOTI doctrinam defendit ac tuetur. Docet in Salmanticensi famosissima Vniversitate, ubi inter cæteras celeberrimas gloriosissima est, quæ SCOTI Theologiam divinamque sapientiam, sedes profitetur. Docet Conimbricæ, nam & hæc quoque nobilis Academia Sco-

Loca in quibus Scotus hic modo adhuc floret.

Scoto ſedem ac pulpitum erexit , ut ex eo illuſtrem eius ſapientiam , qui auditores eſſent, hauſirent. Verbo , ut abſolvam , docet in orbe univerſo Scotus, cuius , ſententiis ac opinionibus omnium Academiarum , ſcholarum, cœnobiorum pulpita ſuggeſtusque perſonant. Immo docet orbem univerſum Scotus, à quo quicquid eſt unquam litteris ad poſteritatem tranſmiſſum purpuratorum Romæ partum ſeu Cardinalium authoritate ac decreto typis ad publicam hominum omnium utilitatem commendatur. Non ignoro ingenia quædam (invidiane dicam, an dicendi libertate commota ?) ſed ingenia tamen quædam, quæ inſolentiæ temeritatique ſuæ modum ponere nec ſciunt nec poſſunt, ſuos calamos in hoc ſapientiæ miraculum ſtrinxiſſe. Scio nonnullos etiamnum eſſe , qui cum aliquam ab inuſitata ſapientia , adeoque ab ipſa Eloquentia commendationem quærant , in Scotum debacchántur , ſtylum armant , commentitiis periodis inſtruunt, amplificationibus falſiſſimis extendunt, mordaciſſimis verbis acuunt, tantum non dentes aut ungues exerunt. Ita (ſi Diis placet) victoriam petunt, qui porrigere de ſe herbam palmamque coguntur. Ita triumphum ducere volunt, qui ne pugnare quidem ſciunt. Quaſi vero ſatis ſit invidere, ut vincatur: ſatis calumniari, ut triumphetur. Tantus Sol nubeculas iſtas uno radio diſpellit, & Ecclypſin pati non poteſt. Tanta Aquila dum in aere ſublimi volat exſurgentes è terra vapores non ſentit. Exuit ætatis ſenectutem , & æternæ gloriæ famæque iuventutem immortalis induit. Quid invidiam ſtringunt? Invidere poſſunt, nocere non poſſunt. Quid pugnam volunt? Semper à pugna victor Scotus diſceſſit. Quid ſtylum vibrant ? Tangi ne quidem Scotus poteſt. Quid convitia & calumnias eructant ? ſua ipſa falſitate iacent. Quanquam ne arenam rurſus me-

Invectio in eos qui Scotum vituperant.

Traductio.

Conclusio. meditemur, ubi victoriæ certitudo iam triumphum adornavit, iacet, & si frendet, invidia; ceciderunt calumniæ, reiecta sunt ingeniosa & invidiosa commenta, & iam ex operosis operibus, ex portentosis voluminibus, ex in gloriis illis libris, *Complexio.* quicquid in Scotum invidia excogitavit, quicquid calumnia evomuit, quicquid armatus livore calamus consignavit, delendum est, exterminandum, & æternæ oblivioni tradendum est. Ita veritas ipsa comprobavit, voluit, præcepit. Adeo *Applausus ad ipsum Scotum.* iam orbis universus, tibi Scote, libera voce & manu applaudit; tibi, inquam, invidiæ victori, sapientiæ Regi, Theologiæ Principi, trophæum Æternæ memoriæ, & immortalis Famæ libenter erigit. Ego vero parvum hoc eloquentiæ tibi devotæ Monumentum sempiternæ laudi tuæ, etsi impar dignitati, merito & ex animo pono.

F I N I S.



CERTAMEN
ORATORIUM
DE
MILITARI GLORIA

Inter septem Milites


HISPANUM, GERMANUM,
FRANCUM, ITALUM,
POLONUM, BELGAM,
HUNGARUM.

Stylo NICOLAI VERNVLÆI
Publici Eloquentiæ Professoris
Lovanii.



COLONIÆ,
Apud JODOCUM KALCOVIUM,
Anno M,DC.XLVIIII.

2



Illustr.^mo & Excell.^mo

HEROI

AMBROSIO SPINOLÆ

DUCI SANSEVERINI,
PRINCIPI SARAVALLÆ,
MARCHIONI VENAFRI,
EQUITI AUREI VELLERIS,

PHILIPPO IV.

Hispan. & Indiarum Regi,
Principi Belgarum, &c.

A CONSILIIS BELGICIS,
MAGNO PALATII MAGISTRO,
SUPREMO MILITIÆ PRÆFECTO,
DOMINO SUO

Fœlicitatem & Victoriam
precatur

NICOLAUS VERNULÆUS.



S I permittis, ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME PRINCEPS, Ecce Castra tua subeunt diversarum Nationum Milites Septem, & ad EXCELLENTIÆ TUÆ Judicium provocant. De Militari Gloria inter se certant, & eam sibi ac suæ Nationi vendicare quisque contendit. Heroicæ sunt altæque Indolis omnes, in quibus generosus sanguis nihil nisi Militarem Laurum concupiscit. Ut autem rationum momentis in hac Arena, non gladiis aut hastis agant, Stylum ferreum ponunt, Oratorium assumunt. Ita fit, ut singuli suorum armorum merita allegent, & supremam Belli Gloriam tanquam sibi debitam deposcant. Omnes verò TE JUDICEM consensu unanimi eligunt, & stare acquiescereq; EXCELLENTIÆ TUÆ Arbitrio sunt parati, quòd & Te omnium Belli Ducum hoc tempore maximum, & perfectæ Militiæ Miraculum agnoscant. Imò etiam libenter eius Ducis sententiam exspectant, cuius ductu & auspiciis gloriosam sanè Militiam sibi ducunt. Adeo non tantùm sub SPINOLA semper vincere, sed etiam militare gloriosum est. Id fatentur & deprædicant Hispani, Itali, Germani, Galli, Belgæ, qui cùm in Castris tuis tuorum armorum Gloriam admirentur, sapientissima consilia & inusitatam prudentiam quotidie suspiciant, tum EXCELLENTIÆ TUÆ libenter subsunt. Nec satis sanè quisquam Bellicosum se putat, nisi sub SPINOLA Militiæ & Armorum Magistro tyrocinium posuerit. Poloni verò ac Hungari, etsi sub Tuis signis ac vexillis hodie non sint, TUÆ

ta-

tamen EXCELLENTIÆ Illustre Nomen Gloriosissimâ Famâ notum ita benevolo animo venerantur, ut Militiæ Tuæ dare nomen optent, & TE ARBITRUM pro Gloria obtinenda non recusent. Aiunt enim Iudicare de singularum Nationum fortitudine, armis, & militia solum SPINOLAM posse, qui omnem armorum Gloriam insigni animi magnitudine supra Invidiam sibi vendicavit, & sub quo Nationes ferè omnes summà solent cum laude Militare. Quod cùm ita sit, ILLUSTR. DOMINE, submissis parumper EXCELLENTIÆ TUÆ fascibus, audi, obsecro, Milites hos de Gloria Militari tam gloriosè concertantes, & pro tua singulari prudentia, experientiaque, Iudica. Nemo eorum ab Arbitrio sententiaque Tua provocabit, & Gloriæ sibi quisque tantum assumet, quantum tribueris. Etiam summæ laudi sibi ducent, à Summo Duce laudari. Interea animos suos & arma EXCELLENTIÆ TUÆ, qua possunt promptitudine, consecrant. Ego verò, ut Deus Opt. Maxim. tam gloriosis Armorum Tuorum conatibus aspiret, & de Hostibus pro Religione, Rege, Patriâ victoriam concedat, voveo & obtestor, Lovani III. Id. Aug. CIƆ.IƆC.XXI.

AD LECTOREM.



N, *Lector, ad Certamen te vocamus, non ut pugnes, sed spectes. Pugnant Ingenui & Docti Iuvenes, Auditores mei & Eloquentiæ Candidati, non ut sanguinem eliciant, sed eloquentiæ specimen exhibeant. Huic ipsi industriam & operam suam sub me consecrant, ut Reipublicæ aliquando prosint. Placuit in Nobili Argumento, De Gloria Militari, vires suas probare, ut tibi inprimis materiæ dignitate placerent, tum ut gloriosiùs sese exercerent. Quippe de Gloria Militari certantes Gloriam quæsiverunt, & cùm Milites agerent, Oratores videri voluerunt. Suam Palladem armatam esse non ignorant, quæ lævâ librum, dextrâ hastam teneat. Ita verò certaverunt, ut cùm vincere singuli contenderent, nemo tamen sit victus. Gloriam omnes & album calculum reportaverunt, Nemo nigrum. Neq; animus erat suam laudem ulli Nationi diminuere, sed sanè augere. Adeò laudare placuit, non vituperare. Tu, si vis, iudica de principatu. Nec mireris septem tantùm in hac Arena Nationes comparere. Inter Europæ populos hoc certamen est, in ea verò qui præterea populi supremam sibi armorum Gloriam vendicent? Britannos scimus strenuissimos, quorum tot in Galliis trophæa, validissimos Bohemos & robore verè Martio fortissimos, generosos & severo in hostes animo Burgundos, manu animoq; bellicosos Sabaudos, omni armorum genere præstantes Lotharingos, alios Martiales omnes populos; sed qui aut septem his Nationibus adiungantur, aut sanè certare de Gloria cum iis non possint. Tu hisce fruere, Candide Lector, & generosis conatibus fave.*

CER-

CERTAMEN
HOC ORATORIUM
SUBIERUNT
Ingenui & Eruditi
JUVENES
Eloquentiæ Candidati.

Hilduardus Daen Teneramundanus, *qui Hispanum militem egit.*

Petrus Berurier Crispiniensis, *qui Germani personam induit.*

Paulus Hermans Lovaniensis, *qui Franci partes suscepit.*

Laurentius Impens Lovaniensis, *qui pro Italo concertavit.*

Joannes Simonius Fleuricensis, *qui pro milite Polono dixit.*

Joannes Franciscus de Uroey Lovaniensis, *miles Belga.*

Georgius Schryverius Thenensis, *qui Hungarum repræsentavit.*

III. Idus Aug. CIↃ.IↃC.XXII.

LOVANII
IN PUBLICA
ARTIUM SCHOLA

Spectante & Audiente Academia.

CENSURA.

ORatorium hoc de Gloria Militari Certamen, cùm incruentum ſit, ſine mutilationis atque irregularitatis periculo iniri, & ubi voles, renovari poterit. lectum ſanè non minus elegantia ſtyli, quàm Hiſtorica narratione placebit.

GUIL. FABRICIUS, Apoſtolicus ac Regius Librorum Cenſor.


CER-



CERTAMEN ORATORIUM DE GLORIA MILITARI.

ORATIO I.

Hispani Militis.



N Arenam igitur hodie, si Diis placet, Hispani provocamur. Provocant Germani, Galli, Itali, Poloni, & ne quid pudori desit, etiam alii Populi minores. Sanè dubia esse militaris Laurea nō potest, quæ Hispanorum semper vertices coronavit: quoniam tamen eam nobis invidere, eripere cæteri non possunt, in Arenam, per me equidem licet, descendamus. Hispanorum ea laus est immortalis alios vincere, aliorum gloria est vinci ab Hispanis. Sed pudet hodie linguâ, non gladio certare, neque enim Hispanorum est verbis gloriam quærere, sed armis. Da veniam & ignosce, ô Bellatrix & utriusq; mundi victrix Hispania, ego hodie miles tuus, tuam Gloriā propugnabo, quam eripere tibi nunquam illa olim Romanorum arma potuerunt, tantum verò ducētis annis tuas provincias utcumq; labefactaverūt.

 Nemo

Nemo unquam Hispanicus est appellatus, quia nemo vnquam te vicit. Tuam amicitiam cùm per Legatos Magnus Alexander accepisset, tum sibi priùs rerum omnium Dominus est visus. Te cùm aliquando pacavisset Julius Cæsar, inter præcipua suorum Militum decora connumeravit. In te cum defectionem aliquam Augustus Nero intellexisset animo fracto collapsus, actum esse de se pronunciavit. Unica tantùm urbs tua Numantia Imperii Romani terror est appellata. Tanta olim fuisti, tanta hodie, imò maior est, ô Hispania, & tamen quæ te Gentes omni ætate horruerunt, tecum ecce de Militari Gloria certare concupiscunt. Certemus. Quæritisne, vos Populi, quibus maioribus orti simus Hispani, qui Militaris Gloriæ laurum nobis vendicamus? Iis sanè, quibus militares equi & arma sanguine ipso erant chariora. Qui assueti erant

Non vitam sine Marte pati, quippe omnis in armis
Lucis causa sita, & damnatum vivere Paci.

Quibus corpora ad inediam erant & laborem parata, animi ad mortem. Qui in acie cùm essent, tanquam vitâ gloriosè excessuri, exultabant; cùm in morbo, tanquam turpiter & miserabiliter perituri, lamentabantur. Quibus cùm aliquando Portius Cato quorumdam offensus rebellione arma ademisset, cùm nullam ipsi sine armis vitam arbitrarentur, ultrò sibi mortem consciverunt. Quis Cantabros (Biscainos hodie appellamus) unquam ignoravit,

——*Hyemisq; æstusq; famisq;*
Invictos, palmamq; ex omni Marte ferentes?

Illi maiores sunt nostri, qui ne servitutem aliquando servirent, igne ferro, veneno à captivitate sese vindicaverunt. Quis Astures, bellicosissimam sanè Gentem, non audivit? Illi maiores sunt nostri, qui Augustum trepidare sub armis fecerũt; qui excusso Maurorum iugo universam continuis bellis Hispaniam recuperaverunt. Quis Viriatum, qui Romanos quatuordecim annis variâ victoriâ fatigavit, & vinci nisi dolo non potuit? quis Lusitanos, qui eorumdem Romanorum potentiam sua virtute concusserunt, non omni ævo est admiratus? Hi maiores sunt nostri, tanti illi ac tales Hispaniæ populi, apud quos cæterorum populorum Duces militiæ tyrocinia fecerunt; quorum virtuti cessit Græcia, cessit Asia, cessit Oriens & Septentrio, dum Romanorum arma iuverunt. Nec nos hodie vel animis vel armis ab eorum Bellica virtute degeneramus, quam cum luce nascentes haurimus. Tanti illi ac tales olim extiterunt, tanti hodie ac tales sumus Hispani, ut non immeritò, (audite vos, & audiant posteri) universus credat Orbis Hispanum unum quatuor Germanis, tribus Gallis, duobus Italis æquivalere. Addo etiam plus in unius Hispani manu roboris esse, quàm in Turcarum, aut Indorum, aut Barborum aliorum decem lacertis. Nimirum nos hominum genus sumus robustissimum, & laboris ad arma patientissimum. Nobis inedia, vigiliæ, sitis, fames, sudor, & ad omnem militiæ disciplinam obsequium ita ludus est, ut præcipuæ virtutis partem esse malis ac periculis non fatigari credamus. Animi nostri graves sunt, ac cum pondere quodam generosi, ut cùm ad om-

nia pericula pervicaces existamus, tum ne tēpore quidem aut tædio vincimur. Quem semel locum insedimus, hunc semper ita retinemus, ut amoveri non possumus. Hæc est Hispanorum constantia. Modicus plerumq; panis iam assuetis rigidissimæ virtuti corporibus nostris sufficit. Hæc est Hispanorum frugalitas. Mutuò nos ut fratres diligimus, laceros Commilitones libenter vestimus, ægros benignissimè iuvamus, novitios & in numerum nostrum militari sacramento receptos erudimus, ac peccantes humanissimè corripimus. Hæc est Hispanorum charitas. Nullæ inter nos sunt turbæ, nullæ in Regem aut Præfectos seditiones, & extrema pati potius in votis est, quàm tumultuari. Hæc est Hispanorum fides, qui cùm se Ducibus aliquibus devoverunt, non priùs fidem apud eos, quàm vitam relinquunt, unaq; cum iis moriuntur. Ideo tantopere illis Hannibal fidebat; ideo Pompeius sui exercitûs illos robur constituebat; ideo Numidiæ Rex Iuba & Octavius Augustus ad suorum corporum custodiam adhibebant. Quanta est erga Deum Hispanorum fides, tanta profectò est erga Reges ac Duces. Quæritis quis sermo sit noster? De officio Militum ac Ducum, de obsequio, de honore, de virtute, de armorum gloria, de victoriis ac triumphis. Quæritis quātum sit ac quàm promptum obsequium? Nemo nostrûm, quanquā nobilissimus, minimi etiam imperium detrectat. Et cùm in remotissimas alioque Sole calentes Regiones à Regibus nostris ad oppugnandos Barbaros quotidie mittamur, ita prompti, ita obsequentes, ita alacres abimus, ut sine sanguine pulvereq;

rem

tem domi non foris gesturi videamur. Atque hæ cùm in nobis Hispanis sint virtutes, tum fœlicitas quædam incredibilis, & suavissimus fortunæ favor comitatur. Ipsa terra, ipse Oceanus, ipsum etiam nobis cœlum famulari videtur. Nec nos sequitur tantùm fortuna, sed vota nostra præcedit, supra vota nostra volitat, & plusquam velimus, liberaliter elargitur. Dicam sine fastu, quod sine admiratione audire Orbis non potest. Nullius unquam ætatis, sæculi, Nationis imperium ita excrevit, cuius fœlicitatem Hispanorum virtus ac fortuna non antecellat. Enimvero Duces aliquos nostros inprimis, tum Milites videte, ut quanti, qualesque simus Hispani, cognoscatis. Non fabulosos hic Annales evolvo, sed nostræ memoriam ætatis excutio. Hispanorum Dux fuit Gonzalus Ferdinandus Aquilarius, Dii boni, quantus Vir! Neapolitanum Francis regnum eripuit, & ab hoste Ludovico duodecimo torquem auream accepit. Hispanorum Dux fuit Ferdinandus Alvarez Dux Albanus. O noster ille Cæsar! Ab eo territa Gallia est, defensa Hungaria, pacata Germania, victa Africa, cōcussum Belgium, castigata Hispania, superata Lusitania, & illa Mundi Domina Roma, cùm capere eam posset ac nollet, contempta. Hispanorum Dux fuit Petrus Enriquez Comes Fontanus, qui in medio belli duplicis ardore oppida invicta vicit. Hispanorum Duces fuerunt Christophorus Mondragonius, & Alvarus Sandæus: illius ferre præsentiam nunquam hostes potuerunt; huius memoriam etiamnū hodie immanissimi Turcę venerantur. Noster fuit Antonius Leva Consilio

Marteque insuperabilis. Noster est Illustrissimus Ludovicus Velascius, Equitum Magister, cuius generositas omnem hostilium armorum vim aspernatur, & dum metum excludit, vinci nequit. Tantum est eius nomen, tanta virtus in armis. Noster fuit Ferdinandus Cortesius, qui omnium post homines natos Imperatorum gloriam superavit, Noster fuit Franciscus Almeida, qui Campsonis Ægyptii Sultani classem profligavit. Noster fuit Alphonsus Albuquercius, qui Goam, Malacam, Calecutum occupavit, Turcas toties & Saracenos non minùs gloriosè, quàm fœliciter fudit. Nostri fuerunt Suarii, Sequeræ, Menesii, Gamæ, Sampasii, Cugnæ, Norognæ, sexcenti alii, Hercules omnes, omnes Hectores, omnes Achilles, Bellorum nuper fulmina, nunc gloriæ æternùm victuræ miracula. Et tu noster es, ô victoriosissime Consalves de Cordua, cuius gladium nunquam hostis vidit, quin sanguinem & vitam amiserit, cuius manu tot illi frustra suscepti ab Exrege illo Frederico Palatino & Mansfeldio conatus reprimuntur, Cæsarea Regiaq; authoritas asseritur, divina vindicta propagatur. Sed ad Milites nostros veniamus. Profectò quot Hispani sunt Milites, tot esse Duces deberent: tanta virtus est eorum, tanta fortitudo, ut vinci vix unquam possint, vincere semper, etiam contra spem omnium & opinionem soleant. Vos Germani, numquid illos adhuc Hispanos admiramini, qui bello Saxonico vestibus exutis per medios tormentorum ac sclopoperum ictus, gladios ore transversos deferentes, natando errantes in Albi flumine naves assecuti triginta

quinque ex hostibus cæsis in citeriorem ripam adduxerunt? Vos Franci, numquid illos adhuc bis mille Hispanos laudatis, qui ex clade Ravennatensi iustis ordinibus abeuntes insequentem hostium equitatum vicerunt, & ipsum Gastonem Foxium victorem interfecerunt? Quid quòd Hispanorum quatuor millia Sandæo Duce ab hostium Maurorum viginti millibus sexies viribus omnibus petita media in Barbaria suorum octoginta duntaxat amissis, hostium cæsis octingentis victoriam reportaverunt? Quid quòd paucissimi Horuccium Barbarussam Algerii Regem per medias Mauritaniæ solitudines fugientem, ac frustra, ut remoraretur, aurum spargentem fortiter occiderunt? Quid quòd Lusitaniam buccellato tantùm victitantes, nullâ urbium prædâ concessâ quinquaginta dierum intervallo subegerunt? Nec immeritò ingeminabant ipsi, eo se modo Lusitaniam cœpisse, quo cœlum acquiritur, aquam bibendo, panem comedendo, ab alienis rebus abstinendo. Obstupescite sanè, & quæ dicam, audite. Sub Francisco Pizarro quadraginta quinque Equites, & Pedites viginti quinque Hispani, quadraginta Barbarorum armatorum millia profligaverunt. Hic Hispanus unus adversus quadringentos ac plures pugnabat. Sub Ferdinando Cortesio quingenti Pedites & Equites quindecim Hispani, contra Barbarorum millia centum quinquaginta victores nullis suorum amissis extiterunt. Hic unius manus adversus quingentos dimicabat. Sub Odoardo Pacieco septuaginta dumtaxat Lusitani quinquaginta septem millia Arabum Indorumq; fude-

fuderunt. Sub Almeida novendecim Hiſpanorum naves, hoſtiles centum omni armorum militumq; genere inſtructiſſimas ſuperaverunt. Sub Ferdinando Gundiſalvo treceni duntaxat Hiſpani Almanſarem Africæ Regem & ſexaginta cum eo armatorum millia deleverunt Froila cum parva manu Saracenorum millia quatuor & quinquaginta, Alphonſus Caſtus ſeptuaginta, Ranimirus octoginta proſtraverunt. Et verò, (obſtupeſce poſteritas) cum pauciſſimis ac nullis ferè copiis, Mahumetanorum ducenta millia Rex Alphonſus cecidit, vigintiquinque tantùm è ſuis deſideravit. Ita Hiſpanorum ubique conatus victoria coronat, & eorum virtus ubique de Fortuna triumphat. Nos Africæ compedes iniecimus, nos Aſiam fræno teremus, nos Europam ferè totam imperio premimus; nos Indias utraſque, nos Americam & innumeros in ea Reges ſub iugum miſimus; nos Antipodibus alio pene ſub Sole poſitis, & hominibus ipſa Barbaria magis Barbaris ius dicimus. Nos Orbem alium à nobis inventum gubernamus, & ſi novi exiſtant Anaxagoræ, qui novos atque adeo infinitos conſtituant Mundos, dabit noſtra Hiſpania novos Alexandros, qui vincant & adminiſtrēt. Adeo iam illud in univerſi Mundi confeſſione poſitum eſt, omnium fortiſſimos, bellicoſiſſimos, victorioſiſſimos eſſe Hiſpanos, quibus nec fortuna dominari poſſit, nec mors. Quippe;

Prodiga gens animi, & properare facillima mortem,
Namque ubi tranſcendit florentes viribus annos
Impatiens a vi ſpernit noviſſe ſenectam,
Et fati modus in dextra eſt.

Ce-

Cedite igitur, cæteri Populi, & Fortunæ Victores, Mortis Contemptores, Rerum Dominos Hispanos agnoscite. D I X I.

ORATIO II.

Germani Militis.

NUnquam sanè virtute ulla reliquis cedere Nationibus Germanorum fuit. Quidquid virtutis est, quidquid virilitatis, animo & ipso nomine induimus. Germani sumus, hoc est, Bellaces viri: Alemanni sumus, hoc est, toti viri. Et erunt aliqui, de fortitudinis Bellicæ Gloria contendere cum Germanis audebunt? Nihil Herculi cum larvis, nihil Leonibus cum formicis. Date Alexandros, date Pyrrhos, date Augustos, murium ac ranarum sunt eorum res gestæ toties inflatis buccis decantatę, si cum nostris bellis comparentur. Tantas res gessimus, quantas audere vix hominum est, perficere nullorum, nisi Germanorum fuit. Non nostrûm equidem est in maioribus nostris gloriari, maiores enim nostros virtutibus adęquamus, & generosi, nunquamque degeneres posteri nova gloria partam ab illis gloriam augemus. Quod si tamen eorum vel repetita tantum mentio silentium cæteris imponere possit nationibus, aliquam sanè parvamq; faciamus. Quinā igitur erant prisci illi Germani? Illi apud quos, Tacito teste, scutum reliquisse, flagitium erat enorme; quorum Principi virtute à quoquā vinci turpe; quorum populo virtutem Principis non adęquare turpissimum: infame verò in oēm vitam ac probrosum superstitem

Prin-

Principi suo ex acie recessisse: illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ eius assignare, præcipuum erat Sacramentum. Sed iterum, Quinam igitur ac quanti maiores illi nostri vixerunt? Qui Gallis terribiles essent, Romanis formidabiles. Tanti verò, ut cùm de transmittendo Rheno cogitarent, atque in Galliis lamentabili voce ingeminaretur: Adsunt, adsunt Germani, confestim ibi omnes trepidantes fugam arriperent, in speluncas confugerent, atque ibi delitescentes multis lacrymis impendens sibi fatum deprecarentur. Atque ideo provoluti aliquando ad Cæsaris pedes Galli multo fletu, ut se contra Germanos tueri vellet, efflagitaverũt. Tanti, inquam, ut Romani ne vultum quidem Germanorum intueri, ne c oculorum aciem ferre possent. Si quandoq; vel solum nomen audirent, toti timore quodam exhausti mulierum instar lachrymabantur, discedendi veniam à Ducibus suis postulabant, aut si pugnandum tamen esset, in tabernaculis suis abditi primò fatum suum querebantur, tum quia è pugna redeundi nulla spes erat, totis castris testamenta condebant & obsignabant. Nolo hic Antiquitatum ultimarum Reges advocare, Tuisconem, Mannum, Ingævonem, Hermionem, Istævonem, Suevum, Marsum, Vandalum, Gambrinium: de tota ipsa gente nostra loquor. *Invicti* erant olim Germani, incredibili virtute atque armorum exercitatione robustissimi, ac tales, qui intra annos quatuordecim nullum omnino tectũ subirent. Tales, inquam, ut nemo se olim cum Germanis virtute compararet: nemo in terris esset,

ſet, quem ſuperare illi non poſſent: immò verò judicium Antiquitatis audite) ne Dii quidem immortales Suevis noſtris pares eſſent. Fuerunt è Germania noſtra Normanni illi bellicoſiſſimi, non obſequiis, ſed armis ſemper magni, qui tam late nominis ſui terrorem omnibus penè populis impreſſerunt, ut ad eorum vim avertendam Eccleſia ſupplicationibus indictis Deum deprecaretur. Prodierunt è nobis Gothi Vandalique, & quicunque unquam bellis formidoloſi extiterunt, vel Germani fuerunt, vel à Germanis oriundi. Illi ſunt, qui Julio Cæſari in Campis Pharſalicis victoriam pepererunt. Illi ſunt, qui Quintilium Varum, & cum eo legiones media in Germania tam glorioſè profligarunt, ut vota pro meliori imperii ſtatu ab Auguſto Romæ nuncuparentur. Illi ſunt, qui à Romanis mundi victoribus vinci nunquam potuerunt, victores eos cæterorum ſemper vicerunt, eorumq; luxuriantem plerumq; & ſuperbiæ pennis altiùs evolantem fortunam cohibuerunt. Dicam cum Poëta, illi ſunt,

Illi terribiles, quibus otia vendere ſemper
Mos erat, & requiem, & fœdus mercede paciſci.

Quibus, inquam, ignaviæ inertiæq; dabatur ſudore id acquirere velle, quod effuſo ſanguine poterat glorioſiùs comparari. Et verò ut non maioribus dumtaxat noſtris, ſed etiam nobis militarem deberi lauream manifeſtemus, an non natura ipſa bellicoſi ſumus Germani, & ad arma capeſſenda tractandaq; cumprimis idonei? Eximia nobis ſunt proceraque corpora, oculi minaces, truces vultus, aſpera vox, fractumque ad terrorem concitandum

mur

murmur. Vis ipsa mentium nostrarum excelsa, & ad æternos labores robusta ; adeo nihil est tam arduum, tam durum, quod pertinacem Germanorũ patientiam fatiget. Quæcunque in nobis virtutes sunt, viriles sunt & Germanæ. Ignota nobis est perfidia, etsi venali fortitudine stipendia quandoque sub externis mereamur, validum est & vegetum ingenium, sed fraudis nescium, quippe decipere sincera Germanorum simplicitas ignorat. Ut candidi animi sunt, ita virtutes, ita facta ; nec alienam gloriam maligno livore delibamus, sed veris sincerisque præconiis extollimus. Audiant ætates meæ omnes & Nationes. Quicunque Germani nascimur, Milites nascimur & bellicosi, quorum in lacertis robur est, in pectoribus fortitudo, in manibus pugna, in gladiis victoria. Imperterriti ad arma sumus, & cùm pugnandum est, prima in acie collocamur, cùm subsistendum ad machinas, quas nemo priùs eripiet nobis, quàm super eas lacertos amputabit. Aut hostem invadere, aut hostilem impetum sustinere, infringereque eiusdem est Germanorum virtutis: vallum autem transcendere, fossas superare, in muros insilire summam sempiternæ gloriæ ducimus occasionem. Si quis se, si quis suos malè forsan mulctari desiderat, pugnet, vetus inquit Proverbium, cum Germanis. Quamobrem verò? Quoniam nemo unquam Germanorum gladios irritavit, qui non eosdem suo sanguine purpurarit. Nec Ducibus unquam præstantissimis, nec Militibus fortissimis destituta unquam Germania fuit. Glorietur superba illa Græcia in Miltiade, Themistocle, Aristide, Alcibiade, Thra-

Thrasibulo, dedimus maiores illis Ottones, Carolos, Henricos, Harminios, ætatum omnium quædam prodigia. Superbiant ambitiosissimi Romani in Scipionibus suis, in Pompeis, in Cæsaribus; nos Conrados illis & Fridericos opponimus, quorum gladios nunquam illi intueri potuissent. An non ipse de Germanis testatus est Pompeius, Solos illos fide & armis Gentibus omnibus præstare? An non Claudius quoque Imperator nullos mortalium ante Germanos fide aut armis reperiri probavit? Quippe una est Germanorum dextera fidei sedes & instrumentum victoriarum. Quippe soli sunt Germani, qui dolum & astutiam execrantur, frontem ac mentem gerunt apertam: deliberant dum fingere nesciunt, constituunt dum errare non possunt. Existat hic Wilhelmus ille Senior Dux Lunæburgensis, Dii boni! quàm illustris Heros? Nunquam ex prælio nisi partâ victoriâ recessit, & septē victoriis splendidissimis nobilitatus Victoriosi cognomen reportavit. Existat ex Brunsvvicensi Familia Senior Dux Ericus. O Illustrissimum Germaniæ decus! Decies collatis signis in acie stetit, conflixit, vicit. Plusquam vigesies pinnacula murosq; hostium ipse conscendit, invasit, superavit. Baucrica in pugna Imperatorem Maximilianum clava ferrea graviter percussum, & iam succumbentem sua manu erexit, servavit, suis restituit, ipse lethale pro illo vulnus reportavit. Existat hic Henricus Quartus Imperator, ille Maiestatis Imperii acerrimus sanè vindex. O quis illi unquam ex omni Antiquitate par esse posset! Bis & sexagies acie dimicavit, sæpissimè victor, nunquam alias

asper-

aſperrimis bellorum & hoſtium difficultatibus animum deſpondit. Deficerem hic apud vos profectò, ſi plures alios è Germania noſtra Duces, Othones, Ludovicos, Wolffgangos, Fredericos, Albertos, Maximilianos, alios innumeros commemorarem. Illi inter homines non tam homines extiterunt, quàm divini quidem Heroës, qui ante mortem fato æternitatis cõfeſſionem eripuerunt, & à quibus Virtus Fortunaq; nominis ac famæ æternitatem accepiſſe videntur. Una velut in Tabula Germanorum Ducum ac militum, obſecro vos, fortitudinem videte. Obſederat elapſo ſæculo Solymannus Auſtriæ Viennam nondum propugnaculis, ut hodie, munitam. Trecenta hominum millia aquâ terraque urbem cingebant, interclusa omni ex parte erant itinera, in urbe verò ſedecim duntaxat Germanorum millia Philippo Palatino ac Nicolao Comite Salmio Ducibus, qui immanem illam ac Barbaricam molem exciperent. At quis exitus tandem? Turcæ vigeſies ſumma vi muros urbis ſunt aggreſſi, ſed & vigeſies à muris ita generosè rejecti, ut de fuga ſummo nominis Othomannici decore cogitare, urbem amplius tentare non auſi, aut Germanorum vires experiri, debuerint. Tales ac tanti ſunt Germani, ut eorum millia ſexdecim, immaniſſimorum Turcarum trecenta millia profligent, & in fugam turpiſſimam convertant. Verè, verè dicere aliquando potuiſti, ô Imperatorum Maxime Carole Quinte, id eſſe Germanos in exercitu, quod pectus eſt in corpore humano. Ut enim ab hoc vis eſt omnis & vita, ita ab illis omne robur & victoria. Verè tu etiam

Ru-

Rudolphe, etsi magnâ fiduciâ, dixisti, te qualibet in mundi parte cum Equitum Germanorum quatuor millibus & Peditum quadraginta stare invictum posse. Verè tu quoque Stephane Secunde Ingolstadiensis, nullum esse Bavarum, sed ego addo, nullum esse Germanum militem asseveravisti, in cuius sinu solus & inermis dormitare tutò non posses. Nimirum ita invicti sunt Germani, ut in eorum sit manu cæterorum salus & tutela. Et quemadmodum reliquæ omnes ab iis Nationes Nobilitatem acceperunt, ita Virtutem, ut quidquid præclarè gerunt, debeant acceptum Germanis. Nullæ sine eis sunt expeditiones, nulla sine exercitu Germanico bella, quod intelligant Principes omnes & Reges, vix sine Germanis victoriam ullam esse posse, qui de omnibus ferè Nationibus victoriam aliquam reportaverunt. Ita placet ordo, quem nunquam deserunt; placet incessus, qui gravis est & firmus; placet constantia, quæ nullius audaciæ vi labefactatur; placent Germani Pedites, & illi Suevi, Westphali, Tyrolenses; placent Germani Equites, & illi Brunsvvicenses, Clivenses, Franconienses. Quorum omnium si quis fortitudinem nondum adhuc satis exploratam habet, recordetur, quòd cùm anno supra millesimum quingentesimo Potentissimus Moscoviæ Dux in Livoniam cum Moschovitarum centum, & Tartarorum triginta millibus irruisset, ei Bellicosissimus ille Waltherus à Pettenburgo Summus Theutonicorum Magister obviam prodierit, qui cùm sub signis septem tantùm Germanorum millia, & quinque Livonicorum haberet, centum hostium mil-

millia una acie proſtravit, & uno ſuorum amiſſo invidendam omni antiquitati victoriam eſt conſecutus. Non poſſum immortalia Germanorum facinora his anguſtiis breviſſimi temporis complecti: gaudeo verò, ac mihi gratulor, quòd Germanus ſim, eiuſque Gentis, quæ quemadmodum Imperii Aquilam & ſupremæ in terris Maieſtatis faſtigium habet, ita bellicæ laudis, & militaris fortitudinis lauream poſſidet. Cedite igitur, Populi omnes, Maioribus veſtris ac Parentibus Germanis. D I X I.

ORATIO III.

Franci Militis.

Quòd ſi hodierna die ita Fato quodam eveniret, ut veteres illi Romani Rerum quondam Domini militarem lauream bellicoſiſſimæ Nationi conſignare deberent, dubium profectò non eſt, quin eam eorum iudicio tanquam omniũ populorum fortiſſimi victorioſiſſimiq; Franci reportarent. Nam cùm illi de gloria cum Nationibus cæteris non rarò dimicarent, tum cum Francis de ſalute certabant. Nimirum belli gloriâ Gallos ante Comanos eſſe, ne ipſi quidem Romani dubitabant; ſuam verò ab eorum armis ſalutem vindicare, hoc opus, hic labor erat. Atque idcirco cùm exorta aliqua belli Gallici tempeſtas erat, nulla conditio vel ætas ab armis excuſabatur, ipſique ſexagenarii depontaniq; Senes, & Sacerdotes in militiam conſcribebantur. Uſque adeo Romanis terribiles erant Galliæ noſtræ Populi. Illi, inquam,

quam, illi fortissimi Populi, qui Romam aliquando Brenno Duce suis in cineribus sepeliverunt; qui Græciam & Asiam summa virtute pervaserunt; à quibus olim Reges, etiam non lacessiti, ingenti pecunia pacem emebant; suis autem Regnis exuti pro restitutione ad eos confugiebant. Quasi tuta esse Maiestas, vel amissa recuperari sine Gallica virtute non posset. Ita omni ætate pugnaverunt ut fortissimi, vicerunt ut fortunatissimi, bellicæ laudis famâ supra omnes claruerunt ut illustrissimi. Quorum fortitudinem si testari vobis ex veteris memoriæ Annalibus vellem, producerem priscos illos Celtas, qui collabentibus ædificiis sese opponebant, Oceanum inundantem sustinebant, fluctuum impetus protensis gladiis & hastis excipiebant. Sed istam summam amentiam ac temeritatem non admiror. Producerem generosos illos Gallos, ex quibus cùm aliquando Alexander Magnus quæsivisset, Quidnam tandem in rebus humanis præ cæteris extimescerent? Unum hoc, inquiunt, ne cœlum fortassis in nos ruat. Adeo non illam Alexandri magnitudinem formidabant. Sed ista nimis etiam antiqua relinquo. Prodeāt potiùs Orgentorix. Divitiacus, Vercingentorix, qui suis gladiis Cæsaris animum & arma hebetaverunt. Prodeant Brenni, quorum unus Romam expugnavit, alter Europam Asiamq; perterrefecit. Prodeat Bayardus, ille Hostium omnium terror, qui non aliter quàm conversa ad hostem facie mori desideravit. Prodeat Bertrandus Guesquinas, qui Petrum Castellæ non Regem sed Tyrannum Regno privavit. Prodeat Pipinus, qui Italiâ Longo-

bardos eiecit. Adsit etiam Gasto Foxius, qui campos Ravennatium tam insigni victoria nobilitavit, & victoriæ trophæum fatali sanguine suo irrigavit. Adsit Blasius Monlucius, cuius Gloriæ tantum invidere fortuna non potuit, ut vel semel vinceretur. Adsit Mathurinus Scutus Romegasius, cuius nomen ac dexteram ita universus aliquando Oriens exhorruit, ut hoc etiam tempore pro terriculamento suis infantibus matres eius nomen inclament. Nihil interim dico de Paulo Thermo, cuius in armis prudentia miraculo fuit; nihil de Ossunio, cuius pugnacitas nunquam est fatigata; nihil de Carolo Cossæo Brissaco, cuius fœlicitas omnium prudentiam superavit. Hi omnes è Francia nostra ita Duces extiterunt, ut sua fortitudine facilè Orbi universo bellicosissimos omnium esse Francos probarent. Quænam ætas autem non dico superiorem, sed parem Carolo Martello unquam protulit, qui anno supra septingentesimum trigesimo trecenta & octoginta Saracenorum millia una acie delevit, mille tantùm è suis & quingentos, hoc est, pro ducentis ac triginta hostibus unum amisit? In hoc uno gloriari profectò Franci possemus, nisi tot eiusmodi fuissent & essent adhuc apud nos victoriosissimi Heroës, quot optare, nedum sperare cæteræ Nationes auderent. Quanta & quàm admiranda bellorum fulmina, Clodovei, Dagoberti, Philippi Augusti, Roberti, Henrici Secundi? Quàm Illustre Franciæ nostræ Decus Carolus Magnus, cui Antiquitas parem dare non potest, posteritas nunquam inveniet superiorem! Enimvero non ea

tan-

tantùm est virtus Ducum, etiam eximia Militum est virtus. Testis est Italiæ fulmen Hannibal, cuius omnes ferè victoriæ Gallorum virtute sunt partæ. Illi ad Trebiam, ad Trasimenum, ad Cannas spectantibus Carthaginensibus vicerunt. Testes sunt fortissimi illi triginta Galli, qui Maurorum Equitum millia duo Africano bello loco suo pepulerunt, inque oppidum summa cum laude sua coëgerunt. Testes sunt illi, qui in Alvarici oppugnatione tam gloriosam mortem obierunt. Stabat ante urbis portam unus, inq; ignem è regione turris sevi ac picis glebas proiiciebat, sed mox scorpione ab latere dextro traiicitur. Vix conciderat, ea proximis unus succedit, occiditur; occisi in locum tertius adest, tertium subitò quoque deiectum quartus subsequitur; nec prius vacuus à propugnatoribus relictus est locus, quàm submotis omni parte hostibus finis est tandem pugnandi factus. Adeo nec Scævolæ, nec Curtii, nec Horatii Franciæ nostræ unquam defuerunt. Vincere aut mori ea demum est Francorum Gloria. Nec ætatem excusamus, nec accusamus: semper Franci floremus, & in æterno sumus robore, seu iuvenes, seu senes. Etiam in senibus iuventutis est robur, & extremam ætatem vivida virtus in quandam commutat iuventutem. Nec ille profectò dixit malè, qui Francum virtutem Heroicè animatam appellavit. Quis in orbe toto angulus est, in quo non Francorum aliqua sit laurus? quæ Regio, in qua non trophæum? quæ Provincia, in qua non triumphus? Totum orbem nostra sumus virtute complexi, & terram universam victorioso

ſemper pede tamquam noſtræ ſubiectum virtuti theatrum perambulavimus. Ignea mens Francis eſt, & in univerſum omnes armis inſuevimus. Si tubarum clangores exaudiantur, ſtamus impavidi; ſi hoſtium pereuntium ac perdentium clamores tollantur, ſtamus imperterriti; ſi telorum ac gladiorum fragores, ſi terrifici machinarum ignitarum boatus tonent, geſtientes lætitiâ exultamus. Loricæ, gladii, haſtæ, ſclopi, delitiæ ſunt nobis.

——Pro Regibus ire
In pugnam & gladios, & morti occumbere dulce eſt,
Sub Dio ad ſydera ſomnum
Carpere, fuſcari Sole & ferrugine pulchrum eſt.
Pulvere conſpergi, gravibus ſudare ſub armis,
Hoc unum eſt Francis votum.

Et verò cùm Gens noſtra armis ſit ſtrenua, tum Equeſtri certamine optima eſt, ignara perfidiæ & indomitæ intra ſe virtutis. An non Parthi, cùm eos Antonius bello laceſſeret, coërceri frangique aliter, quàm noſtro Equitatu, non potuerunt? An non Carolus Quintus omnium qui extiterunt unquam Belli Ducum maximus ac fortunatiſſimus curſum illum victoriarum ſuarum Francorum virtute ſiſti tum animadvertit, cùm in obſidione Metenſi, qui antea, PLUS ULTRA, iactitabat, metas invenit? Hic ille bellicoſiſſimus Guyſius noſter tanto Imperatori ſatis declaravit, plus paucorum Francorum fortitudinem poſſe, quàm univerſam Germaniæ potentiam. An non Turcarum immaniſſimorum Imperator tantopere Francorum noſtrorum vires ac virtutem extimeſcit, ut

ut aliquando per legatos & literas suas officiorum ac benevolentiæ plenissimas à Rege nostro Christianissimo postularit, ut Francos gravissimo edicto suo ab Hungarica militia in Franciam revocaret? Nimirum nihil poterant eius vires, ubi Francorum vires resistebant Nimirum iam Mercurii Ducis, cuius armis Regalis Alba cessit, virtutem invictam perhorruerant: iam Vaubecourii Baronis & inclyti Ducis potentem dexteram, quam amisso Javarino senserunt, nimium extimuerant. An non ii sunt Franci, qui susceptis tot in Terram Sanctam Expeditionibus Barbarorum multoties effrænatam audaciam refrænarunt, & insultantem Christianis eorum fortunam fregerunt? qui media in Asia victoriarum suarum trophæa fixerunt? qui Ecclesiæ Dignitatem adversus Barbaros propugnarunt, & eius imperii fines superstitione deleta protulerunt? Dicat hic Magnus ille, & Divus Gregorius, Quinam sunt Francorum Reges? Reges, inquit, Francorum sunt, qui se semper pro populo Christiano tanquam murum inexpugnabilem opposuerunt. Dicat Honorius Tertius Pontifex, imò de toto Regno nostro loquatur: Regnum, inquit, Franciæ est quasi pharetra, quam Christus sibi circa femur accinxit, ex qua sagittas electas extrahens, ipsas, ut sibi Gentes & Regna subiiciat, in arcu brachii potentes emittit. Dicat verò Carolus Quintus Imperator, quanti ac quales sunt viri omnes in Francia militares? Ego, inquit, cùm aliquando à Tiercellino, quot diebus Pedemontium Parisiis abesset, quæsivissem: Si dies, inquit, singulos pro pugnis accipis, duodecim

omnino sunt: nam tibi duodecies, priusquam Parisios attingas, cum exercitu novo pugnandum erit, nisi primâ fortasse pugnâ statim occumbas. Atque hoc est, quod dicere Laurentius Medices frequenter solebat, Galliam, si suarum sit gnara virium, totum in angustias cogere posse terrarum orbem. Compescuit noster Merovæus Attilam, vicit noster Clodovæus Gothos, subegit noster Childebertus maiorem Hispaniæ partem, subiecit sibi noster Carolus Octavus non totis quinque mensibus Italiam, redegit sub Imperium suum noster Ludovicus Duodecimus totam non integro mense Lombardiam, devicit noster Franciscus Primus memorabili ad Melenianum pugnâ Helvetios, domuit noster Clotarius indomitos antea Saxones. Carolum nostrum Magnum Scotiæ, Gallitiæ, aliarumq; Provinciarum Reges tanquam subditi coluerunt. Verbo dicam, Franci vicimus Orbem. Dicat nunc Guillielmus Brussus in Hispania se Præsules vidisse, in Polonia Nobiles, in Anglia Agricolas, in Germania Principes, in Italia Palatia & Antiquitatum monumenta, in Francia Milites. Verè enim, verè in Francia Milites sunt, sed quibus aliarum Nationum Belli Duces non sanè palmam eripiant. Verùm ut inter tot militaris Gloriæ nostræ monumenta aliquando conquiescam, vobis, quotquot hic estis certantes Populi, unum oppono Henricum Quartum, & eius meritis supremam pro Francis lauream deposco. Ille è tribus iustissimis præliis, è quinque & triginta armatis congressibus, è quadraginta supra centum præliis regiâ pugnatis manu, è trecentis

loco-

locorum oppugnationibus totus ſemper laureatus diſceſſit. Date ſuperiorem, immò date parem, aut Gloriæ bellicæ faſces Ducibus Militibuſq; Francis ſubmittite. D I X I.

ORATIO IV.

Itali Militis.

CRedideram profectò iam olim ſatis Romam docuiſſe, nihil Italis eſſe bellicoſius, quorum virtus non alios potentiæ ſuæ terminos, quàm Orientem Occidentemque conſtituit, & qui omnem Aſiæ, Africæ, Europæque florem ſuo Imperio complexi terrarum Orbi frænum iniecerunt. Nihil olim notius orbe toto, quàm Italicorum armorum magnitudo, cui vos Hiſpani aliquando ceſſiſtis, quam vos Germani horruiſtis, qua vos Galli fracti eſtis, cæteræ concuſſæ ſubiugatæq; Nationes. Ter centies & duodecies in principe urbe noſtra de diverſis mundi Provinciis triumphavimus. Trecentis hominum millionibus uno aliquando tempore vi armorum imperavimus: ſupra centum ac quinquaginta auri milliones in annuis reditibus eorumdem armorum potentiâ nobis conſtituimus. Adeo ut verè fuerit olim

Terrarum Dea Gentiumq; Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum. Quæ
Nunquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
Vulnere, poſt Cannas maior Trebiamq; fremebat.

Libuit ſanè vobis Maiorum veſtrorum in armis Gloriam non ſine iactatione commemorare: Quid verò, ſi vobis Duces illos olim noſtros vel

ab ipsis inferis excitarem? unum Marcellum igneo impetu bellantem; unum Papyrium Alexandro parem; unum Pompeium sua magnitudine Orbe maiorem; unum Cæsarem, supra omnes qui arma unquam tractarunt aut tractabunt fortunâ, bellandi peritia, animi magnitudine ac celeritate? Quid si innumeros alios producerem, quibus Pyrrhi, Hannibales, Mithridates, & omnia populorum omnium arma cesserunt? Umbræ essent, larvæ essent illi, quorum vos mentionem ipsi fecistis & miracula Gentium vestrarum appellatis. Quid si milites illos sisterem, quorum manibus Orbem vicimus, in opere militari optimos ad laborem tolerandum fortissimos, ad vallum & fossas ducendas, ad aggerem, testudines, turresque struendas peritissimos & exercitatissimos? Vel unus Sicinius Dentatus vestrorum omnium Militum gloriam superavit, qui centies & vicies in aciem descendit, sex & triginta spolia ex hostibus reportavit, octo ex provocatione occidit, quinque & quadraginta vulnera pectore excepit, tergo nullum. Vel unus Scæva nationum omnium aliarum milites infra suam gloriam posuit, qui cum Pompeiano Bello ad Dyrrachium Castello Præpositus esset, solus in porta consistens adversus hostiles legiones & copias illud servavit; quo tempore ei oculus est effossus, humeri traiecti & femur, scutum centum & triginta ictibus perforatum. Nunquam in acie mori Romanis & Italis Militibus contigit, quin omnium essent vulnera in pectore, enses in manibus, minæ in vultibus, ira in morte. Sed veterum temporum gloriam maioribus

bus nostris relinquo, quorum virtutē cùm adhuc animis complectamur, nihil sanè attinet gloriam ab aliis mutuari. Etiam nobis nostræ sunt in armis laudes, nec cedere Itali sciunt, qui semper superare noverunt. Carolus V. ille Imperatorum omnium Maximus, qui omnem Armorum gloriam sui nominis famâ complexus est, dicere aliquando solebat, quod ad constituendum iusti exercitûs corpus, caput ab Italis assumere oporteret. Ut nimirum indicaret bellicosissimus Princeps, tales Italos esse, qui non tantùm milites esse fortissimi possint, verùm etiam populorum aliorum Duces, ac tum demum de victoria bene sperandum, cùm exercitûs Dux est Italus. Et verò numquid Itali sunt, qui divina quadam iudicii bonitate, & operibus immortalibus virtutem militarem ad id culmen maiestatis evexerunt, ut ascendere altiùs nūquam possit? Illi sunt, qui acutissimo ingenio suo plurimas ingeniosissimasq; sanè minutionum formas primi invenerunt, & in artem postea redegerunt. Illi sunt, ut prudentium omnium bellatorum est opinio, qui offensionis in bello defensionisque rationes omnium optimè rectissimèque pernoverunt. In assultibus atque impressionibus palmam omnibus eripiūt; in omni discrimine animum impavidum, in omni negotio præsentissimum habēt. Innata illis quædam sagacitas est & solertia, ut non tantùm fortes sint ac robusti, verùm etiam industrii, prudentes, callidi & astuti. Nec alii sunt ulli populi, qui meliùs generosos equos domare, artificiosiùs erudire, accuratiùs ad decursiones, ad saltus tolutares, ad rotationes glomeratis hinc

inde circulis, ad numeros modosq; motionum ac flexuum virgulæ dumtaxat ictu regere, quàm Itali possint. Adeo illos ad militiam Natura quodammodo conformavit, quos industria umbraticis in pace exercitiis ad Martium nobilissimi Spiritus decus præparat & accendit. Si numerare vellem eos belli Duces, quos tempora nostra priscis Heroibus aut pares tulerunt, aut superiores, darem profectò Viros omni ætati invidendos. Darem Sfortias, Braccios, Piccininos, Ursinos, Vitellios, Baleonos. Darem Philippum Scholarium, qui Sarmatas & Turcas viginti præliis superavit. Darem Castruccium Castracanem, qui ex Milite gregario Dux egregius factus pertinaci virtute, ac numquam eius consilia fallente fortuna ad Principatum Lucensem contendit. Darem Marcum Antonium Columnam, qui contra Turcas ad Naupactum prælio magna victoriæ pars fuit. Darem Maconem Corregium, cuius virtuti si pares habuisset decies mille Pedites, & tria strenuissimorum Equitum millia Bartholomæus Livianus, non dubitabat brevissimo tempore totum orbem occupare. Darem fortissimum & audacissimum Alexandrum Spinolam, qui in expugnanda Africæ Guleta primus omnium contemptis ignitis pice resinaq; flagrantibus iaculis, glandiumque plumbearum procellis, correptis murorum pinnis in arcem desiliit. Quo nomine privatim publiceque laudatus ab Imperatore Carolo Quinto muralem gratulantibus omnibus coronam accepit. Quoniam verò in Belgio hodie de Belli Gloria certamus, duo fulmina Belli, duo armorum miracula,

duos

duos Belgii Martes, ſed ex Italia noſtra oriundos, Alexandrum Farneſium Parmæ Ducem, & Ambroſium Spinolam Venafri Marchionem omnium ætatum Imperatoribus veſtris oppono. Quantus ille Alexander noſter? profectò non inferior Alexandro Manno, qui rerum hic in Belgio Franciaq; fortiſſimè geſtarum laudibus totum orbem ad miraculum implevit. In quo tantum iudicii ad exercitum regendum, tantum iuſtitiæ ad diſciplinam conſervandam fuit, quantum in ullo unquam Imperatore; ut non immeritò eum Franciſcus Lanovius omnium in orbe Chriſtiano Belli Ducum maximum ac primum appellet, qui & acie vincere fortiſſimus Imperator, & urbes capere dexterrimus Expugnator omnium optimè noviſſet. Cuius animi vim incredibilem Henricus Quartus Franciæ Rex faſſus eſt invictam; cuius manum Bironius victus exhorruit; cuius fortitudini Bruxella, Traiectum, Antuerpia, Gandavum, Dunkerca, Brugæ, Ipræ, Teneramonda, & aliæ plures, in Belgio fortiſſimæ Civitates ceſſerunt, perque eum ad Regem ac Religionem redierunt. Qui ferè nihil propugnavit, quod non defenderit; nihil ferè oppugnavit, quod non ceperit; nullam iniit pugnam, ex qua victor non diſceſſerit. Adeo ut ipſe forma quædam & imago extiterit perfectiſſimi Imperatoris, ipſorum etiam hoſtium confeſſione amandus & admirandus. Quantus ille verò etiam Spinola noſter, cuius nominis ea claritas eſt, ut pauci cum eo Gentium aliarum Imperatores comparandi videantur? In quo vis animi incredibilis, patientia laborum indefeſſa, fortitu-

do excellens, constantia invicta, consilium par animi magnitudine, solertia & calliditas tanta, quantam vix Principis cuiusvis capere pectus potest. Et cùm tria sint, post pecuniam belli nervum, certissima victoriarum instrumenta, fides, taciturnitas, celeritas, tum hæc in eo sunt admiranda, ut Regi propter fidem sit gratissimus, hosti propter taciturnitatem ubique formidandus, omnibus propter celeritatem admirandus. Qui nihil umquam aggressus est, quod non sit consecutus, qui nullam unquam expeditionem suscepit, à qua non superior redierit. Adeo ubi pedem ponit, ibi Religioni ac Regi victoriosa manu trophæum erigit. Non hic testem appello Oceanum suo in elemento victum, testis est Ostenda; non Rhenum tot urbibus captis frænatum, testes sunt Rhinsberga & Wesalia; non territam eius magnitudine Frisiam, testes sunt Oldensalia, Linga, Grolla; non concussum Rheni Palatinatum, testes sunt Principes Germaniæ Protestantes, qui de sola eius fœlicitate incredibilique solertia sunt conquesti, quòd plus ille consilio posset & astuta comitate, quàm armis ipsi & potentissimis exercitibus. Sed nolo hic in ea omnia excurrere loca, in quibus Gloria lauros ipsi immortales, & trophæa quibusvis Heroibus invidenda erexit. Illud dico, Farnesius & Spinola omnem belli Gloriam cæteris omnibus Nationibus eripiunt. Italis verò suis vendicant. Ut non opus iam sit in hanc arenam citare Trivultios, Gonzagas, Farinatas, Stipicianos, Fagiolanos; Carmagnotas, Gattamaletas, Hercules omnes & fortiores, quàm umquam alii extitexunt,

runt, Italiæ nostræ Achilles. Quamquam dum vos hic *Commilitones*, universæ Patriæ vestræ militarem singuli virtutem extollitis, ego vel unam Italiæ nostræ urbem opponere possum, nec de Gloria obtinenda desperare. Quid si vobis Venetos opponerem, quorum invictum stat Imperium, dolente Turca, invidente Regum aliorum fortuna? Quis est, qui vincere eos non optet, dum nemo potest? Quid si Genuenses producerem, qui toties Oceanum, & in eo tot Insulas frænaverunt? Qui non Milites tantùm, sed etiam Nationibus aliis Duces suppeditant victoriosissimos? Quid si Pisanos vobiscum conferrem, qui subiugatis aliquando Sardinia, Carthagine, Maiorica, Carthaginensium Regem vinctum ad Pontificem Romanum perduxerunt; Maioricæ verò Regem, Reginâ cum filiolo Pisam adductâ, interfecerunt? Quid si statuerem hic Florentinos, quibus cum Carolus Octavus Francorum Rex durissimas fœderis contra libertatem conditiones imponere vellet, easq; de scripto Regius Scriba recitaret, ibi Petrus Caponius ad Regem tum missis chartam è Scribæ manu arripuit, laceravit, & inspectante Rege conculcans: Quandoquidem, inquit, vos Franci, tam iniqua postulatis, agite tubas vestras inflate, nos Campanas nostras pulsabimus. Qua voce verè libera ita Gallos & Regem terruit, ut patriæ suæ libertatem conservarit. Nihil dico de Senensibus, aliisque populis nostris, nihil de militari robore Marsorum, Pelignorum, Hernicorum, Samnitum, Lucanorum. Scit Orbis universus peditatum Italicum omnium optimum esse. Nihil dico de

Neapolitanis, quorum equitatum nemo non omnibus aliis anteponit. Hæc Italorum est summa Gloria, quod quemadmodum Orbem olim nostrum vicerunt, ita novum alium vincendum per Christophorum Columbum Civem suum invenerunt, & eius armis superari posse ostenderunt. Sed nimis fortasse multa, ubi dubia esse Gloria non potest. Tredecim aliquando Franci cum Italis itidem tredecim in arenam, ut suæ Genti armorum Gloriam assererent, apud Barlettam inspectante magno Consalvo descenderunt, victi illi à nostris sunt & capti. Descendant in eamdem arenam quicumque alii volent, vincentur à nobis, & Militarem Italis Gloriam relinquent. D I X I.

ORATIO V.

Poloni Militis.

POlonorum hodie si quis militarem fortasse virtutem ignoret, Sarmatas antiquos cogitet. Sarmatæ olim eramus, qui hodie Poloni: illorum robur & invicta fortitudo, nostra est posterorum infracta virtus. Illi erant, (cogitate Polonos) quos Danubio prohibere Cæsari Augusto tam fœlici tamq; victorioso Imperatori satis fuit; quos tangere ausus non erat, quos ne armis inquietaret, Lentulum Legatum suum admonuit, quòd arma ipsi vellent, pacem non intelligerent. Ita Romanæ fortunæ terminus Sarmatæ, prisci nimirum Poloni, extiterunt. Ita, inquam, nulla Gens unquam Sarmatis, seu Polonis nostris bellicosior

eoſior aut fuit, aut eſſe poteſt, qui omnibus aëris iniuriis, frigoribus, tempeſtatibus, caloribus, & quibuſvis aliis diſcriminibus maiores perque ipſa incedentes pericula Fortunam ipſam omni ætate ſuperaverunt, Romanorum magnitudinem ſemper contempſerunt Quod cum non ignoraret Poëtarum ingenioſiſſimus Ovidius, cùm apud Maiores noſtros in Polonia noſtra exularet, ita de iis ad ſuperbos illos Urbis Romanæ Proceres pro ſingulari miraculo ſcribebat:

Maxima pars hominum, nec te pulcherrima curat
Roma, nec Auſonij militis arma timet.
Dant illis animos arcus, plenaq; pharetræ,
Quamq; libet longis curſibus aptus equus.
Quodq; ſitim didicere diu tolerare, famemq;,
Quodq; ſequens nullas hoſtis habebit aquas.

Ea quippe eſt Polonorum natura, ut dura quadam indole fortes ſint, & heroica generoſitate animoſi. Non nos pericula terrent, non voluptates frangunt. Qui mollis ac delicatus eſt, Polonus non eſt. Mori honeſtè ac gloriosè, eſt apud nos immortalitatem ſibi comparare; turpiter verò ac per dedecus vitam retinere, quavis etiam peius eſt morte, omnes ignominiam fugimus, & armis vindicamus; noſtrûm nemo mortem fugit, omnes ultrò etiam per arma quærunt. Neque ſanè hæc nova vobis videri debent. Ita naſcimur Poloni omnes, ut ex matrum noſtrarum uteris militares nobiſcum animos in lucem adferamus; atque ubi diſciplina ſeverior parentum ac popularium acceſſit, animosq; paulatim firmavit, ita validi & apti ad ardua quęcunque reddimur, ut non magis armorum

fre-

fremitus, quàm foliorum ſtrepitum curemus. Et verò quomodo naturâ militares Poloni non eſſent, qui non tantùm patribus verè viris & timoris expertibus, ſed bellicoſis etiam matribus naſcuntur? In Polonia olim noſtra nubere fœminæ fas non erat, niſi tres priùs hoſtes in prælio proſtraviſſet. Quam legem, aut certè conſuetudinem etſi poſtea tãquam nimis rigidam ſuſtulit Piaſtus, naturam tamen & virtutem non ſuſtulit, quam ita in filios ſuos parentes tranſmittunt, ut nemo naſcatur Polonus, qui non idem naſcatur bellicoſus. Magnum hoc ſanè Naturæ beneficium. Tot enim hoſtibus ferociſſimis, Turcis, Moſchovitis, Tartaris circumſepti ducere hunc ſpiritum non poſſemus, niſi & naturâ & arte Milites eſſemus. Sed quoniam de Belli Gloria hodie certamus, etſi illam, Bellatorum omnium judicio, teneamus, videte vos tamen illam, cognoſcite, iudicate, ac tandem cedite. Una quaſi in tabula intueri vos putate ex una parte octoginta ſtrenuiſſimorum Bellatorum millia, tot aliquando Baſilius Moſchoviæ Dux adverſus Polonos eduxit; ex altera Polonorum copias tam exiguas, ut Moſchovitæ abacturos ſe flagris pecudum more Polonos iactitarent. Quid deinde verò? Ventum ad manus eſt, collata Ducibus Conſtantino Oſtrogio, & I. Suirzovio ſunt ſigna, pugnatum eſt, ex Moſchovitis cæſa quadraginta millia, capta ſunt quinque, è noſtris deſiderati vix aliqui tandem fuerunt. Aliam videte ru. ſus tabulam, & in ea Moſchovitarum ducenta millia, Lituanorum noſtrorum ac Polonorum triginta. Miſcentur arma, confligitur,

ca-

cadunt è Moschovitis millia nonaginta, è nostris Milites tantùm viginti. Supra fidem videri potest; sed huius testis est Tilmannus, alterius Cromerus. Sanè supra hominum omnium opinionem virtute sua nostri Duces excellunt, Ducibus ipsis cæteri qui militant, vix profectò sunt inferiores. Quanta Gloria est Polonicæ virtutis in Ziemovito primo, qui Hungaros, Bohemos, Cassubios, Pomeranos gravissimis bellis attrivit, & tributarios Polonis effecit? Quanta gloria nostrorum armorum est in Boleslao Chrobri, qui Boleslaum Bohemiæ Regem fudit, cepit, exsecuit? qui Jaroslaum Russum subegit? qui Brutenos & Saxones coërcuit? Quis umquam gloriosior in armis Boleslao Tertio Rege nostro fuit, qui quinquagies collatis cum hoste signis pugnavit, & toties constante fortuna triumphavit? Sensit victoriosam eius manum Henricus Quartus Imperator, qui pro iniquissimis, quas illi proponebat, pacis conditionibus, miserabilem suorum Germanorum stragem accepit. Sed nec in his tantùm stetit nostræ Gentis gloria. In ipsum summæ gloriæ domicilium evasit Sigismundus Primus, qui & acquirere regna potuit & contemnere, Daniæ, Sueciæ, Bohemiæ, Hungariæq; regna contempsit, Prussiam atque Livoniam Provincias ab Imperio Germanico avulsas Coronæ Polonicæ adiecit. Nec illi cum imbellibus aliquibus populis bella fuerunt: cum immanibus Turcis, & vicit; cum ferocissimis Tartaris, & triumphavit; cum potentissimis Moschovitis, & superavit, bella fuerunt. Equidem multoties animus fuit Germanis, pro Prussia Livoniaq; arma in Polonos mo-

movere, verùm cùm toties tot exercitus suos ab illis frangi repelliq; intelligerent, nihil sanè Germanorum Imperatores tentare sunt ausi. Et verò quid adversus Polonicam Nobilitatem tandem sperarent? Sigismundus Augustus cùm in Comitiis de Cracovia principe Regni urbe munienda aliquando retulisset, generosè sanè & gloriosè Poloni Nobiles, sua pectora Regno defendendo sufficere, responderunt. Et quisquam adversus huiusmodi Nobilitatem quicquam auderet? Audeo dicere, & vobis omnibus audientibus liberè dicam, quòd si Potentissimus Poloniæ Rex solos Regni sui Nobiles, qui privatis sumptibus pro Regno militare sunt adstricti, & qui cogi ad centum quinquaginta millia levioris & gravioris armaturæ possunt, in aciem educeret, nullus in Orbe toto Rex esset, qui eius sustinere impetum auderet. Omnem illi, quantumvis innumerum exercitum fugarent, dissiparent, funderent, confunderent. Neque illis pro Deo, Religione ac Rege animus deest; ideoq; instituit Mieczislaus, ut dum Evangelium operante rebus sacris Sacerdote recitaretur, omnes virilis sexûs gladium è vagina medium stringerent, sicq; omnibus, se pro Christiana Religione mori paratos esse, testarentur. Et verò quis est Catholicorum hodie, qui non Polonos tanquam Romanæ Religionis Propugnatores honoret? Illam Deus in nostram dedisse Clientelam videtur, ut cùm ab Oriente ac Septentrione ferocissimæ sint Gentes, & infensissimi Christianorum Hostes, nos in Regno nostro, tanquam in communi propugnaculo eam adversus

Bar-

Barbarorum omnium immanitatem fulminatricibus & invictis armis nostris propugnaremus. Sint efferatissimi Turcæ, & Orbis Imperium spe sua devorent, ii tamen Polonorum arma reformidant. Sint Tartari plusquam Barbari, & animos armis habeant duriores; ii tamen Polonorum aciem non ferunt. Sint alii quicumque Christiani nominis hostes pugnacissimi, audacissimi, impetuosissimi, ii tamen Martium Poloniæ nostræ Populum exhorrescunt. Quamquam quis ita potens & immanis esse potest, quem Cosaccorum nostrorum invicta virtus non deterreat? ii sunt, qui Turcarum potentiam suis armis sistunt, qui Tartarorum impetus vi sua retundunt, qui Moschis terrorem incutiunt. Ii sunt, qui metus omnis expertes hostium omnium Barbarorum & Hæreticorum arma rident, conatus eludunt, potentiam contemnunt. Ii sunt, qui elapso nuper anno, cùm copias suas nostris copiis iunxissent, tres gloriosissimas de Turcis victorias nobiscum reportaverunt, & parva manu de numerosissimis eorum exercitibus triumphaverunt. Senserunt vim eorum Moravi non ita pridem, & serò suam à Cæsare defectionem deploraverunt. Senserunt Silesii, & quorumvis hostium potiùs, quàm Cosaccorum experiri furorem optarent. Senserunt Bohemi, quo suo ac quanto damno, non ignorant. Habent illi in gladiis suis mortem, quam certissimam effundunt, in animis mortis contemptum. Prædam volunt & hostium sanguinem, aliud nihil. Supra aurum, argentum & gemmas animos habent. Unde cùm Ivoniço bello hostium Dux captus ingentem

tem pro litro summam offerret, nimirum sexies librati in statera corporis pondus, bis auro, ter argento, semel margaritis appensum polliceretur, illos tamen invictos & immobiles Cosaccorum animos non permovit; sanguinem dare & vitam debuit. Cæterorum Poloniæ nostræ militum gloriam innumeræ loquuntur ac testantur victoriæ, quarum oblivisci posterorum memoria non potest. Illa sub Lesco Nigro celeberrima, qua à paucissimis nostris Jazigum extinctæ sunt penitus reliquiæ, cæsa Lituanorum quatuordecim millia, ne unus è Polonis desideratus Illa sub Wladislao sanè admiranda, qua Crucigerorum quadraginta millia profligavimus, triginta tantum gregarios Milites & Nobiles duodecim amisimus. Illa iterum sub Wladislao atque iterum adversus Crucigeros penè profectò supra fidem, cùm hostium quinquaginta millia ceciderunt, quadraginta millia cum signis uno & quinquaginta in potestatem captivitatemque venerunt Quid dicam de Generosissimo Glinscio, qui septem Equitum Polonorum millibus viginti Barbarorum millia cecidit, totidem in vincula coniecit? Quid de Fortissimo Joanne Tarnovio, qui Valachorum duo & viginti millia quatuor nostrorum millibus profligavit, eorumq; cum omni Nobilitate Palatinatum ad iusiurandum sibi dandum coëgit? Non omnium hic recordari possum, nec omnia opus est commemorare. Unus Samoscius, cuius oblivisci Polonia non potest, unus, inquam, Samoscius, cuius Gloriam Orbis universus honorat, Polonicam in summo honoris fastigio collocavit Hæc verò cùm ita

se

ſe habeant, nullius profectò Gentis tanta eſſe in armis Gloria poteſt, quanta eſt Polonorum. Sed quoniam parta nobis tanta Gloria verborum volubilitate non eſt, ſed armorum noſtrorum fulmine, ſuperſedeamus verbis aliquando. Qui certare cum Polonis de Armorum Gloria volet, arma paret, non linguam. DIXI.

ORATIO VI.

Belgæ Militis.

BElgarum eſt Virtutem in hoſtibus etiam laudare, & partam per arma Gloriam aliis non invidere. Veſtra igitur omnium, *ô Commilitones*, ſumma ſit Armorum Gloria, non invidemus Belgæ, agnoſcimus etiam, admiramur, extollimus; at verò cuiquam cedere numquam ſanè ſolemus. Deprædicare aliorum Gloriam, humanitatis eſt noſtræ, nemini palmam concedere, virtutis. Cùm naſcimur in hanc lucem, Germanicum robur & Gallicam mentem induimus: Quippe è Gallis ac Germanis Belgæ ſumus, magnum aliquid profectò Orbi daturi, qui ex duobus tam potentibus Populis in generoſiſſimam validiſſimamque Gentem coaluimus. Neque ulla umquam ætas aut corporum noſtrorum robur, aut animorum magnitudinem immutavit. Ille Bellicoſiſſimus olim Cæſar & ſupra fortunam Imperator Gallorum omnium fortiſſimos nos Belgas appellavit. Ille verè Magnus Imperator Germanicus ad comprimendos Germaniæ populos, & Romano Nomini ſuccurrendum idoneos ac validos nos Bel-

gas esse iudicavit. Quid nostris olim Nerviis bellicosius? Adversus hos cùm acie dimicaret Julius Cæsar, retrò gradum Veterani dederunt, ipse animum tanta trepidatione perculsum habuit, ut de morte manu occupanda cogitaret. Nec sanè vicit ipse virtute sua Cæsar, sed in Cæsare Fortuna Nervios superavit. Ii erant nimirum, qui de suorum cadaveribus tanquam de vallo pugnabant; qui latissima flumina, ut paratum ex adverso hostem invaderent, transgrediebantur; qui altissimas ripas, ut instructum acie hostem deturbarent, adscendebant; qui excepta hostium tela in hostes retorquebant; qui locum iniquissimum, ut loci opportunitate hostem pellerent, subibant; qui validissimum Equitatum pedestribus copiis in effusam ac turpem fugam convertebant. Tales ac tam ingentes Nerviorum olim nostrorum animi fuerunt, sed & hodie Nerviorum animos in Walonibus nostris habemus. Quid Batavorum olim magnitudine maius? quid eorum fortitudine fortius? Hi quoties pro Romanis in prælium descenderunt, toties Romanis victoriam gloriosissimam pepererunt; ubi verò suis armis Romanos invaserunt, de Romanis semper summa cum laude triumphaverunt. Eorum castra Civili Duce expugnaverunt, cohortes deleverunt, suâ Insulâ Romanum nomen expulerunt. Ab illis superatus terra marique Aquilius, victus Lupercus, fugatus Labeo, cæsus apud Vetera exercitus. Ii erant nimirum, quos frangere nulla vis posset, qui omnium conatus retundebant, qui integris & armatis equitum turmis rapidissima, latissima, altissima flumi-

na

na transnatabant ac perrumpebant : à quorum manibus alii milites victoriam expectabant, quorum custodiæ ac fidei suam Salutem Summi etiam Imperatores credebant. Tales olim ac tanti Batavi nostri, sed & hodie Batavorum ad arma robur & fortitudinem in Hollandis nostris, in Geldris, in Frisiis habemus. Imò veterum omnium Belgarum virtutem & animi magnitudinem nos hodie Belgæ tantorum maiorum non degeneres posteri retinemus. Ego testem universam Europam appello An non Belgium hoc nostrum publica quædam est Arena, in qua iam ab annis aliquot supra quadraginta omnes propemodum Europæ populi summa armorum contentione dimicaverunt? Tot exercitus hic terà marique deleti, tot acies validissimorum populorum cæsæ, ut universa tegi Provincia, qua Equitibus, qua Peditibus, omnino posset. Tot in Oceano, sed gemente, sed frem ente, vi armorum consumptæ laceratæque classes, ut integrum cooperiri mare potuisse videatur. Atque hæc sanè tot ac tanta Belgii nostri bella, quid aliud testantur & loquuntur, quàm admirandam, invictam, insuperabilemque Belgarum virtutem? Audeo profectò dicere, nec sermonem unquam retexam, tantam illam esse, ut si sui Regis auspiciis consilio, auctoritate nixa reliquum Orbem aggrederetur, de reliquo Orbe triumpharet. Ingens Belgarum est Populus, valida ubique & lecta Juventus, animus ad libertatem aut mortem promptissimus. Cùm discrimina instant, sumus cunctabundi, cùm iam adsunt, sumus in iis ferocissimi, in periculis impavidi, in rebus turbidis intrepidi, in auda-

gas esse iudicavit. Quid nostris olim Nerviis bellicosius? Adversus hos cùm acie dimicaret Julius Cæsar, retrò gradum Veterani dederunt, ipse animum tanta trepidatione perculsum habuit, ut de morte manu occupanda cogitaret. Nec sanè vicit ipse virtute sua Cæsar, sed in Cæsare Fortuna Nervios superavit. Ii erant nimirum, qui de suorum cadaveribus tanquam de vallo pugnabant; qui latissima flumina, ut paratum ex adverso hostem invaderent, transgrediebantur; qui altissimas ripas, ut instructum acie hostem deturbarent, adscendebant; qui excepta hostium tela in hostes retorquebant; qui locum iniquissimum, ut loci opportunitate hostem pellerent, subibant; qui validissimum Equitatum pedestribus copiis in effusam ac turpem fugam convertebant. Tales ac tam ingentes Nerviorum olim nostrorum animi fuerunt, sed & hodie Nerviorum animos in Walonibus nostris habemus. Quid Batavorum olim magnitudine maius? quid eorum fortitudine fortius? Hi quoties pro Romanis in prælium descenderunt, toties Romanis victoriam gloriosissimam pepererunt; ubi verò suis armis Romanos invaserunt, de Romanis semper summa cum laude triumphaverunt. Eorum castra Civili Duce expugnaverunt, cohortes deleverunt, suâ Insulâ Romanum nomen expulerunt. Ab illis superatus terra marique Aquilius, victus Lupercus, fugatus Labeo, cæsus apud Vetera exercitus. Ii erant nimirum, quos frangere nulla vis posset, qui omnium conatus retundebant, qui integris & armatis equitum turmis rapidissima, latissima, altissima flumi-

na transnatabant ac perrumpebant: à quorum manibus alii milites victoriam expectabant, quorum custodiæ ac fidei suam Salutem Summi etiam Imperatores credebant. Tales olim ac tanti Batavi nostri, sed & hodie Batavorum ad arma robur & fortitudinem in Hollandis nostris, in Geldris, in Frisiis habemus. Imò veterum omnium Belgarum virtutem & animi magnitudinem nos hodie Belgæ tantorum maiorum non degeneres posteri retinemus. Ego testem universam Europam appello An non Belgium hoc nostrum publica quædam est Arena, in qua iam ab annis aliquot supra quadraginta omnes propemodum Europæ populi summa armorum contentione dimicaverunt? Tot exercitus hic terà marique deleti, tot acies validissimorum populorum cæsæ, ut universa tegi Provincia, qua Equitibus, qua Peditibus, omnino posset. Tot in Oceano, sed gemente, sed fremente, vi armorum consumptæ laceratæque classes, ut integrum cooperiri mare potuisse videatur. Atque hæc sanè tot ac tanta Belgii nostri bella, quid aliud testantur & loquuntur, quàm admirandam, invictam, insuperabilemque Belgarum virtutem? Audeo profectò dicere, nec sermonem unquam retexam, tantam illam esse, ut si sui Regis auspiciis consilio, auctoritate nixa reliquum Orbem aggrederetur, de reliquo Orbe triumpharet. Ingens Belgarum est Populus, valida ubique & lecta Juventus, animus ad libertatem aut mortem promptissimus. Cùm discrimina instant, sumus cunctabundi, cùm iam adsunt, sumus in iis ferocissimi, in periculis impavidi, in rebus turbidis intrepidi, in auda-

audacia ipsa fortunati. Pro gloria, pro libertate, nihil non Belgæ audemus; & cùm ad artes omnes ac scientias Natura nos aptissimos formarit, tum ad consilia danda promptissimi sumus, nec tamen tam lingua, quàm manu factisque valemus. Nimirum una est, quam amamus ac quærimus, Belli & Armorum Gloria. Pro illa toties in Gallia Bellum gessimus, toties in Germania pugnavimus, toties in Anglia, in Italia, in Hungaria certavimus. Et ipsa Asia nostris armis concussa, cùm Jerosolymam cepimus, non unum sanè nobis debet triumphum. Non ignoravit virtutem hanc nostram Conradus Imperator, qui Belgarum cumprimis fortitudine Ulissibonam Saracenis eripuit, & ducenta hostium millia cecidit, aut in fugam convertit. Non ignoraverunt Angliæ Reges. Non Eduardus Tertius, qui nostrorum Belgarum manu cùm Regnum suum recuperasset, eorumdem virtute adversus Aquitanos, Britannos, Normannos, Iberos fortunatissimo cum eventu pugnavit. Non Eduardus alius, cui de Scotis triumphum Belgæ compataverunt. Non Richardus, qui Aquitaniam per Belgas occupavit. Recensere omnes alios nec opus est, nec possum, nec sane volo. Quantus extitit Carolus ille Quintus, miraculum armorum, & non magnus, sed verè Maximus Imperator? Illum Flandria nostra in lucem edidit, Belga fuit: Qui cùm Belli Gloriâ omnium ætatum Imperatores superarit, tum nobis Belgis suis illam Gloriam supra cæteras omnes Nationes asseruit. Quippe eius victoriæ Belgarum potissimùm manu suntpartæ, victa Gallia, victa Germania, vi-

cta

cta Italia, concussa Hungaria, Africa superata. Quantus fuit Carolus ille Pugnax, quem Audacem appellant? Terror erat & fulmen Europæ, cuius amicitiam potentissimi Principes & Reges ambiebant, victoriosum eius gladium formidabant. Fuit hic Belga, & Belgarum industria, roboreque invidente Fortuna summam sibi Armorum Gloriam, & Belgis suis vendicavit. Quantus fuit Godefridus Bullonius? O verè alterum Mundi Miraculũ! Noster fuit, Belga fuit, & Brabantiæ Princeps, qui Belgarum virtute tantas res gessit, quantas nec sperare, nec optare cæteri Duces auderent. Hic est ille, qui postquam Ducatum suum Bullonienseem Leodiensium Antistiti vendidisset, comparatum è Belgis suis ac vicinis populis Exercitum per Germaniam, Hungariam, Græciam, in Asiam Syriamque nusquam irrito conatu perduxit. Non illum astus & insidiæ Imperatoris Constantinopolitani permoverunt; non ingentia flumina & inaccessi montes retardaverunt; non sitis, non fames, non immensa Barbarorum agmina ab incepto revocaverunt. Fuit ille ad insolitum decus, & variis cruentisq; successibus partâ semper victoriâ centies dimicavit. Admiremini, vos obtestor, eius & Belgarum nostrorum gloriam. Nicæam expugnavit, & cùm ad pugnam Barbari ruissent, trecenta & sexaginta Barbarorum millia prostravit. Antiochiam subversis portarum obicibus, captis ascensu munimentis, nudatis omni propugnatore mœnibus sibi subiecit, & cùm illum iam victorem trecenta Turcarum millia obsedissent, non aliter quàm paleas ventus omnes illo

ſuorum gladiis & haſtis diſſipavit. Taceo Edeſſam taceo tot potentiſſimas Urbes alias. Nihil dico de Solymanno Turcarum Dynaſta fugato ; nihil de Calypha Ægyptio ſuperato. Jeroſolymam aggreſſus eſt, oppugnavit, expugnavit. Diadema eius & Sceptrum obtinuit. Aderant paulò poſt immaniſſimi Turcæ cum Equitum centum millibus, & Peditum ſupra quadringenta, in quos cum fortiſſimus Bullonius noſter Equitum quinque tantùm millia, & Peditum quindecim eduxiſſet, tanta ſecuta confeſtim eſt clades, ut ſupra centum millia noſtrorum gladii ceciderint, & trecenta ferè millia fugientium maris fluctus abſumpſerint. O te tanta gloria immortalem. Bulloni! verè, verè tu veteres omnes inſigni pietate, indomito animo, glorioſiſſimis & numeroſiſſimis victoriis ſuperaviſti! Quid nunc dicam de Balduino Belgarum Principe, & Jeroſolymorum poſt Bullonium Rege? Delibanda ſunt hic aliqua, non omnia dicenda, vos ipſi numerate. Invaſerunt ſemel eum quadraginta Barbarorum millia, ipſe octo duntaxat noſtrorum millibus delevit. Iterum Saracenorum innumera propemodum turba armis inſtructiſſima conſurrexit, ipſe (veritatem ipſam teſtor) ipſe, inquam, cum Equitibus quadraginta, & Peditibus ducentis Saracenorum viginti millia ſuo in ſanguine demerſit. Plura ſanè potuiſſent, ſed laſſabantur effuſo ſanguine noſtri milites tam pauci, & hebetatum iam erat tot vulneribus mortibuſque ferrum. Nondum animos Saraceni poſuerant, redeunt, & quindecim millia in aciem deducunt; Balduinus Pedi-

eum millia duo, & Equites quingentos opponit, vincunt hostem, prosternunt, triumphant. Tanta vis erat Belgicæ virtutis. Si mihi hodie dicendum soli fuisset, produxissem huc vobis Pipinos, Henricos, Joannes, Philippos, Maximilianos, Carolos, quibus clarissimos de se triumphos Suevi, Saxones, Bavari, Dalmatæ, Longobardi, Sclavi, Hunni, Angli, Lusitani, nec profectò inviti obtulerunt. Adeo notum est Orbi universo vinci eum Ducem non posse, ac semper vincere, qui Belgarum viribus & animis ad victoriam contendit. Patiar hic latere Borlotium strenuissimum belli Ducem, cuius nomen nemo audire sine horrore poterat, nemo manum experiri sine clade. O Ducem supra Martem & Mortem! Ego verò te nunquam præteribo, ô maxima Belgarum Gloria, BUQUOIE; te enim etsi solùm in hanc Arenam producerem, adhuc tamen Belgarum summam in armis Gloriam esse plus satis declararem. Tu enim, cùm Bohemiæ Regis auctoritas exspiraret, tua & tuorum Belgarum fortitudine spiritum illi reddidisti, & vindicata Maiestate restaurasti. Tum Imperium, cùm sub Hæreticorum armis collabasceret, tua & tuorum Belgarum manu erexisti. Planè nulla erat illi salus, nisi è Belgio nostro te strenuissimum Ducem Matthias Imperator evocavisset, quem Hungari, postquam per dolum tredecim vulneribus confoderunt, Incomparabilem appellaverunt. Tu etiam noster es, Illustrissime Comes Henrice BergI, cuius bellacem animum & invictum dexteræ robur deprædicare

dicare non satis magnus Spinola potest, horrent plusquam satis quicumque hostes. Et ut nostra tantùm tempora respiciam, Belga est Fortunatissimus Tilius, qui Serenissimi Bavariæ Ducis Maximiliani fortunam tot in Bohemia & Rheni Palatinatu victoriis illustravit. Belga est strenuissimus Verdugo, cuius animus audaciâ ipsâ audacior ad Pragensem victoriam viam aperuit; cuius manus Buquoii magnitudinem egregiè propugnavit; cuius ardor nullum pro Cæsare aut Rege periculum umquam reformidavit. Belga est generosissimus de Fontaine, cuius experientiam in armis, & imperterritum ad omnia pericula animum cùm Hostes timeant, tum Flandria suspicit, & suam ab eius manu securitatem amplexatur. Belga est, quem etiam hic honoris causâ nomino, fortissimus & prudentissimus Mauritius Nassovius Princeps Auriacus, cuius victorias ac triumphos summa cum laude posteritas commemorabit. Utinam tam egregius Mars Belgicus pro Deo, proq; Religione suorum armorum fulmen in veros hostes evibraret! Quamquam videre sane Belgarum Virtutem ac Gloriam, quàm audire tantùm præstaret. Putatote vos intueri. Quomodo quæritis? Belgas supra ossa cineresque Saracenorum in Asia: Belgas per media Turcarum arma victores in Africa: Belgas supra ipsum Militaris Gloriæ fastigium ubique in Europa. Erant illi Wallones nostri, qui in Bohemia altos triginta pedum Pracadirii muros sine ullo adminiculo scanderunt; & quorum in Urbem advenientium intueri vultus nequaquam Cives potuerunt.

fuerunt. Erant illi, qui Piscensium muros suis manibus, cùm ad irruptionem parum tormentis esset actum, suffoderunt, Urbeque tandem sunt potiti; qui Pragensi prælio in prima acie constituti Ducibus Veidugo ac Hainin victoriæ palmam cæteris omnibus præripuerunt. Erant illi, qui invictam antea Strigoniam in Hungaria validissimo insultu occupaverunt, & quorum unus, cùm in supremo Urbis munimento vexillum erectum conspexisset, eò per densissimam glandium ignitarum grandinem ascendit, gladio vexillum rescidit, Turcam quendam accurrentem glande plumbea traiecit, propriâ caput illi machærâ amputavit, victor cum capite ad Excellentissimum Carolum Mansfeldiam Cæsarei Exercitûs Ducem Belgam etiam nostrum rediit. Ex hoc uno Belga Belgas omnes metiamini. Nihil ampliùs dico. D. I. X. I.

ORATIO VII.

Hungari Militis.

Quid Hungaria nostra sit, quid Hungari simus, ignorare profectò videntur, quicunque de Belli Gloria certare nobiscum contendunt. Quid igitur Hungaria nostra est? Hungaria Arx est, Clypeus est, Murus est Christianæ Religionis, quam annos iam ultra ducentos immanissimorum Turcarum arma lacessunt, perfringere superareque non possunt. Quid nos Hungari sumus? Vestri sanè ac totius Europæ Patroni. Sine nobis nihil vestra vobis, Germani, fortitudo

valeret, iam enim vos Turcæ devoravissent. Sine nobis nihil vestra vobis, Hispani, prudentia prodesset; iam enim Madriti suam sedem Magnus Dominus haberet. Sine nobis nihil vester vobis, Galli, impetus adferret; iam enim Franciam universam Turcæ devastavissent. Sine nobis nihil vester, Itali, vigor posset; iam enim in Capitolio Romano Sultani triumpharent. Sine nobis nihil vestro, Poloni, insultu possetis; iam enim Cracoviam vestram Janissari incendissent. Sine nobis nihil vestra, Belgæ, generositas in armis faceret; iam enim durissimam sub Imperio Turcarum servitutem serviretis. Ita vestra etiam omnium confessione per nostras adversus tam immanem hostem mortes vivitis, per bonorum nostrorum iacturam ditescitis, per nostras calamitates incolumes estis, per nostros labores quiescitis, per arma nostra tuti estis. Quid igitur? Cedite, libenter etiam Hungaris, quorum armis vitam, salutem, libertatem vestram debetis. Concedite palmam iis, quibus eam eripere nulla Turcarum vis potest, cæteræ nullæ Gentes auderent. Pannonia priscis temporibus Hungaria nostra dicebatur, & nos Hungari Pannones olim eramus. Quid si ergo ex vetere illa Pannonia nostra priscos Pannones, terribiles Vandalos, horribiles Gothos, formidabiles Hunnos, efferatissimos Ostrogothos producerem? Fuerunt illi Turbines quidam armorum, fulgura quædam & fulmina, portenta Nationum, terrores sæculorum. Tremeretis etiamnum omnes, si vel unum Totilam, aut Attilam huc advocarem, qui Hungarorum Imperium

xrum per universam pænè Europam victricibus armis circumtulerunt. Quippe aliquando nos Hungari gravissimis cladibus & innumeris populationibus ad pendendum nobis tributum Germaniam coëgimus, Italiam & Græciam stipendiariam fecimus, Galliam non semel afflximus, cæteris Gentibus per arma nostra ius posuimus, ut nullus esset tam potens in Orbe Princeps, qui non Hungaros Mundi Domitores formidaret, & Hungarorum Regem tamquam Archiregem coleret. Sed nolo hic cum fastu aliquo gloriari: gloriarer sanè, si ita vellem, quòd Hungaria octo fortissimos & bellicosissimos Imperatores terrarum Orbi dedit. Vos eorum legite facinora, pleni sunt omnis memoriæ Annales. In iis Aurelianum nostrum eum fuisse legetis, qui una die bello Sarmatico quadraginta octo sua manu interfecit pluribus verò ac diversis diebus ultra nongentos & quinquaginta. In iis ab Imperatore Probo Pannonio Sarmatas domitos, varios Tyrannos extinctos, Orbem pacatum reperietis. In iis Andream Secundum Regem nostrum admirabimini, qui bello Syriaco Hungarorum Gloriam inusitatis facinoribus illustravit. In iis animadvertetis à Ladislao Primo victos Polonos, domitos Ruthenos, territos Saracenos. Sed hodie non commemorentur illi, quorum effugere memoriam immortalem nulla umquam ætas poterit. Nihil etiam dicamus de Carolis, Sigismundis, Ludovicis, Albertis, Belis, Geisis, Emericis, Uladislais, quorum nomina virtutis quædam sunt cognomina, & immortales sempiternæ

Gloriæ tituli. Unus commemoretur hic nobis Matthias Corvinus victoriosissimi Hunniadis filius, quem etsi Oriens Occidensq; aliquando horruerint, hodie tamen eius memoriam gratissima benevolentia complectuntur. Erat ipse, quem, ut eius inscriptum est sepulchro, facta Deum ostendunt, fata hominem. Cuius ad sepulchrum aliquando temperare sibi à lachrymis Maximilianus Imperator non potuit, quòd extinctum ibi iacere Regem intelligeret, qui nihil ferè umquam, quantumvis arduum aggressus est, quin ex voto cesserit. Tantum erat eius consilium, tanta rerum omnium peritia. Qui tantâ dexteritate militum animos tractabat, ut nullo stipendio etiam suam illi operam offerrent. Trophæorum eius ac nostrorum simul Hungarorum si placet recordari, nos Hungaros inprimis aliquando rebelles domuit; illi victa Bohemia trophæum evexit; illum fracti Valachi superiorem sunt confessi; ab eo sese afflictos Poloni nec iniuria proclamant; in eius aliquando potestatem Austria sese redactam non inficiatur. Unus ipse uno eodemque tempore omnium ferè populorum arma sustinebat, & vincebat. Ab eo Mahometes & Baiazetes Turcarum Imperatores pacem petierunt, pacem dedit; ab eo Hydruntini auxilium efflagitaverunt, auxilium dedit, & obsidione liberavit. Illum non semel innumerabilibus copiis aggressi sunt Sultani, dissipavit, concidit, compressit. Omnia Matthias noster vincebat, cuius ea celeritas fuit, ut penè tam citò belli locum teneret, quàm militem legeret; tam citò hostium terga cæderet, quàm eorum

pe-

pectora inveniret, frontesque videret. Illi Hungarorum Achilles fuit, & summam Armorum Gloriam Gentibus omnibus invidendam Hungarorum armis adscripsit. Et verò vel propter hunc solum cedere Nationes omnes Hungaris deberent. Jactitent Græci suum Ulyssem, Agamemnonem, Aiacem, Diomedem; ego Ulyssi Emericum Scepuensem, Agamemnoni Stephanum, Aiaci Paulum Cinisium, Diomedi Nicolaum Cyuporē oppono. Quantum sit Hungarorum robur, unus testari potest Blasius Magærus, qui armatum hominem dentibus subreptum militares inter choreas armatus ipse circumferebat, & saltabat. Quantus sit Hungarorum animus, hæreditarius hostis noster Turca, cui eripere rusticam aliquam casam difficiliùs fanè est, quàm munitissimam Regibus aliis Civitatem, declarat. Quippe nos Hungari pænè soli cum illo quotidie pugnamus, ab illo æstimamur & timemur, illum vincere superareq; scimus. Ille arma nostra excitat, vigilantiam acuit, vires & robur exercet, laboriosos, contumaces, infractos facit. Et illa indoles nostra ita conformata est à natura, ut quamdam habeamus in hostes ferociam, duri animo & corpore simus, gladios & arma quævis in delitiis ponamus, equitare nulli meliùs nobis sciant, & Equestres nostræ copiæ omnibus Nationum omnium Equitibus longè antecellent. Et verò ii omnem in armis Gloriam sibi vindicant, quorum animus supra mortem, & supra vim omnem ardor est invictus. Testes sunt Hungarorum nostrorum animi; Unde cùm in Agriæ civitatis obsidione Mahometus Bassa deditionem fieri

per tubicinem postularet, erexerunt in muris feretrum Hungari nostri, quo tacitè, magno tamen animo, malle se mortem ac sepulchrum, quàm deditionem respondebant. Repulsus est immanissimus hostis, & maior obsessorum visa virtus est, quàm furor & armata vis obsidentis. O invicti & fatis ipsis animi maiores! Parvum admodum, & vix munitum oppidulum est apud nos, quod Gunzium appellamus. In hoc aliquando vires omnes suas, quingenta nimirum hominum millia Solymannus convertit, summa vi aggressus, summa vi oppugnavit; verùm dum illud Hungari nostri Jurischizio Duce maiori animo, etsi paucissimis cohortibus, defendunt, tantum immanissimi hostis apparatum in fugam ignominiosissimam summa laude convertunt. Quid de illo Hungaro dicam, qui in Jayzæ obsidione Turcam illum, qui sui Imperatoris imponere turri signa contendebat, medium corripuit, & unà se cum eo præcipitem ex alto dedit? Quid de Nicolao Serinio, qui cùm in obsidione Sigethi eò redactus angustiarum per famē, sitim, incendia, ac rerum omnium inopiam esset, ut sustinere amplius vim hostium non posset, pretiosissimis sese vestibus, annulis, cristis, villoso galero exornavit, confirmatisq; suorum ad pugnam animis ante eos districto gladio sumptaq; parmula, cùm aperiri portas iussisset, in medios ac confertissimos hostes irruit, multos generosissimè pugnando trucidavit, tandem sanguinem suum in hostium sanguinem sepelivit? An esse ullibi terrarum tales ac tanti animi possunt? An eius-

modi

modi quicquam in omni Antiquitatis memoria reperietur? Nulla vi frangi Hungari possunt; si fata urgeant, ultrò gaudentes ac gestientes in mortem irruunt, & in ipsa morte de fatis triumphãt. Etiam cùm quandoq; vincuntur Hungari sæviente fortuna, gloriam tamen morientes auferunt, & ignominiam hosti victori relinquunt. Sensit & agnovit hanc Hungarorum nostrorum virtutem Scipio ille Belgicus, & Dux incomparabilis Buquoius, cuius fortitudini cùm cedere reliquus Orbis potuisset, cessit ipse Hungaris, & gloriosa morte triumphans plus nobis doloris, quàm honoris reliquit. Senserunt alii plures Duces egregii, & sua virtute immortales, quorum sepulchris Hungaria nostra ad sempiternam Gloriam suam exornatur. Nec illam ignoraverunt Poloni, qui Stephanum Batorium Hungariæ nostræ præclarissimum Decus sibi Regẽ elegerunt. O Marte ipso maiorem Virum! O Bellatorum Gloriam! Stephanum, inquam, Batorium; sed nominasse sit satis, ignorare quippe omnia videtur, qui Gloriam eius ignorat. Fuit enim is tantus, ut Amurathis Tertii Turcarum Imperatoris Legatus, cùm eius exercitum & omnem belli apparatum avidis oculis conspicatus esset, affirmaret, quòd si iungere sese & animo & viribus cum Imperatore suo vellet, ne Orbem quidem terrarum eorum virtuti magnitudiniq; parem futurũ. Libenter in ipso finiam, qui nostræ Gentis summa Gloria est. Quòd si vererer, ne Hungari adhuc cedere nolletis, fœminas certè nostras aliarum Nationum viris aut pares aut superiores profer-

rem. Illam, quæ in Agriæ obſidione cum marito depugnans, ubi occiſum illum animadvertit, non priùs, monita tamen ab aliis, ſepelire illum voluit, quàm arrepto mortui enſe Turcas tres, qui in murum enitebantur, contrucidavit. Illam, quæ cùm matrem grande ſaxum ad muros ferentem machinæ ignitæ globo deiectam vidiſſet, cohibitis lachrymis ſaxum arripuit, eoque Turcas duos eliſit, plurimos vulneravit. Illas, quæ ſua fortitudine eò Mahometum adegerunt, ut ſolvere inglorius obſidionem deberet, cùm nullo ipſæ ſanguine, nullis mortibus moverentur. Sed iſta mulierum noſtrarum fortitudine Gloriam obtinere non contendo. Viri ſumus Hungari fortiſſimi, bellicoſiſſimi, victorioſiſſimi; qui cùm vinci non poſſimus, ſupereſt, ut ſupremam ac maximam Armorum Gloriam poſſideamus.

D I X I.



JUDI-

JUDICIUM

CAROLI V.

IMPERATORIS.




AROLUS QUINTUS Imperator dicere ſolebat, ad inſtruendum iuſti Exercitus corpus, ſumendum eſſe Caput ab Italis, Brachia & Manus ab Hiſpanis, Pectus à Germanis, Ventrem & Pedes ex reliqua Gentium aliarum Colluvie. Quòd Itali prudentes eſſent & ingenioſi, Hiſpani fortes & pugnaces, Germani fideles & conſtantes, cæteri omnes ad munus aliquod apti & utiles.

QUÆSTIUNCULÆ aliquot Militares.

I.

Quænam res in Bello maximè sint necessariæ?



Res, *inquit Iacobus Trivultius, magni nominis Bellator*, Pecuniæ, Pecuniæ, Pecuniæ. *Carolus item Quintus Imperator Nervos Belli Pecuniam, Commeatus, Milites esse dicebat; verùm si ex iis unum esset eligendum, Militem se veteranum electurum, cuius industria & fortitudine reliqua duo se ex hoste comparaturum confideret.*

II.

Quod discrimen inter Rusticos & Milites?

L*Vdovicus XII. Franciæ Rex dicebat, Plebem & Rusticos pascua esse Tyrannorum & Militum, Milites pascua esse Dæmonum.*

III.

Quis finis sit Belli Ducis Christiani?

CVm apud Carolum Quintum Imperat. Antonius Leva aliiq; Duces Iulium Cæsarem & Alexandrum extollerent, quererenturq; Imperatorem suis victoriis ad suæ potentiæ & magnitudinis amplificationem quantum posset & deberet, non uti, respondit Imperator, Alexandro & Iulio Cæsari in Bellis gerendis unum fuisse finem Honorem & Gloriam; Christianis autem Ducibus duos esse propositos, Honorem, & Animæ salutem.

IV.

Quantum positum sit in astutia & fortitudine Ducis?

CVm adversus Albertum Marchionem Brandeburgensem Germaniæ superioris Civitates, ut Norimbergensibus auxilio essent, numerosissimum exercitum instruerent, interrogavit quispiam, Vt quid tantum populum adversus unum Principem nec ita divitem armarent? Cui è primoribus Civitatum unus: Desipis, inquit, Homo; nam in Alberti astutia & fortitudine omnium Germaniæ Principum vires opesque continentur. Nec vana vox fuit: suas enim in partes septemdecim Principes traxit; & Civitates ad Pacem petendam coëgit.

V.

V.

An Cæci militare etiam possint?

IOannes Bohemiæ Rex, Henrici VII. Imperat. Filius, & Caroli IV. Pater, ita Belli studium amabat, ut cæcus etiam in militiam proficisceretur. Prælio interfuit inter Eduardum Angliæ, & Philippum Galliæ Reges, manum conseruit armatus, & fortissimè pugnans tandem occubuit. Ziska item Bohemus & cæcus bellum fœliciter gessit, Bohemosq; Catholicos & Teutones magnis cladibus affecit. Is moriturus, cùm rogaretur, de corpore suo quid fieri mandaret: Pellem, inquit, mortuo detrahite; relictoq; feris cadavere, ex ea tympanum, quo in præliis utamini, conficite. Nam ut hostes viventis aspectum non ferebant, ita mortui sonitum non ferent.

VI.

Quinam potissimùm in pugnis committendis laudandi?

HEnricus IV. Franciæ Rex eos vehementer laudabat, qui feriendi prudenter captant occasionem, & dextro Marte cadunt. Illos verò, qui exploratis hostium viribus, si paulò debiliores sint, pugnare non audent, Sapientes Ignavos appellabat: Alios, qui nullo consilio in confertissimos hostes irruunt, cùm repugnare non possint, Fortes Stultos esse dicebat.

VII.

VII.

An Urbium oppugnatio facilè suscipi debeat?

Scipio Romanus, aut tentare Vrbem non oportere, dicebat, aut sic tentare, ut omnibus viribus, quod instituisti, coneris perficere. Nam bis ad eundem lapidem offendere, simul periculosum est, & contemptui obnoxium. Onosander autem duo in Vrbium oppugnatione requirit, Ducis virtutem & prudentiam, cum machinarum apparatu. Deinde, ut non minùs occultent sua consilia obsidentes, quàm qui obsidione urgentur, volebat Appius Claudius obsidionem non trahendam, sed premendam esse. Quippe per intermissiones & intervalla lentiores spes nostras facimus. Et, ut alius dicebat, Multa bella impetu valida per tædia ac moras evanuêre.

VIII.

An Belli Dux temporum habere rationem debeat?

Pyrrhus cùm positis circa Naupliam castris Regem Antigonum in campum pugnamq; provocaret, respondit Antigonus suam militiam non magis armorum, quàm temporum esse, Pyrrho, si sua vitæ tædium illum caperet, satis multas ad interitum vias patere.

IX.

Quomodo animandi Milites, ubi prædæ nulla spes est?

ALbertus Austriacus, Belgarum Princeps, in difficili illa longaque Ostendæ obsidione Castra sua in quatuor diversarum Natione acies partitus est, & quæ prima omnium irruptionem in oppidum faceret, ei plurimam auri vim, præter stipendium, addixit, in prædæ nimirum remunerationem, quam ex Vrbe minùs sperabant. Vrbe paulò pòst, per Illustrissimum Spinolam positus est. Magna præmia magnos faciunt animos.

X.

Qualis esse Miles debeat?

MIles, secundùm Vegetium, debet esse vigilantibus oculis, erecta cervice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modicus, exilior cruribus, suris & pedibus non superflua carne distentis, sed nervorum duritie collectis. Secundùm eundem, aptior armis rustica plebs est, quàm urbana. Quòd, ut dicebat Cato, ex agricolis viri fortissimi & milites strenuissimi gignantur.

XI.

An, & quo pacto Belli Dux quiescere in Exercitu possit?

PHilippus Macedoniæ Rex, cùm in Exercitu multo tempore dormivisset, expergefactus tandem, iis qui circa se erant: Tutò, inquit, dormivi, vigilavit enim Antipater. Quo dicto prudentissimus Rex indicavit, tutò Belli Ducem aliquando dormire posse, dum aliquis è præstantissimis, qui secundas teneat partes, interea Exercitui præficiatur.

XII.

An, cùm obsessi mulierculas, pueros & senes dimittunt, remittere debeant obsidentes?

ONozander suadet, ut cibaria citiùs absumant, & hostium magis, quàm sociorum munere fungantur. Alphonsus autem Aragoniæ Rex, in Caietæ obsidione, cùm Oppidani impuberes, senes, mulieres urbe pepulissent, miseratione motus summa eos humanitate excepit; & objicienti cur illos non remitteret, cùm ita futurum esset, ut brevi urbs in potestatem veniret: Plures, inquit, facio horum vitas, quàm centum Caietas. Hac humanitate urbem in deditionem redegit.

XIII.

XIII.

An Milites in Exercitu auro & monilibus ornati esse debeant?

PEscennius nolebat à Milite aurum, gemmas & monilia in aciem asportari, ne alacritas hostis prædæ cupidine inflammaretur. Romani horridum militem esse volebant, non cælatum auro argentoq; sed animis & ferro fretum. Et Mutius Sfortia Alphonsum Neapolitanum risisse dicitur, cuius Exercitu nihil erat videre splendidius.

XIV.

Quantum possit Ducis Exemplum?

CVm Rodolphi Primi Imperatoris in Prælio contra Ottocarum Bohemiæ Regem Exercitus siti laboraret, animosq; remitteret, ablata est rustico cuidam messoribus potum ferenti hydria sicerâ plena, & Imperatori oblata. Quam cùm ille vidisset, Reddite, inquit, homini isti vasculum suum; nam ego Exercitui, non mihi sitiebam. Hac voce omnium sitim extinxit; resumptis mox animis victores evaserunt.

XV.

Quomodo accipiendæ sint à Belli Duce Civitates deditæ?

LEo Imperator, Si Deo, inquit, annuente subijciatur tibi Civitas, vel ob metum obsidionis, vel aliam ob causam

causam, clementer ac benevolè erga obsessos afficiaris. Sic Alexandri Magni clementia plurimas in deditionem Urbes accepit.

XVI.

An Clades accepta addere animum valeat?

Consalvus Fernandes præclarus Militiæ Dux, cùm Neapolim missus adversus Gallos esset, prioris fortunæ suæ memor in antecessum sibi victoriam pollicebatur. Unde remissiùs sese gerere, hostemq; cōtemnere cœpit, veluti nominis sui famâ perculsum. Tandem cum Gallis conseruit manum, quorum Dux Dominus d' Aubigny, & ingenti affectus est clade. At ille cautior inde factus, sic postea sese gessit, ut Gallos diversis præliis profligarit, ac regni tandem finibus magna cum sua laude depulerit.

FINIS.



